This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN · LIBRARIES · 1817
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

Digitized by Google

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

22J-90

POETÆ LATINI MINORES

LUCILII JUNIORIS, SALEII BASSI,

ET ALIORUM

CARMINA HEROICA;

EPITHALAMIA,

ET HOMERISTARUM LATINORUM OPERA,

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN TERTIUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

Digitized by Google

870.8
L545

Digitized by Google

NOMINA AUCTORUM

QUI IN TERTIO HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Lucilius Junior.

Cornelius Severus.

C. Pedo Albinovanus.

T. Petronius Arbiter.

T. Cæsius Taurinus.

Reposianus.

Licentius.

Saleius Bassus.

Patricius.

Homeristæ Latini antiquiores.

Pindarus Thebanus.

D. Magn. Ausonius Burdigalensis.

Incerti Auctores variorum carminum.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

JO. CHR. WERNSDORFII

AD TOMUM QUARTUM, QUI HUJUS EDITIONIS TERTIUS.

CARMINUM heroicorum titulo complexus sum poemata, quæ quarto hoc volumine Poetarum minorum proferuntur, quamvis non omnia pari argumento, nec digna admodum eo nomine esse sciam. Visum est hac sub inscriptione classem constituere carminum, quæ vel Deorum virorumque excellentium elogia, vel rerum factorumque memorabilium enarrationem tenerent, et versu heroico scripta essent. Ob carminum longitudinem pariter, ac commentationum, quæ iis illustrandis sunt appositæ, ubertatem quum volumen hoc in amplitudinem justo majorem excrevisset, dividendum in duas partes, reliquorum voluminum modo attemperatas, statui.

In serie poematum, quæ hoc tomo proponuntur, forte lectorum oculos advertent nova duorum poetarum nomina, quæ adhuc inter auctores carminum superstitum non audita sunt, Lucilii Junioris, et Saleii Bassi, quorum alteri carmen de Ætna, alteri panegyricum ad Calpurnium Pisonem attribui. Sed hoc iis rationibus me effecisse spero, quibus ægre credam

Digitized by Google

adversari posse, qui æquo animo rem arbitrari velint; certe non prævalere rationes alias putem, quibus adhuc ea carmina Cornelio Severo et Lucano attributa sunt. Equidem pulchre intelligo, quam difficile sit, usu et vetustate confirmatas opiniones convellere, et futuros esse non paucos existimo, qui post disquisitionem hanc meam Cornelium Severum Ætnæ, et Lucanum carminis Pisoniani auctores, inde a Josepho Scaligero et Hadriano Junio, at quantis viris! per manus eruditorum sibi traditos, retinere malint, aut, quis cujusque auctor nominetur, id parum referre arbitrentur. Neque tamen mihi, cui Poetarum minorum non modo carmina, sed et historiam illustrare propositum est, propterea minus elaborandum in quærendo eorum carminum vero auctore fuit; quin futuros puto alios, qui bonum factum dicant, quod poetas, sua quidem ætate satis celebres, sed oblivione sequiorum temporum obscuratos, et suorum possessione carminum, qua salva esse eorum fama poterat, tamquam de naufragii tabula, depulsos, memoriæ nostrorum hominum restituerim, et in cœtum auctorum veterum, quo adhuc inique caruerunt, revocarim. Neque vero, si quid ea in re abs me inventum est, quod eruditos alios adhuc fugit, hoc eruditioni meæ aut sagacitati tribuo, sed potius ipsorum poematum, quæ edo, infelicitati, quæ quia vix aliter, quam poetis majoribus tamquam appendices adnexa, rarissimeque seorsum edita et singulari studio pertractata sunt, hinc

Digitized by Google

vera nomina auctorum suorum, celebritate majorum obscurata, paullatim amiserunt, neque de iis inveniendis justa unquam cura a doctis viris anquisitum est. Similiter Epitome Iliadis Homeri, poema minime contemnendum, quod nunc altera parte hujus tomi prodit, per duo fere sæcula jacuit neglectum, nec in tanto temporis spatio editorem ullum, qui ab innumeris repurgaret mendis, et absurdum Pindari Thebani, quasi auctoris, nomen explooderet, invenit. Cui ex pluribus scriptis codicibus abs me emendato quum auctorem alium, eumque probabiliorem, Rufum Festum Avienum dedi, id mihi contigisse arbitror propterea, quod primus in eam curam incubui, et in rem nondum occupatam veni, aliis fortasse, qui posthac idem aggredientur, meliora istis inveniendi facultatem relicturus.

Carmen de Ætna, ut primarium gravissimumque hujus voluminis, ita mendorum et corruptelarum multitudine inquinatissimum, plurimo laboris et temporis impendio mihi castigandum fuit, maximasque interpretanti difficultates objecit. Nam quæ poematum minorum veterum fere communis sors est, ut negligentissime scripta a librariis, neque curatius pertractata ab editoribus reperiantur, ea carmini de Ætna accidit hoc magis, quod propter doctius argumentum et subtile orationis genus difficilius intelligebatur. A scriptis libris et impressis antiquis, qui, tamquam ex uno exemplari fluxerint, in corruptis lectionibus plerum-

Digitized by Google

que conveniunt, nec nisi novis scribarum ludibriis differunt, rarum et lubricum emendandi præsidium fuit. Josephus Scaliger plurima quidem in hoc poemate, sed dictatorio magis judicio, quam sobria disquisitione, emendavit, eoque sæpe aliena poetæ adfinxit. Gorallus denique optime quidem meruit de hoc carmine, idque non tantum castigare diligenter, sed et explicare luculente studuit; sed ei multis in locis critica solertia et εὐστοχία defuit, eoque multa vitiosa vel præteriit non animadversa, vel parum feliciter emendavit. Itaque novam recensionem carminis aggressus, præter Scaligeri et Goralli operas, aliorum observationes, passim repertas, consului, libros veteres, scriptos et excusos, denuo contuli, sensum auctoris accuratius indagavi, verbaque e vestigiis corruptarum lectionum et criticis rationibus, multis in locis, rectius constitui; quod cuique Goralli editionem cum mea comparanti apparebit. Et quoniam in hoc poemate subtilis et intricati argumenti emendatiore lectione sæpe sensus auctoris magis declarandus, et sublevanda lectorum intelligentia fuit, hinc frequentius, quam alias consuevi, verba abs me per conjecturam correcta, si satis manifesta ratio esset, in contextum poetæ intuli, ne lectoribus mora fieret, et in notis demum, quod rectius et ad intelligendum aptius, quærendum esset; alias tamen emendationes, quas viderem minus aut necessarias aut certas esse, satis habui in adnotatione indicare. His autem omnibus,

Digitized by Google

quamvis multa industria pertentatis, tantum abest ut mihi ipse satis fecisse, et poetam plane emendatum dedisse videar, ut potius ingenue fatear, sæpe me difficilioribus in locis tædio laboris diu frustra insumpti affectum, in qualicumque verborum medela vel interpretatione, desperata meliore, acquiesse, multaque adeo sagacioribus reliquisse exactiore cura perpolienda.

Post Ætnæum poema hanc classem poetarum præcipue ornat eloquentissimum Saleii Bassi carmen ad Calpurnium Pisonem, quod quum satis castigatum a Cortio reperissem, recensionem ejus sequutus sum; varietatem lectionis cum conjecturis aliorum subjeci, perpetuo commentario ipse primus illustravi, quum antea nemo in illud, nisi Bersmannus brevia scholia, et Scaliger paucas observationes scripsisset. Similiter Licentii carmen ad Augustinum, disertum sane, sed obscurum multis locis et corruptum, cum Epitome Iliados Homeri, nunc primum cura critica pertractatum et perpetua adnotatione illustratum prodit. Reliquorum carminum pleraque e Petri Burmanni Anthologia Latina huc traduxi, cujus etiam diligentiæ multa debeo in annotationem meam relata. Plura quidem carmina ex apparatu Anthologiæ Burmannianæ transferre in hanc classem heroicorum potuissem, quæ fabulas Deorum et heroum antiquas exponunt. Sed quoniam fere omnia misero scholasticorum labore ex meris laciniis et phrasibus Virgilianis videbam consarcinata, indigna quidem ea, ut veri poematis nomine,

Digitized by Google

ita hac poematum collectione judicavi. Tria tantum eorum, quæ ab isto nævo libera et proprio exarata versu sunt, recepi, Reposiani fabulam de Marte et Venere, Achillis orationem in Parthenone, et Didonis epistolam ad Æneam.

Quum prioribus in tomis hujus operis eum morem sequutus sim, ut præter auctores carminum, quæ edo, aliorum etiam poetarum, qui antiquitus in simili argumento elaborassent, memoriam repeterem, argumentum quidem heroicorum carminum, quorum hoc volumine exempla continentur, tam frequentatum omni tempore fuit, ut, si poetas, qui olim carmina ejus generis, sed nunc deperdita, scripserunt, commemorare omnes vellem, fere immodica poetarum turba enumeranda, et libri, qui eorum historiam tradunt, magnam partem expilandi essent. Sed tamen, quæ hoc volumine oblata est occasio, de poetis singulare aliquod argumentum tractantibus agendi, eam libenter adripui, atque hinc in præfatione ad duo Epithalamia, quæ propono, alia ejusdem generis carmina percensui, quæ a poetis Romanis scripta vel exstant hodie, vel perierunt; et in procœmio ad Epitomen Iliados Homeri recensum ago Homeristarum Latinorum, sive eorum poetarum, qui olim vel latine verterunt carmina Homeri, vel ducto ex iis argumento bellum Trojanum, aut ducum Trojanorum res gestas cecinerunt, adlatis simul, quæ reperiri potuerunt, eorum fragmentis.

Digitized by Google

Cæterum in adornando hoc volumine poetarum curam et diligentiam meam fateor egregie sublevatam esse officio et humanitate amicorum optimorum, Schlægeri, Heynii, Schrœckhii, Reizii, Langeri, excellentium doctrina atque meritis virorum, qui e bibliothecis copiosissimis mihi librorum usum, vel rerum, quibus opus esset, accuratiorem notitiam suppeditarunt. Quorum si favorem erga me et bene merita hoc loco prædico, non solum id testandi caussa grati animi facio, quamquam hoc mihi nihil est antiquius, sed quod officio et studio, quo juvare labores meos politissimi eruditione et humanitate viri voluerunt, ipsi credam libro meo ornamentum et commendationem accessisse.

Quinto hujus operis tomo equidem cogitabam Columellæ, Palladii aliorumque de Re hortensi opuscula edere, quæ prioribus jam tomis destinata fuerant. Sed dum considero, hæc poemata jam multis iisque recentibus scriptorum rei rusticæ editionibus vulgata adeo esse, ut nova eorum recensio vix desideretur, saltem maturato non opus sit, esse autem alia, quæ perinde, ut Epitome Iliados Homeri, nunc edita, per longissimum temporis spatium neglecta, et nullis vel parcissimis eruditorum studiis exculta, deposcere sibi novam et emendatiorem editionem videantur, in quibus nunc potissimum Maximiani Etrusci Elegias, et Plauti hypobolimæi Querolum, Comœdiam, nomino, ideo consultius esse duxi maturare eorum poematum

Digitized by Google

editionem, quum præsertim idoneis ad recensenda ea subsidiis me instructum videam, eaque occasione sperem posse aliquam partem literaturæ Romanæ paullo magis illustrari. Hæc poemata, quia partim levioris et ludicri argumenti sunt, adjunctis severioribus temperabo, Rutilii Numatiani, cui dicata Querolus est, Itinerario, et Hosidii Getæ Medea, Tragœdia, quæ quidem e centonibus Virgilianis composita est, quod genus carminis alias parvi facio, sed quia et antiquitate eminet, quippe jam a Tertulliano memorata, et a Petro Burmanno primum integra est edita, profecto repeti inter Poetas minores magisque vulgari meretur. De aliis minoribus, nec dissimilis argumenti, carminibus forte addendis tum dispiciam, quum ad ipsam illius tomi adornationem accessero. Scrib. Helmstadii in Academia Julia Carolina a. d. XXX Martii MDCCLXXXIV.

Digitized by Google

SERIES CARMINUM

TOMI TERTII.

I. LUCILII JUNIORIS Ætna, cum quibusdam fragmentis.

II. CORNELII SEVERI fragmentum de morte Ciceronis, cum fragmentis aliis.

III. C. PEDONIS ALBINOVANI fragmentum de navigatione Germanici per Oceanum Septemtrionalem.

IV. SALEII BASSI Carmen ad Calpurnium Pisonem.

V. T. PETRONII ARBITRI carmina minora.

VI. TAURINI Votum Fortunæ Prænestinæ solutum.

VII. INCERTI Votum ad Oceanum, pro felici navigatione.

VIII. REPOSIANI Concubitus Martis et Veneris.

IX. INCERTI, Verba Achillis in Parthenone, quum tubam Diomedis audiisset.

X. INCERTI, Epistola Didonis ad Æneam.

XI. Epithalamium Auspicii et Aellæ.

XII. Epithalamium Laurentii.

XIII. LICENTII Carmen ad Augustinum.

XIV. INCERTI Epitome Iliados Homeri, cui adjungitur PETRONII Trojæ halosis.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

DE

CARMINUM HAC CLASSE PROPOSITORUM

AUCTORIBUS,

ARGUMENTO, EDITIONIBUS.

Quod primo loco hujus collectionis posuimus *carmen de Ætna*, primam et præcipuam sibi commentationis nostræ operam vindicat, atque quum plurimas in interpretando difficultates habet, tum, ubi de auctore ejus quærimus, tantum eruditorum dissensum, tantam opinionum varietatem objicit, ut in eo probabilius constituendo non exiguam nobis disputandi materiam subnasci videamus. Antiquior e traditione Grammaticorum veterum opinio tulit, Virgilium auctorem esse, quæ uti a sola consuetudine librariorum orta atque alta videtur, qui minora et singularia veterum poetarum carmina majorum et celebriorum, atque in his Virgilii maxime, operibus adjungere solebant, ita et animis plerorumque eruditorum inhæsit, qui interiora carminis atque genium minus attendentes, nec de vero auctore admodum quærendum putabant. Hac mente Domitius Calderinus et Badius Ascensius Ætnam inter opuscula Virgilii retulerunt, atque expositione illustrarunt, quamquam Ascensius ipse de auctore Virgilio dubitat. Pari ratione alii hoc poema ad Claudianum retulerunt, quod operibus hujus poetæ adjunctum in antiquis membranis repertum erat, ut de veterrimo codice, qui Francisci Petrarchæ fuerat, testatur Gyraldus (1),

(1) Vide ejus verba inter testimonia de Ætna, infra, p. 62.

Digitized by Google

et de alio, forte inde descripto, Mediceæ bibliothecæ Nic. Heinsius (1). Accedere potuit et alia ratio, cur Claudiano adscriberent, quod ille et poeta Siculus haberetur, ut quorumdam codicum inscriptiones præferunt, et inter ejus Idyllia similis argumenti carmen de fratribus Catanensibus, parentes suos ex incendio Ætnæo servantibus, inveniretur. Quintilio Varo quosdam hoc poema tribuisse, scribit Jul. Cæs. Scaliger, quibus ipse adsentitur. Sed quæ caussa ejus opinationis sit, equidem perspicere nequeo, neque Scaliger ullam adduxit. Hoc apparet, Varum, Virgilii amicum, cujus meminit Ecl. VI et IX, intelligi. Hic tamen quis fuerit, quum plures ejus nominis ætate Maronis memorentur, vix potest, judice Heynio, v. ill., in argumento ad Ecl. VI, ad liquidum perduci, neque ea Vari memoria, aut ullæ monumentorum ejus reliquiæ exstant, e quibus auctorem Ætnæ colligas. Interim posse aliquantum ornari eam sententiam fateor, siquidem aut Quintilius iste existimetur, quem acutum et severum criticum laudat Horat. Art. Poet. v. 438 (poetam Cremonensem vocat interpres), et de cujus morte Virgilium solatur idem Carm. I, 24; aut L. Varus epicureus, quem Cæsaris amicum laudat Quintil. lib. VI, 3, 78, et quocum præcepta philosophiæ a Syrone, philosopho epicureo, Virgilium audivisse Servius ad Ecl. VI, 13, Focasin Vita Virg. v. 63, et Donatus in Vita Virg. § 79 tradunt (2). Etenim auctorem Ætnæ poetam non infimi ingenii, et philosophiæ præceptis haud leviter tinctum fuisse, facile ex ipso carmine apparet, quem tamen ex eodem colligimus non Virgilii æqualem, sed ætatis inferioris fuisse. Caspar Barthius, ut est in judicandis scriptoribus veteribus mire varius et fluctuans, scriptorem Ætnæ Manilium esse, certe stylo et ingenio simillimum Manilio dicit, mox autem minime tam

(1) In præfat. ad Claudianum, edit. Amstel. 1665.

(2) Et epicureus Syro a Cicerone memoratur Epist. ad Famil. VI, 11. Cæterum hic quem L. prænomine designat Wernsdorfius, a Pseudo-Donato Alphenus appellatur. Ed.

Digitized by Google

vetustum, quin Christianum auctorem esse, argumentis non futilibus sibi persuasum esse ait. Verba ipsa inter testimonia de Ætna retulimus. Et similitudinis quidem inter Manilium et auctorem Ætnæ non obscura vestigia in utroque poemate exstant, observataque post Barthium a Theod. Gorallo, seu Jo. Clerico, in adnot. ad Ætnæ vers. 295, et a Conr. Arn. Schmidio, v. cl., in præf. ad Germanicam Ætnæ versionem sunt. In quibus maxime eminet similitudo rerum et sententiarum, quibus exordium Ætnæ, et libri III Maniliani compositum est. In utroque enim fabulæ et argumenta enarrantur, in quibus alii poetæ elaboraverint. Sed hæc talia non tam Manilium Ætnæ auctorem, quam imitatorem Manilii, eoque posteriorem ætate fatentur, siquidem eamdem procemii vel principii carminum, quam diximus convenientiam, in plerisque aliis poetis observare licet, qui doctrinam artemque aliquam carmine complexi sunt; horumque adeo institutum fuisse videtur, ut superiores poetas, in simili argumento versatos, et legerent præcipue, et imitatione exprimere studerent (1). Sic Manilium in recensendis variis fabulis et argumentis poetarum non dubito Virgilium initio libri III Georg. respexisse:

> .....Quis aut Eurysthea durum,
> Aut illaudati nescit Busiridis aras? etc.

Manilium auctor Ætnæ in pari exordii compositione, hunc autem Nemesianus in Cynegetici introitu sic imitatus est, ut nihil sit similius. Quod ad alteram Barthii opinionem attinet, qua carmen de Ætna Christiano auctori addicere voluit, eam qua veri specie ornare potuerit, equidem non

(1) Unde mihi videtur scriptor Ætnæ Lucretium de Rerum Natura, et Gratii Cynegeticon inprimis proposuisse sibi, et multas eorum dictiones adscivisse. Sigillatim observavi Gratium communes cum eo quasdam significationes vocabulorum habere, ut *pignoris*, pro argumento vel indicio, v. 135 et 516, coll. Grat. 232, 263, 300; vocis *nota*, pro qualitate et proprietate, v. 520 et 528, coll. Grat. v. 289 et 497; item verbi *respondere*, v. 220, et Grat. v. 60.

Digitized by Google

videо. Latinitas et ingenium carminis minime sæculum Christianorum poetarum sapit : sententiæ crebro insertæ, quæ forte religionem Christianorum spirare videantur, etiam philosopho gentili dignæ sunt, nec locutiones equidem reperire potui, quæ, ut Barthius existimat, sacrarum literarum tractationem fateantur (1). Denique in principio poematis quod Apollinem et Musas invocat, variasque subinde fabulas tractat, id plane abhorret a sensu et more poetarum Christianorum, qui ad unum omnes gentilium Deos in carmine nominare nefas putabant, neque aliter sentiebant, quam Paulinus, carm. X ad Ausonium :

> Quid abdicatas in meam curam, pater,
> Redire Musas præcipis?
> Negant Camenis, nec patent Apollini
> Dicata Christo pectora, etc.

Vulgatissima fere sententia est, auctorem Ætnæ esse Cornelium Severum, sæculi Augustei poetam, quæ quum jam in antiquis quibusdam editionibus Virgilii, ut in Lugdun. 1517, in-fol. prodita esset, quæ Ætnam a quibusdam Cornelio Severo tribui, in inscriptione profitentur, deinceps adserta et ornata a Jos. Scaligero eruditorum adsensum ita meruit, ut plerumque hoc carmen non alio, quam Severi nomine citaretur. Fundus ejus sententiæ est locus Senecæ in Epist. LXXIX, quem inter testimonia de Cornelio Severo adduximus, ubi Severus Virgilio et Ovidio adjungitur, qui Ætnam in carmine descripserint. Enimvero mirandum est, Scaligerum totque alios eruditos, ejus sequaces, tam parum caute et intelligenter loco eo Senecæ uti potuisse, ut inde singularis et longi poematis de Ætna, quod hodie exstat, auctorem Corn. Severum probari existimarent. Etenim palam est, Senecam idem de Cornelio

(1) Quamquam Barthius nulla earum exempla adduxit, videtur tamen inprimis habuisse in animo sententiam, quæ versu 628 legitur : « o maxima rerum Et merito pietas hominum tutissima virtus » ; quæ illi forte similis visa est dicto Paullino, 1 Timoth. IV, 8.

Digitized by Google

Severo prædicare, quod de Virgilio et Ovidio. Hos autem constat de Ætna monte non singulari et separato carmine, sed occasione oblata, Virgilium quidem libro III Æneidos, Ovidium libro XV Metamorph. egisse. Et quum e Quintiliani testimonio sciamus, Corn. Severum olim bellum Siculum scripsisse, facili inde conjectura adsequimur, eum æque ac Virgilium Ovidiumque argumenti sui via deductum esse ad montem Siciliæ obiter describendum, neque adeo singulare illius opus de Ætna exstitisse, quod alias Fabius cum cæteris ejus operibus nominasset. Et occasionem, quam Corn. Severo bellum Siculum præbuerit Ætnæ describendæ, propius aperit Appianus, qui libro V belli Civilis refert, quum Cæsar Augustus in Sicilia esset dimicaturus cum Sexto Pompeio, auditos esse horrendos Ætnæ fremitus, longosque mugitus, ignibus excandescentibus exercitumque fulgore terrentibus, adeo ut Germani e cubilibus præ timore prosilirent. Unum omnino, qui locum Senecæ recte intellexerit, et mecum sentiat, reperi Nicolaum Fabrum : Barthius tantummodo Scaligerum ait parum caute ex loco Senecæ pronuntiasse. (Vid. Testimonia.) Et tamen sensus loci Senecæ, abs me expositus, tam manifestus est, ut minime verear, ne quis inde, temere me Severo singulare de Ætna carmen negasse putet. Minime etiam movet me, quod Fulvius Ursinus, in Virgilio cum Græcis scriptoribus collato p. 272 memorat, fuisse codicem manu Pomponii Læti scriptum, quo Ætnæ poema Cornelio Severo diserte tribueretur. Nam verisimile admodum est, Pomp. Lætum eruditum hominem, eodem loco Senecæ, quo alii, inductum Severo carmen hoc attribuendum existimasse, eoque nomen ejus sua manu apposuisse. Sic etiam Crinitum et Gyraldum existimasse e testimoniis adductis videmus, neque ignorare quisquam, qui antiquos codices versavit, potest, sæpe hoc accidisse, ut descriptores e temeraria conjectura, aut falsa interpretatione testimoniorum veterum, falsos auctores libris præscriberent. Quod quum multis aliis codicum exemplis probari potest,

Digitized by Google

tum ipsi nuper Nemesiani nomine Eclogis Calpurnii falso apposito vidimus.

Si quis ex stylo poematis conjicere de auctore velit, accurate cum eo conferat fragmentum de morte Ciceronis, quod Cornelii Severi certo est, ut videat, an unus utriusque auctor Severus haberi possit. In fragmento apparet facilis et elegans versificatio, quam in Severo laudat Quintilianus, et flumen ingenii prope redundans, quod facile poetam genuinum arguat : in Ætna scriptor conspicitur, philosophus magis, quam poeta, cujus dictio concisa et abrupta potius, quam liquida, compositio sæpe aspera et perplexa est, sententiæ graves magis, quam jucundæ; qui inprimis de poetarum fabulis et commentis, quibus delectare solent, tam contemptim loquitur versu 72 seqq. ut minime videatur eo sermone uti potuisse aliquis, qui gloriam e poesi quæreret, qualis Corn. Severus fuit.

Sunt præterea in Ætna carmine indicia, quæ probent, non Cornelii Severi, hoc est, Augustei ævi hoc poema esse, sed sequioris sub Claudio et Nerone. Occurrunt vocabula, quæ aurea linguæ ætate nondum videntur in usu scriptorum fuisse, ut *confluvium* 119 et 324, *emugire* 292, *cavamen* 432, *effumare*, pro fumum emittere, 495, *succosus* 529, *lentities* 538, *tudes, is*, pro malleo, 557. Alluditur ad ritus et facta, quæ Claudii Neronisve ævo maxime celebrata sunt. Quo refero inprimis *Tritonis canori* mentionem, quo machinam, ex marmore aut metallo factam, intelligit, quæ aquarum adsultu concepta aura voces edebat per buccinam, versu 290. Hæc machina sub Claudio primum inventa, et publico naumachiæ spectaculo adhibita est, teste Suetonio in Claud. cap. 21 : *Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, duodenarum triremium singulæ, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat.* Fallitur omnino Scaliger in notis ad Ætnam, cum eoque Casaubonus ad Sueton. l. c. qui Tritonem tantum instrumentum hydraulicum putant in theatris poni solitum, atque

Digitized by Google

inde a Claudio in naumachiam translatum. Fallitur etiam Adr. Turnebus, qui Advers. lib. II, cap. 21, hunc Ætnæ locum de Tritone simpliciter tamquam de Tritone marino accepit, loco ipso non attente lecto. Verum machinam fuisse recens inventam, quamvis ex rationibus artis hydraulicæ constructam, tamen ita aptam, ut demum in medio aquarum posita, impulsu earum inflata sonitum emitteret, haud difficulter e Suetonii relatione colligitur. Itaque tum demum vulgo nota memorari a poeta ejus temporis potuit. Post Tritonem *organi hydraulici* in theatris positi meminit auctor Ætnæ, v. 293, quem locum vol. I, nost. p. 697, in præfat. ad Porphyrii Organon luculente exposuimus. Ex eo similiter colligo, poetam Ætnæ Neronis ævo scripsisse. Quamquam enim hydraulica multo ante inventa et usitata esse constat, tamen Romæ Neronis et Senecæ ætate maxime celebrari, et theatris spectaculisque publicis adhiberi cœpisse, recte mihi videor e quibusdam Veterum locis perspicere. Suetonius Neronem inprimis delectatum esse organis hydraulicis scribit cap. 41: *partem diei per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit.* Ipse hydraules aliquando prodire voluit in theatro, cap. 54. Et frequentem eorum usum in theatris sua ætate testatur Seneca epist. LXXXIV: *Quum omnes vias ordo canentium implevit, et cavea æneatoribus cincta est, et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit.* Nullus mihi vetustiorum scriptorum locus succurrit, qui hydraulica in theatris maturius usurpata testetur; et poeta igitur, Ætnæ scriptor, qui ea in theatris collocat, Senecæ tempore videtur scripsisse.

Ejus autem temporis non alius, cui Ætna meliore jure tribuatur, occurrit, quam ipse ille amicus Senecæ, Lucilius, ad quem scribit epistola LXXIX: *Morbo tuo daturus eras, etiamsi nemo mandaret tibi, donec Ætnam describas in tuo carmine, et hunc solennem omnibus poetis locum attingas.* Videtur quidem Seneca hoc loco significare, Lucilium non aliter, quam Virgilius, Ovidius et Corn. Severus

Digitized by Google

fecerint, nempe obiter et in majore carmine, Ætnam descripturum esse. Sed ita loquitur Seneca, quod Lucilius tum in animo habebat, omnia naturæ memorabilia, quæ Sicilia haberet, et in his sigillatim Ætnam, longo carmine complecti (1). Lucilius hoc propositum, ut ex aliis Senecæ locis colligimus, posthac ita exsequutus est, ut alia Siciliæ miracula seorsum exponeret, Ætnam singulari poemati reservaret. Ista a Lucilio, vivo adhuc Seneca, descripta esse, ex hujus testimoniis discimus; hoc de Ætna scriptum si Seneca diserte non meminit, haud dubie mors Senecæ interveniens in caussa est. Mortuo autem eo scriptum a Lucilio ejusmodi poema esse, tot conspirantibus et e Seneca petendis indiciis approbari potest, ut facile me evicturum credam, Lucilium Ætnæ hodie prostantis auctorem si non certo, attamen multo probabilius, quam Cornelium Severum haberi.

Is autem, de quo loquor, Lucilius Junior est, ad quem Seneca Epistolas suas, librum de Providentia, et Naturalium Quæstionum libros scripsit, quique Procurator Siciliæ, poeta et philosophus, ut Senecæ testimonia perhibent, pereximius tempore Neronis fuit. *Juniorem* appello, non propter ætatem, aut respectum ad antiquiorem Lucilium, sed cogno-

(1) Non succurrit, ut videtur, Wernsdorfio, quum hæc scriberet, simile carmen olim a Cæsare Octaviano Augusto perscriptum esse, in quo pariter videtur Ætnæ commemoratio non intermissa. Nempe Suetonius in Aug. cap. 85, refert: « Poeticam summatim attigit. Unus liber exstat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus et argumentum et titulus est: *Sicilia* ». Nec aliud, adnotante Casaubono, ex his verbis colligas quam fuisse id carmen descriptionem Siciliæ et eorum, quæ habet miraculosa, qualis Ætna est inprimis solennis, ut Seneca ait, omnibus poetis locus. Tamen ut addubitem, idem facit Senecæ locus, Epist. LXXIX, ubi non videtur inter Virgilium, Ovidium et Cornelium Severum nominatos de hoc poemate Augusti taciturus. Quum vero plerique eruditi carmen de Ætna Augusteo ævo attribuere voluerint, et J. C. Scaliger adeo Quintiliano Varo ex levi suspicione adscripserit, mirum omnino, neminem potius Cæsari Augusto dedisse, quem Suetonius diserte dicit hexametris versibus Siciliam, in qua maxime memorabilis Ætna est, descripsisse. Ed.

Digitized by Google

mine proprio (1), quo eum sæpius compellat in Natur. Quæstionibus Seneca, ut libro III, c. 1, *Sive, ut apud te, Junior carissime*, invenio, et libri IV præfat. *Ita est, mi Junior, quo apertior est adulatio*, etc. Quo magis miror, Lipsium (2) eruere cognomen Lucilii non potuisse, et ridere alios, qui Juniorem appellarint, quod forte minor Seneca fuerit. Nempe Lipsius non accurate tum legerat Naturales Quæstiones, in quibus eo cognomine appellatur, quas morbo impeditus dereliquit, quum vix in libri primi caput primum scholia confecisset. Lucilium Balbum a multis vocari observat Mart. Ant. Delrius, lib. II Proleg. ad Synt. Frag. Lat. cap. ult. p. 60, sed confusum cum Lucilio Balbo, Stoicæ disciplinæ philosopho, qui a Cicerone, libro II de Nat. Deor. disputans inducitur. Quod præterea suspicatur Delrius, quædam Lucilii Junioris vulgo Lucilio Satirico tribui, mihi quidem probe considerandum videtur. Occurrunt certe inter reliquias, a Fr. Dousa collectas, ex incerto libro Lucilii prolata fragmenta, quæ archaismis carent, et tersiorem latinitatem habent, et apta Lucilio Juniori sunt. Apuleius, Florid. lib. IV, equum describens fortem æque ac rapidum, et montes pariter ac campos percurrere valentem, utitur versu Lucilii :

Qui campos collesque gradu perlabitur uno.

Hæc est proprietas maxime equorum Siculorum, ut testatur Gratius, Cyneg. v. 524, et equi Ætnæi habebantur præceleres, ut observat Cælius Rhodigin. Antiq. Lect. lib. XXI, 23; quos igitur non tacuisse videtur Lucilius Junior, Pro-

(1) Quo nomine Junior est, ad quem Plinius, Epist. VIII, 15, IX, 12, et Terentius Junior occurrit lib. VII, 25; ut alios plures taceam.

(2) In præfat. ad epistolas Senecæ. Verba ejus sunt: « Alia de viro non possum, nec cognomen quidem ejus eruere. Nam quod quidam Juniorem appellant, inducti loco Senecæ, epist. XXVI: *Junior es? quid refert? non dinumerantur anni:* puer videt, quam sit puerile. Ad ætatem ea, non appellationem spectant ».

Digitized by Google

curator Siciliæ, in memorabilibus ejus provinciæ, quæ ab eo celebrata versu esse, Seneca testis est. Si Gellius scribit lib. I, cap. 3 : *Hoc profecto nemo ignoravit, etiam priusquam Theognis, ut ait Lucilius, nasceretur;* non video, quomodo hoc proverbium in hexametro vel alio versu, quo Lucilius Satiricus scripsit, exstare potuerit; sed e prosa oratione alicujus Lucilii sumptum est, qua Juniorem nonnulla scripsisse, e Seneca intelligimus. Et proferuntur quædam loca et sententiæ Lucilii a veteribus Grammaticis, quæ non poetæ, sed grammatici vel rhetoris præcepta esse videntur. Talia sunt, quæ a Servio ad Æn. IX, 579, a Curio Fortunat. Art. Rhet. lib. III, p. m. 92, et ab Isidoro, Orig. lib. I, cap. 32, adducuntur. At Lucilium Juniorem nonnulla prosaica, et ad Grammaticam pertinentia scripsisse, facile e Senecæ epistolis probari potest, quibus et scripta ejus laudat, et sermones de rebus grammaticis cum eo communicat. Hæc et alia, quæ forte occurrant, si diligenter notentur, poterit certe nomen Lucilii Junioris ab obscuritate, qua oppressum adhuc jacuit, vindicari, notiusque eruditis reddi, quod et nos fragmentis ejus, quamvis paucis, e Seneca excerpendis, atque Ætnæ subjiciendis, curavimus (1).

Eum Neapoli oriundum fuisse, ex Senecæ epist. LIII colligi potest, ubi ad Lucilium scribit : *a Parthenope tua usque Puteolos;* quamquam Delrius, lib. cit. c. 9, p. 47, mavult ex iis verbis conjicere, a Lucilio Parthenopen versu celebratam. Humili genere natus et cum paupertate colluctans, liberalibus tamen studiis, præsertim poeticæ et philosophiæ,

(1) Fuisse et alios, præter Satiricum et hunc Juniorem Lucilios scriptis claros, satis constat. Lucilium, comœdiarum auctorem a Porphyrione ad Horatii Poeticam, et a Fulgentio de Prisco Serm. in fine citari, affirmant Franciscus Dousa in notis ad fragmenta Lucilii, pag. 99, et Munkerus ad Fulgentium, loco citato. Alium Lucilium, vel Lucillum, poetam epigrammatarium et σκωπτικὸν, ævo Theodosiano celebrem, ipsi nos in Dissert. de poetis Satiricis, tomo nostro II Poet. minorum, pag. 20 memoravimus. ED.

Digitized by Google

se tradidit, et industria natalium angustias eluctatus ad equestrem ordinem, tum ad procurationem Siciliæ pervenit (1). Per indolem præclaram et ingenium illustre a juventute carus et amicus Senecæ fuit, quocum et assidue philosophatus est, et variis elegantibusque scriptis inclaruit. Hæc et alia passim de eo Seneca testatur in epistolis, tum præcipue in procemio libri IV Natur. Quæst. ubi figurata quadam oratione, Lucilium ipsum inducens loquentem, præcipua ejus fata et merita enarrat, eum apud Caium et Claudium valuisse gratia ostendit, fidem ejus commendat, invictum muneribus animum, frugalitatem, modestiam, humanitatem laudat, ut inde virum plane egregium noscamus.

Jam quæ ex his rebus Lucilii pro auctore Ætnæ probabiliter colligi possunt, hæc fere sunt. Seneca eum poetica facultate juxta ac philosophiæ scientia insignem sistit, et talem fuisse auctorem Ætnæ, ipsum poema loquitur. Elegantiam scriptorum ejus laudat epistola XIX et XLVI, sigillatim autem poemata scripsisse, quum alibi, tum libro III, cap. 1 et 26 Natur. Quæst. testatur, ubi versum adeo ex quodam ejus poemate profert. Studiosissimum inprimis philosophiæ fuisse, quæ de rebus naturalibus agit, omnes fere epistolæ Senecæ, maxime autem Quæstiones Naturales quas Lucilio dedicavit, docent. Illud vero de Ætna poema quum poeseos exercitæ, tum scientiæ naturalis tot et tanta documenta præbet, ut non alius ejus certior auctor, quam Lucilius, videri possit. Qui quamquam poema scribendum suscepit, philosophum tamen magis agit, Senecæ dicta et sententias haud raro adoptat, adeo quidem, ut versu 72 seqq. fabulas, fallacias, mendacia poetarum eadem asperitate reprehendat, qua philosophus Seneca, Cons. ad Marc. cap. 19, de Vita beata, cap. 26, de Benef. lib. I, 3 et 4. Accedit, quod eum philosophum scholæ Epicuri addictum, certe ejus placitis faventem fuisse, Seneca non uno loco

(1) Vide initium libri IV Natural. Quæst. Senecæ.

Digitized by Google

significat (1). Hoc genus philosophorum inprimis operam dedisse constat caussis rerum naturalium indagandis, ut vanas hominum persuasiones superstitionesque vincerent : ut fecisse Lucretium libris de Rerum Natura videmus, hominem sine dubio Epicureum. Enimvero scriptor Ætnæ sic Lucretii vestigia sequitur, sic in caussas Ætnæi incendii inquirit, sic fabulas multas et inanes hominum opiniones refutat, ut subinde Epicurei et Lucretii personam induisse videatur, quamquam aliis multis in rebus, ut in summo aliquo numine, Ætnæ, tamquam magnæ machinæ, moderatore agnoscendo, Senecæ placitis magis adhæret.

Poema Ætnam montem, regionemque ejus, naturam et caussas ignis tam accurate describit, ut appareat, auctorem diu in Sicilia commoratum esse, satisque otii habuisse, ut eructationes montis plures et flammas, et modos et vicissitudines incendii diligenter observare posset. Quam ob rem quis Lucilio Juniore aptior et instructior ad carmen istud scribendum reperiatur? qui testante Seneca provinciam Siciliæ Procurator administrabat, eamque laudabat summopere, quod et summum otium præberet sibi, et tot rebus provinciæ mirabilibus largam materiam studii sui, in rerum naturalium scrutatione exercendi (2), suppeditaret. Studium hoc Lucilii crebris literis excitabat ipse Seneca (3).

(1) Vide inprimis epistolam XXIII. Sed favisse Epicuro ita Lucilium existimo, ut Senecam ejus amicum, qui multa Epicuri apophthegmata passim laudat, licet omnem ejus disciplinam non sequatur. Lipsius ad verba dictæ epistolæ, « Possum vocem tibi Epicuri tui reddere », adscribit : « Ergo in iis castris Lucilius? apparet : nec alia caussa fortasse toties hujus dicta inculcat ».

(2) Seneca, Natur. Qu. libri IV initio : « Delectat te, quemadmodum scribis, Lucili virorum optime, Sicilia, et officium procurationis otiosæ ». Et capite 1 ejus libri : « Itaque ut te tota mente abducam, quamvis multa habeat Sicilia in se circaque se mirabilia; omnes interim provinciæ tuæ quæstiones præteribo, etc. »

(3) In ipso poemate auctor subinde ita de Ætna loquitur, ut tamquam miraculum naturæ ante pedes et in conspectu positum suis homi-

Digitized by Google

Sæpe ei in memoriam miracula Siciliæ, præsertim Ætnam, revocabat, atque ut diligentissime inquirere et cognoscere vellet, hortabatur (1). Lucilium vicissim voluntati Senecæ, et suo ipsius studio obsequutum, cœpisse quædam memorabilia Siciliæ versu exponere, ejusdem testimonio Senecæ probari potest. Laudat hic poema Lucilii, quo descripserit Arethusam, fontem Siciliæ, cui Alpheum, fluvium Elidis, terra absorptum et subter mare defluentem misceri in Sicilia ferebant. De eo fonte narraverat Lucilius, eum quinta quaque æstate, per Olympia, ejectare purgamenta, idque inde fieri, quod Alpheus Elidis, ubi Olympia celebrantur, ex Achaia eo usque penetrans, et cursum sub mare agens, nec ante, quam in Syracusano litore emergens, iis diebus, quibus Olympia sunt, victimarum stercus secundo traditum flumini reddat (2). Si Lucilius naturam Arethusæ, et caussas ejectorum purgamentorum tam late et luculente, ut significare Seneca videtur, exposuit, vix dubitare licet, singulare hoc carmen de Arethusa, aut saltem partem majoris carminis fuisse, quo de mirabilibus Siciliæ fluviis, forte etiam de

nibus prope contemplandum demonstret; et quum v. 253 dicit, « Tantum opus ante pedes transire et perdere segnes », et v. 595, « Artificis naturæ ingens opus adspice ». Ex eo facile colligitur, poema in ipsa Sicilia scriptum esse, et scriptum esse a Lucilio, qui in Sicilia fere domicilium habebat, multumque studii in cognoscendis ejus insulæ mirabilibus ponebat. Ed.

(1) Seneca, epistola LXXIX : « Exspecto epistolas tuas, quibus mihi indices, circumitus Siciliæ totius quid tibi novi ostenderit, et omnia de ipsa Charybdi certiora ». Paullo post: « Si hæc mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut in honorem meum Ætnam quoque ascendas ». Idem, epistola LI : « Quomodo quisque potest, mi Lucili : tu istic habes Ætnam, illum nobilissimum Siciliæ montem ».

(2) Seneca, Natur. Qu. lib. III, cap. 26 : « Quidam fontes certo tempore purgamenta ejectant: ut Arethusa in Sicilia quinta quaque æstate, per Olympia. Inde opinio est, Alpheon ex Achaia eo usque penetrare..... Hoc et a te traditum est in poemate, Lucili carissime, et a Virgilio, qui alloquitur Arethusam: *Sic tibi quum fluctus*, etc. »

Digitized by Google

Scylla et Charybdi, egerat. E quo carmine Seneca et alio loco (1) versum aliquem de ipso Alpheo producit :

Eleus Siculis de fontibus exsilit amnis.

De Ætna, certum est, in animo habuisse Lucilium, et summa cura hoc egisse, ut eam poemate describeret aliquando. Abunde hoc declarant verba Senecæ, epist. LXXIX, inter testimonia proposita : « Morbo tuo daturus eras, etiamsi nemo mandaret tibi, donec Ætnam describas in tuo carmine ». Et eadem epistola : « Aut ego te non novi, aut Ætna tibi salivam movet. Jam cupis grande aliquid, et par prioribus scribere ». Hoc si opus Lucilius tam serio destinatum animo habuit, si tam diu molitus est, si tam cupide voluit exsequi ; quis inde non tuto colligat, etiam re effecisse, quam primum potuerit? Gravitas et amplitudo argumenti haud dubie movebat Lucilium, ut Ætnam proprio poemate et post cætera Siciliæ mirabilia describendam sumeret, et si Seneca id nusquam laudat, aut perfectum esse significat, caussa profecto hæc est, quod posterius fuit scriptis Senecæ, atque hoc demum mortuo perfectum, ut videre non potuerit (2). Videor mihi hoc ipsum ex loco Senecæ supra memorato posse colligere, quo Arethusam a Lucilio descriptam testatur. Nam ante eum locum agit de mirabilibus variarum regionum fluviis, qui plane absorbentur terra, rursusque alio loco emergunt, idque versibus quibusdam poetarum probat. Iisdem autem de fluviis auctor Ætnæ locum bene longum habet a versu inde 121, eorumque

(1) Natur. Quæst. lib. III, cap. 1.

(2) Just. Lipsius in præfat. ad comment. in Epist. Senecæ monet, omnes epistolas Senecæ intra biennium, Consulatu Memmii Reguli et Virginii Rufi, itemque Lecanii et Licinii, id est, haud longe ante ejus mortem scriptas esse. Hoc si verum est, Lucilius, quem Seneca in epistolis ad Ætnam describendam hortabatur, id poema ante mortem Senecæ non perficere, neque adeo Seneca illud laudare ullo loco scriptorum suorum potuit.

Digitized by Google

exemplo subterraneos sub Ætna specus probat, quos venti permeant. Vix dubito, Senecam hos versus poetæ philosophi et amici libentius, quam aliorum, adducturum fuisse, si hoc poema visum lectumque a Seneca fuisset. Qua ratione etiam evinci potest, non Cornelium Severum, aut alium quempiam antiquiorem Seneca, ejus auctorem esse. Quod autem auctor Ætnæ inter fluvios, qui terra occultati rursus alio loco erumpunt, nullam Arethusæ mentionem facit, hoc ipsum probat, Ætnam a Lucilio scriptum esse. Nempe hic nihil memorare de Arethusa, quæ facile succurrere poterat, volebat, quod de ea ante, alio poemate, luculente egerat.

Quemadmodum ex hactenus laudatis Senecæ testimoniis facile colligitur, scriptum a Lucilio poema de Ætna esse, quamvis a Seneca nondum lectum, ita ipsum poema haud obscure prodit, auctorem ejus amicum et imitatorem Senecæ esse, qui ex ejus scriptis sibi dedicatis et missis, varia præcepta et placita in suum poema transtulerit. Præter locum Senecæ, modo adductum, de fluminibus terra absorptis, quem scriptor Ætnæ pariter attigit, Seneca, Epist. LXXIX, hortatur Lucilium, ut propius observet conscenso monte, an verum, et qua ratione sit, quod vulgo dicatur, sensim consumi et subsidere montem, minoresque nunc flammas ejicere, quam olim visus sit aliquanto longius navigantibus (1). Attingit hanc vulgi opinionem auctor Ætnæ versu 363 seqq. quamquam de imminutione flammæ Ætnææ non idem sentit, quod Senecæ videbatur, fieri posse, ut vel mons igne suo sensim devoretur, vel ipse ignis non idem maneat, materia incendii intus imminuta; sed imminutionem eam montis atque flammæ plane negat, quod indi-

(1) « Audebo tibi mandare, ut in honorem meum Ætnam conscendas, quam consumi et sensim subsidere ex hoc colligunt, quod aliquanto longius navigantibus solebat ostendi. Potest hoc accidere, non quia montis altitudo desedit, sed quia ignis evanuit, et minus vehemens ac largus effertur, etc. »

Digitized by Google

gnum divina cura sit, tanto miraculo, quod ea efficiat, unquam opes et alimenta deesse. Multæ occurrunt in toto fere poemate auctori ejus et Senecæ communes disputationes et sententiæ, ut Scaliger in notis suis haud raro observet, Senecam istas ex opere, cujus auctorem Corn. Severum habet, hausisse: quas mihi e contrario videtur scriptor Ætnæ e disciplina et disputatione Senecæ habere. Unum tantum alterumque ejus similitudinis exemplum ponam, reliqua adnotationi reservabo. Versu 115 seqq. affirmat auctor, totam terram cavam specubus esse, idque inde probari ait, quod ex ea tot tantique fontes diversis locis, tamquam ex pleno sinu, erumpant. Ita vero et Seneca disputabat, Natur. Quæst. lib. VI, cap. 7: « Non est diu probandum, ibi multas aquas esse, ubi omnes sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex reposito multoque funderet ». Et mox cap. 8: « Non quidem existimo te diu hæsitaturum, an credas esse subterraneos omnes et mare absconditum. Unde enim ista prorumpunt? unde ad nos veniunt, nisi quod humoris origo inclusa est? » Versu 169 seqq. auctor Ætnæ ostendit, ventos subterraneos, angustiis terræ compressos, et erumpere conantes, motum et tremorem terræ efficere. Hoc plane e sententia Senecæ dicit, qui lib. VI Natur. Quæst. cap. 25: « Quum spiritus magnum et vacuum terrarum locum penitus opplevit, cœpitque rixari et de exitu cogitare; latera ipsa, intra quæ latet, sæpius percutit, supra quæ urbes interdum sitæ sunt », et quæ sunt reliqua apud ipsum legenda. Juvenes Catanæos, parentes suos ex incendio Ætnæo eripientes et portantes humeris, cedentemque iis euntibus flammam, scriptor Ætnæ inde a versu 619 eadem plane ratione narrat, ac Seneca, de Benef. lib. III, cap. 37; hic tantum breviter et presse, ille, ut poeta, ornatius et luculentius.

Dictio universa poematis Ætnæ haud parum similis stylo Senecæ videtur, et si quis diligentius hoc quærere,

Digitized by Google

et nonnulla verba ac phrases ab auctore usurpatas adnotare volet, haud raro familiares Senecæ reperiet. Sententias ab eo auctore crebras quæri et inseri, jam Scaliger observavit; et nemo facile diffitebitur, conspici in iis ingenium disciplina et crebris sermonibus Senecæ innutritum, qui ipse sæpe delectare in epistolis Lucilium prolatis Epicuri sententiis solebat. Si aliud quoddam poema Lucilii, vel ampliores saltem reliquiæ exstarent, posset omnino, comparata earum atque Ætnæ dictione, certius de auctore Lucilio pronuntiari. Nunc vix tres quatuorve versus ejus a Seneca servati sunt. Et tamen, quæ in uno eorum occurrit phrasis, *exsilit amnis*, etiam ab auctore Ætnæ usurpatur v. 325: *Donec confluvio revolutis æstibus amnis Exsilit.* Iterum utitur eo verbo v. 104: *Sed totis rimosa cavis, et qualis acervus Exsilit.*

Quæ hactenus a nobis memorata sunt, eo omnia conveniunt et conspirant, ut auctorem Ætnæ Lucilium Juniorem agnoscamus. Lucilius plane ea ætate vixit, quæ scriptori Ætnæ convenit: poetica æque facultate ac philosophiæ insigni scientia excelluit, quæ in toto carmine conspicua est: Lucilius in Sicilia diu commoratus, et tum naturæ universæ, tum Siciliæ præsertim mirabilium curiosus indagator perhibetur a Seneca. Eumdem Seneca ad describendam Ætnam assidue hortatus est, et re ipsa tale opus diu molitum esse testatur. Lucilium etiam alia Siciliæ mirabilia versu celebrasse constat (1); tum vero idem fecisse in Ætna, poema ipsum, quod habemus, declarat, quod indiciis haud paucis auctorem Lucilium, illum Senecæ amicum et imitatorem,

(1) Hunc locum proœmii sui Wernsd. in Addendis ad tomum III sic mutari jubet a verbo *constat*: « tum vero Ætnam eodem, quod nunc habemus, carmine ab eo descriptum esse, hinc clarum sit, quod poema ipsum indicat, auctorem suum esse illum Senecæ amicum et imitatorem, qui, quæ Seneca ad eum persæpe de naturalibus et aliis philosophiæ quæstionibus scripserat, usurpare ipse et in poema suum transferre voluerit. In Cornelio Severo ». Cætera, ut se habent. Ed.

Digitized by Google

fatetur, qui ipse ad eum persæpe de naturalibus et aliis philosophiæ quæstionibus scripsit. In Cornelio Severo, quem alii pro auctore Ætnæ habere volunt, hæc talia maximam partem non apparent, nonnulla etiam contraria observantur, quibus nunc amplius enarrandis non immoramur.

Cæterum mirum videri potest, carmen de Ætna, quamvis locum poetis valde solennem teneat, tam parum tamen cognitum Veteribus, et tam raro lectum esse, ut a nemine adeo Veterum versus ejus citetur. Immo, quod magis mireris, Favorinus philosophus apud Gellium, lib. XVII, 10, locum Virgilii de Ætna cum Pindarico comparat, et Virgilium in eo describendo minus accuratum ex physica ratione affirmat, neque tamen in ista disputatione auctorem Ætnæ carminis, qui totam rem philosophica subtilitate exegit, ullo verbo laudat, aut confert. Nimirum offendebat procul dubio multos tenuitas argumenti, et subtilis disputandi ratio, quum contra aliorum poetarum brevior ornatiorque descriptio melius pingere illud miraculum, magisque ad palatum esse videretur. Sic Lucretium, Gratium, Manilium a multo paucioribus, quam Virgilium, Lucanum, Statium, lectos esse novimus. Interim nolim hoc plane et simpliciter affirmare, carmen de Ætna a nullo omnino veterum scriptorum memorari. Certe mihi Juvenalis videtur quodam loco id tectius atque occultius tangere, ubi multitudinem recitantium Romæ poetarum, et frequentata ab iis argumenta ridet, Sat. I, 7 seqq.

> Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
> Martis, et Æoliis vicinum rupibus antrum
> Vulcani.

Videtur omnino his verbis duo poetas, aut duorum poematum argumenta, tangere, unum, quod de expeditione Argonautica, alterum, quod de Ætna monte egerat. Nam sub luco Martis verisimile est illum intelligi, qui apud Colchos vellus aureum tenebat, et *antrum Vulcani Æoliis ru-*

Digitized by Google

pibus vicinum Jo. Britannicus in commentario late demonstravit esse Ætnam, montem Siciliæ, qui Vulcano sacer fuit, et domus Vulcani dictus est. Pergit Juvenalis dicta illa duo poemata propius notare, et dicit in Frontonis horto vel domo, in qua recitabant poetæ, narratum audiri,

> .....quid agant venti, quas torqueat umbras
> Æacus: unde alius furtivæ devehat aurum
> Pelliculæ.

Verba *quid agant venti* omnino videntur Ætnam amplius signare, et de ventis Ætnæum incendium excitantibus intelligenda esse. His quum statim subjungatur *quas torqueat umbras Æacus*, non videtur hoc ad ventos ante memoratos ullo modo pertinere, nisi mutatis paullum verbis legamus: *quas torqueat undas*, vel *quos torqueat æstus Æolus*. Nam Æolum hic nominari necesse est, quod ante de Æoliis rupibus sermo erat. Ita vero clarius respicit Ætnam Lucilii, qui in præcipuis caussis Ætnæi incendii ventos subterraneos, partim etiam undas maris antra Ætnæ subeuntes, ponit, et in principio carminis verbis fere a Juvenale repetitis utitur:

> ...quæ tam fortes volvant incendia caussæ,
> Quod fremat imperium, quid raucos torqueat æstus.

Quando deinde subjicit Juvenalis, *unde alius furtivæ devehat aurum pelliculæ*, redit iis verbis ad alterum poetam, quem ante dixerat *lucum Martis* descripsisse: ut adeo satis clarum sit, toto hoc loco Juvenalem duo poetas tangere, quorum alter velleris aurei ablationem, alter Ætnæ incendia descripserit.

Quemadmodum Lucilius in Ætna describendo philosophi pariter ac poetæ officio functus est, ita hoc argumentum etiam seorsum quum philosophi tractarunt, caussis Ætnæi incendii e natura demonstrandis, tum poetæ haud pauci verborum pictura atque fabulis exornarunt. Testimonia Veterum, qui Ætnæ ignes eorumque caussas exposuerunt,

Digitized by Google

magno numero congessit Phil. Cluverius, Sicil. Ant. lib. I, cap. VIII, pag. 97 seqq. E philosophis et historicis hic nominandi Aristoteles, lib. de Mundo, cap. VI, qui etiam Meteorol. lib. II, cap. 8, terræ motus et eruptionis ignium in una Æoliarum insula Hiera factæ meminit; Thucydides libro III, ubi tres Ætnæi ignis eruptiones inde a Græcorum in Siciliam adventu factas memorat; Strabo, Geogr. lib. VI, p. 269 et 174; Philostratus, Vit. Apoll. V, cap. 16 et 17; Plinius superior, qui descriptionem geographicam Ætnæ habet lib. III, cap. 8, incendium et eructationem flammarum attingit lib. II, cap. 103; Justinus, Histor. lib. IV, c. 1, 5 et 14; Solinus, Polyhist. cap. XI. E poetis caussas flagrantis Ætnæ exponunt Lucretius libro VI, a versu 639 ad 702, qui easdem plane caussas percenset, ac Lucilius, et huic adeo inspectus et ad imitandum propositus videtur; præterea Ovidius, Metam. lib. XV, v. 340 ad 355; Claudianus, de Rapt. Pros. lib. I, v. 151—176. Poetice eructationem flammarum pingunt Pindarus, Pyth. Od. I, στροφ. β; Callimachus in Del. v. 141; Oppian. de Venatione, lib. I, v. 271; Æschylus in Prometh. v. 351, seqq. Virgilius, Æn. lib. III, 511—582, et obiter Georg. lib. I, 471 seqq. Collata Pindari et Virgilii super flagrantia montis Ætnæ carmina comparat Gellius, Noct. Att. lib. XVII, cap. 10, ex eoque Macrobius, Saturn. V, 17. Brevius et partim sub Typhœi vel Enceladi, flammas spirantis, specie describunt Ovidius, Metam. V, 349 seqq. Val. Flaccus, Argon. lib. II, 24—33; Silius Ital. lib. XIV, 59 seq. Papin. Stat. Theb. XII, 274 seqq. Lucanus, lib. V, 99; I, 645; X, 447. Poetarum locos dedit Fr. Hesselius ad Vibium Sequestr. in Ætna, pag. 294, edit. Oberlini. Plures sunt alii, qui obiter tetigerunt, quos memorare nihil juvat.

II. Etsi Cornelius Severus ob rationes hactenus adductas privandus jure est, quod adhuc in poema de Ætna habere visus est, idque concedendum Lucilio Juniori, poetæ parum adhuc cognito, nolo tamen Severum eo loco, quem adhuc inter poetas minores tenuit, plane demovere, et quum fra-

Digitized by Google

gmentum carminis ejus de morte Ciceronis sane pulchrum et luculentum cum aliis nonnullis exstet, hæc non solum in præsenti carminum serie collocavi, sed etiam nunc, quæ de ipso poeta apud Veteres memorantur, hoc loco enarrabo. Publii nomen Cornelio Severo præfixit Gorallus, nulla, ut puto, Veterum auctoritate. Meminerunt ejus Ovidius, Marcus et Lucius Senecæ, denique Quintilianus, qui eum versificatorem egregium, et juvenem maxima indole præditum, multisque carminibus in pueritia scriptis inclaruisse refert, sed morte immatura defunctum. P. Crinitus eum diu in agendis declamationibus versatum dicit, quod equidem non video a M. Seneca memorari, qui eum non rhetoris et declamatoris nomine, sed ut poetam laudat (1). Possis tamen hoc inde conjicere, quod Priscianus, lib. X, p. 910 Putsch. Cornelium Severum *in VIII de statu suo* alleget: quæ sane controversia esse videtur, et verba inde producta orationem prosam fatentur. Bellum Siculum ab eo scriptum, nec tamen perscriptum et absolutum ob importunum obitum, refert Fabius. Josephus Scaliger Animadversionibus in Eusebium, num. MMXLVIII, conjectat, apud Fabium pro *Siculum* legendum esse *civile*, ut bellum civile Cæsaris et S. Pompeii, atque inde depromptum carmen in mortem Ciceronis, quod M. Seneca Suasoria VII profert, intelligatur. Ego vero, ut bellum Siculum Augusti cum S. Pompeio gestum a Fabio intelligi existimo, in quo narrando locum habuisse descriptionem Ætnæ, a Seneca memoratam, supra ostendi, ita, cur apud Fabium *civile* scribendum sit, pro *Siculum*, non video.

(1) Similiter *la Popelinière* in Historia Histor. p. 304, et Andr. Schottus, Diss. de claris apud Senecam rhetoribus, Corn. Severum Romanis rhetoribus accensuerunt, quos refutat Petr. *Bayle*, Diction. voc. *Sévère*. Hi videntur eum confundere cum T. Cassio Severo oratore, qui sub Tiberio in exsilio periit. Cum C. Cassio Parmensi eum confudisse videtur Vossius, de Poet. Lat. pag. 14; Serionnius, in Vita Severi, Gallicæ Ætnæ versioni præmissa, cum utroque miscet, ac insuper omnia conturbat.

Digitized by Google

Potuit enim Severus in Siculo bello scribendo caussas ejus a primis initiis repetere, ut occasionem haberet proscriptionis Triumviralis et necis Ciceronis memorandæ, nisi hoc in alio et singulari carmine fecit. Ovidius Severo *carmen regale*, tamquam unicum vel præcipuum ejus opus, tribuit, et propterea alio loco *magnorum Regum* vatem appellat. Vid. Testimonia. Plerique iis verbis tragœdiarum scriptorem designari putant, præcipue Nic. Heinsius ad Ovid. Pont. IV, 2, 1, qui eam interpretationem alio versu Ovidii, Trist. II, 553, probat, *Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis;* item alio loco Horatii, Sat. I, 10, 42, *Pollio regum Facta canit pede ter percusso.* Ego vero etsi tragœdiam carmen regale dici posse concedo, Severi tamen quo minus tale fuisse credam, verba Ovidii *dedit Latio carmen regale* impedire videntur, quæ novum genus carminis, quod Latium ante non habuerit, significant. Tragœdiarum enim scriptores multos ante Ovidium et Severum exstitisse, nemo ignorat. Quando præterea *magnorum Regum vatem* appellat Naso, non aliter hoc videtur posse intelligi, quam Severum magnorum regum res gestas versu celebrasse; magni autem reges ii fere videntur esse, quos Cornelius Nepos singulari libello, ut celebratissimos, memoravit, Cyrus, Darius, Xerxes, Alexander M., Pyrrhus, alii. Accedit, quod fragmenta omnia, quæ supersunt, carminum Severi versus hexametri sunt, nullus in iis iambus, quo tragœdiæ scribi solent. Vossius, de Hist. Lat. lib. I, c. 21, dubitat, an Corn. Severus, qui bellum Siculum scripsit, idem sit Severus ab Ovidio memoratus, qui *carmen regale* dedit. Neque ego existimo tuto hoc affirmari posse. Certe si Quintilianus eumdem utriusque carminis auctorem esse scivit, mirandum est, primarium opus, quo Severus ab Ovidio designatur, a Quintiliano non memorari. Nisi forte hoc ad puerilia opera referendum est, quibus eum maximam indolem ostendisse dicit.

Redeundum est ad Ætnæ poematium, unaque fragmen-

Digitized by Google

tum Severi de morte Ciceronis, ut eorum editiones et commentatores enarremus. Ætnam antiquis temporibus vix seorsum, sed inter opuscula et Catalecta Virgilii editam esse constat. Hæc jam principi Virgilii editioni accesserunt, quam duplicem Jo. Andreas, Episcopus Aleriensis, Romæ anno 1467 vel 1469 adornavit. Harum in altera et posteriore certe Ætna, Ciris et Catalecta prodierunt, quum prima tantum Diras, Copam, Priapeia et nonnulla alia exhiberet. Vid. Heynius, tomo I Virg. pag. 46, et in Addendis, tomo IV, p. 198. Sequuta est Veneta 1472, fol. per Barthol. Cremonensem, quæ repetita est Romæ 1473, fol. Mediolani 1474, fol. iterumque Venetiis per Nic. Jenson, 1475, fol. Accedunt editiones Virgilii Ascensianæ cum opusculis adjunctis, Parisiis 1500 fol. apud Jo. *Petit*, 1505, fol. 1507, fol. 1515, in-8. Opuscula vel Catalecta Virgilii, majoribus ejus operibus adjuncta, cum enarrationibus Domitii Calderini prodierunt, sine adnotato impressionis loco, 1483, fol. iterumque Venetiis per Georgium Arrivabenum Mantuanum, 1489, fol. et per Barthol. de Zannis, 1508, fol. Cum familiari expositione, nescio cujus, opuscula Virgilii prodita dicuntur Argentinæ, per Jo. Knoblauch impressa 1509, in-4; item Porcæ, 1510, in-4; cum Badii Ascensii et Dom. Calderini expositione Lugduni, 1517, fol. Aldus Manutius Ætnam inter Opuscula Virg. edidit 1517. Aliæ multæ editiones prætereundæ sunt, ut Pulmanniana Virgilii editio, Antwerp. 1561, in-8, cum aliis quas ipsi infra a nobis usurpatas nominamus. Præter Virgilianas editiones legitur Ætna, sub Cornelii Severi nomine, in Scaligeri Appendice Virgil. pag. 31, cum Scaligeri et Lindenbrogii in eam castigationibus et commentariis; necnon in Pithœi Poemat. veter. pag. 192, edit. Lugd. 1596; item inter Opera et Fragmenta veterum Poetarum Latinorum a Maittario edita, vol. II, pag. 1583. Scaligeri et Lindenbrogii notas in Catalecta repetiit luculenta editio Virgilii Masviciana, Leovard. 1717,

Digitized by Google

in-4 (1). Separatim Corn. Severi Ætnam, et quæ supersunt fragmenta, cum interpretatione, atque Jos. Scaligeri, Frid. Lindenbruchii, suisque ipsius notis, adjuncto etiam Petri Bembi libro de Ætna edidit Theodorus Gorallus, seu Jo. Clericus, Amstelodami apud Henr. Schelte 1703, et innovato titulo apud Dav. *Mortier*, 1715, in-8. Præcipuum Goralli in hac editione meritum est, quod præter paraphrasin adjectam et emendationes e conjectura factas, pluribus Ætnæ locis e scientia et historia naturali majorem lucem accendit, subinde etiam Scaligeri errata castigavit. Cum versione italica Ætna legitur sub titulo: *l' Etna di P. Cornelio Severo, tradotta in versi volgari da Claudio Nicolo Stampa* in Corpore Poetar. Latin. cum versione italica, Mediolani, 1731, tomo X, pag. 177. Paullo post prodiit Ætna Parisiis, versione gallica et adnotationibus instructa sub indice: *l'Etna de P. Cornelius Severus, et les Sentences de Publius Syrus, traduits en françois, avec des remarques, des dissertations critiques, historiques, géographiques, etc., et le texte latin de ces deux auteurs à côté de la traduction. P. J. Accarias de Serionne, à Paris*, 1736, in-8. *Accarias de Serionne* texto Corn. Severi ad Goralli recensionem repetito apposuit gallicam versionem: versioni notas rariores subjecit, quibus res historicas et mythologicas, plerumque vulgares, explicat. Præmisit vitam Corn. Severi parum accuratam, in qua neque Severum a Cassio Severo oratore, et Cassio Parmensi satis distinguit, neque testimoniis scriptorum, quos allegat, recte utitur. Ætnam etiam præcedere jussit Corn. Severi fragmentum de morte Ciceronis, gallice versum. Subjunxit autem dissertationem de monte Ætna, ubi quatuor capitibus res ad eum montem pertinentes e geographia, mythologia, physica et historia explicat. Quæ dissertatio meo judicio melior pars totius libri est, quamquam et

(1) Perperam de editione Virgilii Masviciana hic mentio fit; nam in ista editione Catalecta quidem Virgilii, non item Ætna legitur. Ed.

Digitized by Google

hic multo plura, multoque accuratius dici poterant. Recentissime singularem operam huic carmini dicavit, et Corn. Severi Ætnam germanica versione luculente interpretatus est Conr. Arn. Schmidius, V. C., ediditque Brunsvigæ 1769, in-8. Qui in præfatione quum de vita et poematibus Severi nonnulla præclare monuit, tum Opitium, Germanicæ poeseos parentem, in Vesuvio descripto frequentem Ætnæ imitatorem sistit, multaque eum inde in suum opus transtulisse, comparatis Latini et Germanici carminis locis, ostendit. Versio Germanica difficillimum, multisque locis obscuris et corruptis impeditum, carmen, intricatis ejus sensibus dextre explicandis, egregie collustrat, ut, si viro doctissimo placuisset ipsi texto poematis castigando curam criticam adhibere, nec in sola Goralli recensione adquiescere, permagno, credam, beneficio hunc poetam ab eo mactari potuisse. Præterea in Collectione Pisaurensi omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum Cornelii Severi Ætna exhibetur tomo IV, qui Pisauri anno 1766 prodiit, atque ethnicos poetas minores et minimos continet, pag. 24, videturque ex Pithœi editione expressa. Commentatoribus et interpretibus Ætnæ præter hactenus memoratos accensendus est Casp. Barthius, qui Advers. libro XVII, 5, XLIX, 6, multa hujus poematis loca emendat et illustrat. Insignem ejusdem locum a versu 302 ad 310 a pluribus mendis liberat et diligentius interpretatur Jo. Frid. Gronovius in Epist. ad Nic. Heinsium, tomo III Syllog. Burm. pag. 74. Nonnullos etiam locos Ætnæ castigavit Janus Vlitius in Comment. ad Gratii Cyneg. Nostra memoria ad carmen illud excutiendum accessit, et Goralli maxime interpretationes vocavit sub examen Frid. Otto Menckenius in Miscellaneis Lips. novis, volum. V, parte I, num. VIII, et parte II, num. VI, quibus locis *P. Cornelii Severi de Ætna carmen a præposteris Joannis Clerici conjecturis vindicatur.* Antonius *de Rooy*, Gymnasiarcha Snecanus, anno 1764, Trajecti ad Rhen. forma octava publicavit

Digitized by Google

Conjecturas criticas in diversorum poetarum spectacula, M. Val. Martialis Epigrammatum libros XIV, et P. Cornelii Severi Ætnam, ubi quatuor et viginti circiter versus ejus poematis emendat. Etiam Jac. Philippus *d'Orville* in Siculis, parte I, cap. XIV, aliquam ad hoc poema operam contulit, atque illud non quidem integrum, ut in Bibliotheca Lat. Fabriciana novæ editionis perhiberi videtur, sed locum ejus longum et difficilem a versu 480 ad 506 castigatum et illustratum dedit. Ad hæc parte II ejus operis, p. 317, Petr. Burmannus e descriptione fratrum piorum in Ætna, v. 622, ad finem aliquot versus ex Nic. Heinsii conjecturis et codicum MSS fide castigavit. Cujus loci etiam Casp. Barthius plures versus emendat ad Claudiani pios fratres, epigr. XXV, p. 1044. Hi quidem sunt, quorum animadversiones in carmen Ætnam libris impressis continentur, et abs me reperiri potuerunt. E manuscriptis libris non alia mihi ad recensionem poematis subsidia adfuerunt, quam codex chartaceus Virgilii, cui carmina minora cum Ætna adjuncta, in publica Academiæ nostræ bibliotheca servatus, et anno 50. sæculi XV pulchre quidem, sed vitiose ab imperito librario scriptus, post emendatus hic illic a doctiore manu. Codicis Florentini variantes lectiones a versu inde 137 ad 285, quas vir doctus ad oram Ætnæ in Pithœi Epigramm. et Poem. vet. notaverat, ex eo libro descriptas exhibent Acta Societatis Lat. Jenens. vol. V, pag. 3. Quæ nisi dudum emendatoris manum expertæ sunt, optimum eum et præstantissimum codicem declarant, pluribusque locis plane corruptis sanitatem et lucem, aliunde non sperandam, afferunt, et magnum desiderium integri codicis nanciscendi et describendi possunt injicere. Nescio hic Florentinus cod. an idem sit Mediceus Claudiani, cui carmen de Ætna adscriptum fuit, et cujus mentionem hoc in proœmio feci, neque hoc e Wilhelmi Langii Catalogo codicum MSS Bibliothecæ Mediceæ potest intelligi, qui omnes Latinos omisit. Humanitate Jul. Car. Schlægeri,

Digitized by Google

viri ill., accepi excerptas castigationes et notas in Virgilii Culicem et Cirin, in Corn. Severi Ætnam, in Moretum, et Catonis Diras, quas Jo. Christophorus Wolfius margini Epigramm. et Poem. vet. Pithœi, editionis Genev. 1596, sua manu adscripserat. Sed quæ ad Ætnam pertinent, admodum paucæ sunt. Nonnullas etiam conjecturas in Ætnam mecum humanissime per literas communicavit vir ingenio et doctrina clarissimus Laurentius Santenius. Superest, ut exemplaria Virgilii impressa, quibus Opuscula ei adscripta, et in his Ætna, adjuncta sunt, enumerem, quæ in recensione poematis contuli, in meisque adnotationibus nominavi :

Venet. Est editio operum Virgilii Veneta cum comment. Servii, Donati, Probi, Domitii, Landini, Mancinellii. Adjunctis Opusculis inest Ætna cum comment. Domitii Calderini. Excusa hæc editio est Venetiis per Bartholomeum *de Zannis*, 1508, fol.

Lugd. Lugdunensis cum iisdem commentariis, impensis Ciriaci *Hochberg*, 1517, fol. Ante Æneida habet Opuscula Virg. et in his Ætnam, a Badio Ascensio et Domit. Calderino exposita.

Hag. Virgilius cum Phil. Melanchthonis scholiis, adjunctis epigramm. et opusc. Virg. Hagonoæ per Johann. Secerium, 1531, in-8.

Bas. Publ. Virg. Maronis Opera, tomis duobus distincta, quorum altero opera, altero opuscula et Catalecta tenentur. Basileæ apud Barthol. Westhemerum, 1546, in-8. Titulus indicat, collata esse varia exemplaria. Et Æneis habet in margine varietatem lectionis Jo. Pierii Valeriani. In Opusculis, et in Ætna adeo, notatæ varietates a quonam sint, non constat.

Luc. Est editio Operum Virgilii omnium cum variorum commentariis, studio Ludovici Lucii, Basileæ per Sebast. Henricpetri, 1613, fol. Opusculis et Catalectis

Digitized by Google

adjuncta sunt scholia Pomponii Sabini et Ascensii, Ætnæ solius Ascensii. Videtur textum sequi edit. Aldinæ, quam tamen ipsam mihi conferre non licuit.

His subsidiis instructus, collatisque tum veterum librorum lectionibus, tum virorum doctorum conjecturis, textum Ætnæ ipse constitui, et partim a mendis, quæ hoc carmen obsident, perquam multis, partim a sinistra quorumdam interpretatione vindicavi, ut credam, non nihil a me ad meliorem poematis valde corrupti et obscuri intelligentiam collatum esse.

Cornelii Severi *fragmentum de morte Ciceronis* e M. Senecæ Suasoria VII transcripsit Crinitus, lib. III de Poët. Lat. cap. 56, et cum aliis ejus fragmentis dedit Henr. Stephanus in Fragm. poet. vet. Lat. pag. 419. Idem dederunt Pithœus, Epigr. vet. lib. II, p. m. 55; Petr. Burmannus, Anthol. Lat. lib. II, epigr. 155, et Jos. Scaliger in Catalectis, pag. 51, qui inscripsit, esse carmen Severi *in obitum M. T. Ciceronis, ex libris de bello civili:* de qua Scaligeri sententia diximus supra. Adjunxerunt etiam Ætnæ Theod. Gorallus, *Accarias de Serionne*, et Conr. Arn. Schmidius. Adnotationes in illud fragmentum præter hactenus memoratos Scaligerum, Lindenbrogium, Gorallum, Burmannum in libris nominatis, scripserunt Andr. Schottus, Jo. Schultingius, Jo. Frid. Gronovius ad Suasorias Senecæ, Casp. Barthius Advers. lib. IX, c. 14, et auctor emendationum in Miscell. observat. vol. VI, t. III, pag. 526, quas postea se ipsum scripsisse professus est Petr. Burm. sec. l. c.

III. Cornelii Severi fragmento subjungendum putavimus C. Pedonis Albinovani fragmentum *de navigatione Germanici per Oceanum Septemtrionalem.* Hic enim Pedo quum jampridem inter poetas minores nominatus sit a collectoribus et editoribus veterum poetarum, nec tamen, si Veterum testimonio stare volumus, alios inter, quam heroicos poetas censeri possit, non omittendam ejus memoriam du-

Digitized by Google

ximus in classe poematum, quam nunc producimus, heroicorum, quamvis ejus carminum nihil aliud, quam modicum fragmentum, afferre liceat. Falso ei adscriptas esse Elegias ad Liviam et de obitu Mæcenatis (nost. huj. ed. t. II, p. 177, seqq. Ed.), tum argumentis tum testimoniis doctorum virorum approbavimus. Ibidem plura diximus ad Pedonem et ejus carmina pertinentia, quæ hoc loco non repetimus. Hoc tantum inculcamus, a Quintiliano diserte inter poetas heroicos referri, quocum Ovidius conspirat, qui Thesei gesta magno ore ab eo cantata testatur, et ob sublimitatem styli *sidereum Pedonem* vocat. Ex studio heroicæ virtutis etiam sumpsisse sibi scribendas Cæsaris Germanici res gestas in Germania videtur, cujus poematis pars superest hodie fragmentum illud, quod de navigatione Germanici agit. Martialis tamen indicare videtur, Pedonem præterea epigrammatibus scribendis operam dedisse : et festivi ingenii hominem fuisse declarat faceta narratio ejus, a Seneca Epist. CXXII commemorata, qui fabulatorem elegantissimum appellat. Sed hæc et alia notatu digna de Albinovano plenius perspici e testimoniis Veterum poterunt, quæ huic libello præfigimus. Navigatio, quæ fragmento eo describitur, ea est, quam Germanicus Drusi filius cum legionibus classi impositis tentavit per flumen Amisiam in Oceanum Septemtrionalem, tertio Tiberii anno, et quam describit Tacitus, Annal. lib. II, cap. 23. Unde apparet, Tiberiani magis, quam Augustei ævi poetam Albinovanum esse, qui et familiaris L. Senecæ fuit, cujus adolescentia in Tiberii principatum incidit, ut ipse fatetur Epist. CVIII. Pleraque ejus carminis tumida sunt, rebus et visis illius navigationis præter modum auctis, ut ferme omnia, quæ eo sæculo inter Romanos de septemtrionalibus, immo extremis quibusque orbis cogniti populis et regionibus, ferebantur, sicut ex Taciti libris de moribus Germanorum et de vita Agricolæ intelligere licet. Et apparet, expressa ea a Pedone esse e relatione redeuntium ex ea expeditione militum,

Digitized by Google

de quibus Tacitus, Annal. lib. II, cap. 24: « Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas: visa, sive ex metu credita ». Cæterum fragmentum illud Pedonis e Senecæ Suasoria I repetitum dederunt Henr. Stephanus in Fragm. poet. pag. 416; Pithœus, Epigramm. et poem. vet. pag. 239; Jos. Scaliger in Catalectis Virgilianis pag. 115; Theod. Gorallus post Elegias Albinovani, pag. 172, et Petr. Burmannus, in Anthol. Lat. lib. II, epigr. 121. Præter editores istos Schultingii et Gronovii adnotationes ad Senecam eum locum haud parum illustrarunt.

IV. Pergo ad carmen quarto loco propositum, *Panegyricum ad Calpurnium Pisonem*, quod denuo multam materiam de vero ejus auctore quærendi præbet. Quam disquisitionem priusquam aggrediar, commodum erit de Pisone, cujus laudibus id carmen scriptum est, quis ille et qua fortuna fuerit, quærere. Enimvero non alius intelligendus est, quam C. Calpurnius Piso, qui conjurationis in Neronem cum primoribus nobilitatis Romanæ dux et caput fuit, ejusque caussa A. U. 818 occisus est, distinguendus a Pisone Frugi Liciniano, qui per idem tempus floruit, et a Galba Imper. adoptatus imperioque destinatus intra paucos dies, Galba sublato, interiit (1). Ad Calpurnium Pisonem propius cognoscendum sufficiet duos adscribere locos veterum scriptorum, quibus mores et virtutes ejus plane ita, ut in carmine quod proponimus, describuntur. Sic enim Tacitus de eo (2): « Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, et ignotis quoque comi sermone et con-

(1) Tacitus, Histor. I, 15 et 43. — Sueton. Galb. cap. 17.

(2) Annal. lib. XV, cap. 48.

Digitized by Google

gressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies. Sed procul gravitas morum, aut voluptatum parcimonia : lenitati ac magnificentiæ, et aliquando luxui indulgebat : idque pluribus probabatur; qui, in tanta vitiorum dulcedine, summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt ». Similia his refert vetus scholiastes Juvenalis (1), nonnulla etiam alia, quæ res in carmine nostro memoratas propius attingunt. « Piso Calpurnius, inquit, ex antiqua familia, scenico habitu tragœdias actitavit : in latrunculi lusu tam perfectus et callidus, ut ad eum ludentem curreretur. Ob hæc insinuatus C. Cæsari, repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinæ uxoris, abductæ sibi ab ipso, deinde remissæ, repetiisse existimabatur. Mox sub Claudio restitutus, et post Consulatum materna hæreditate ditatus, magnificentissimus vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere ». Singulare hoc, quod scholiastes de peritia Pisonis in ludo latrunculorum memorat, copiose laudatur ab auctore panegyrici v. 180 seqq. Uxorem Pisonis a C. Cæsare abductam et remissam Suetonius etiam narrat, Liviam Orestillam nominans (2); sed hic non Pisonem ob repetitum usum uxoris, at uxorem ipsam relegatam testatur. Utrumque relegatum dicit Dio Cassius, lib. LIX. Id factum A. U. 789 (3). Consulatum ejus sub Claudio gestum nusquam invenio, præterquam ab hoc scholiaste, memoratum; tantum Fastorum Consularium confectores, et in his Onuphrius Panvinius Fastorum libro II, A. U. 801 cum Lucio Vitellio ex Kalendis Juliis suffectum fuisse Tib. Claudio Cæsari et A. Vitellio Coss.

(1) Ad Sat. V, v. 109.

(2) In Calig. cap. 25.

(3) Etsi hoc passus Piso a C. Cæsare erat, idem tamen Pisonem postea fecisse, Tacitus refert, et uxorem amici matrimonio abstulisse. Nomen mulieri Arria Galla, priori marito Domitius Silius fuit. Tacit. Annal. XV, cap. 59.

Digitized by Google

probat ex antiqua inscriptione (1). Id egregie confirmat auctor panegyrici, qui versu 68 seqq. eum narrat magnam ex oratione gloriam retulisse, quam die Consulatus, gratias agens Cæsari, in Senatu habuisset. Nempe suffectis maxime Consulibus in usu fuisse, ut gratias agerent Cæsari in Senatu, probat Plinii Consulis, Trajano suffecti, Panegyricus. Divitias Pisonis ingentes, comitatem liberalitatemque in tenuiores, præsertim poetas, et frequentiam in ejus domo salutantium passim etiam alii prædicant. Huc refero Juvenalem, qui Sat. V, v. 108 :

> Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
> A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
> Largiri.

Martialis Pisones vel Calpurnios inter celebratissimos poetarum et rhetorum patronos, ob hunc maxime C. Pisonem refert, eosque æque, ac Juvenalis, cum Senecæ domo ob paria merita paremque ætatem conjungit. Sic enim ille lib. IV, ep. 39 :

> Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
> Et docti Senecæ ter numeranda domus ;
> Prætulimus tantis solum te, Postume, regnis.

Alio epigrammate, lib. V, 54, Apollonium, pauperem rhetorem, dicit, quum alias tam obliviosus esset, ut ne patroni quidem a se salutandi nomen, nisi de scripto, appellare

(1) Decennio serius, nempe A. U. 810 Consulatum Pisonis ponit Lipsius ad Taciti Annal. XIV, 14. Sed is confundere videtur cum alio L. Calpurnio Pisone, qui eo anno Consul cum Nerone Cæs. II fuit. Casp. Barthius, qui Consulatum Pisonis circa tempora Neronis invenire non potuit, collocat eum in anno XIII Trajani, quo Consul fuit, consensu Fastorum, L. Calpurnius Piso ; atque hujus igitur ætatis fuisse auctorem carminis conjicit, ad Claudian. Laud. Stilich. lib. I, v. 28. — Ego vero de anno quo consul fuerit C. Calpurnius Piso nihil certius colligere possum, quam quod Creverius in opere quod inscribitur *Histoire des Empereurs romains*, t. II, refert in fastis consularibus, ubi ad A. U. 808 secundum Neronem Claud. Cæs. Aug. et L. Calp. Pisonem (verisimilius C) Consules conjungit. Ed.

Digitized by Google

posset, nunc Calpurnium salutare posse memoriter, forte quod beneficia ejus crebro repetita acriorem memoriam effecissent:

> Extemporalis factus est meus rhetor:
> Calpurnium non scripsit, et salutavit.

Ex ista liberalitate C. Pisonis, tantopere celebrata, perspicienda est ratio totius carminis, a poeta adolescente et paupere scripti, ut ejus gratiam captaret, et patrocinium Musis suis quæreret.

Cognita autem Calpurnii Pisonis, ad quem scriptum poema est, persona et ætate, facile perspicitur, errasse eos vehementer, qui illud Ovidio aut Virgilio contra temporum rationem adsignare voluerunt. Quem errorem e Pisonibus male confusis ortum esse, testantur quidam codices impressi, in quibus (1) legitur: *Ad Pisonem, ad quem exstat et Horatii Ars Poetica.* Sed et aliis auctoribus hoc poema falso tributum est, quorum ætas magis convenit. Papinio Statio adolescenti Casp. Barthius aliquando adscribere voluit, levi admodum verisimilitudine (2). Idem alio loco (3) auctorem facere Calpurnium quemdam, serius viventem, conatur, et Pisonem, ejus patronum, conjicit eum esse, qui anno XIII Trajani Consul occurrat in Fastis, L. Calpurnium Pisonem. Quæ sententia plane absona est. Nam si Calpurnius quidam fuit auctor carminis, fuit gentilis Calpurnii Pisonis, ad quem, laudata ejus summa nobilitate generis, scribere de semetipso non potuit versu 242:

> .....Nos humilis domus, et sincera parentum
> Sed tenuis fortuna sua caligine celat.

Plurimi eruditorum auctorem poematis M. Annæum Luca-

(1) Sic inscriptum hoc carmen legitur in volumine secundo Veterum Poetarum, Colon. Agrip. 1596, in-12, pag. 400. — Et in editione Amatoriorum Ovidii Gryphiana, Lugduni, 1534. Ed.

(2) Barthius ad Stat. Silv. V, 2, 516, pag. 456. Verba ejus vide inter testimonia.

(3) Ad Claudian. Laud. Stilich. lib. I, v. 28, p. 189.

Digitized by Google

num, Cordubensem, pronuntiant. Hujus sententiæ velut antesignanus est Hadrianus Junius (1), qui nomen germanum auctoris contendit in exemplari legi, quod in bibliotheca ecclesiæ Deiparæ Virginis Atrebatensis, reperiatur, ubi hæc sit inscriptio carminis: *Lucani poema ad Calpurnium Pisonem ex libro Catalecton.* In eadem opinione sunt Jos. Scaliger (2) et Petr. Pithœus (3), qui ad titulum carminis in schedis calamo exaratis inventum provocant: *Lucani Catalecton de laude Pisonis.* Hæc inscriptio utrum ejusdem, an diversi ab eo, quem Junius citat, codicis sit, vix poterit affirmari. Scaligero adsentit Ger. Jo. Vossius (4). Casp. Barthius etsi aliis auctoribus solitus erat id poema tribuere, tamen et hanc de Lucano sententiam ita adoptat, ut putet adeo carmen ad Pisonem ex libro aliquo Silvarum, quas a Lucano scriptas esse auctor vetus ejus vitæ memorat, ductum esse (5). Sed hanc quamvis celebratissimam opinionem de auctore Lucano multi alii justis gravibusque de caussis impugnaverunt. Princeps ejus sententiæ est J. Lipsius ad Tac. Annal. XIV, 14, quem sequuntur Th. Dempsterus ad Rosin. pag. 99; Casp. Barthius ad Statii Silv. II, 7, 54, p. 254 (6); Gisb. Cuperus, Observ. lib. III, c. 1; Oudendorpius ad vitam Lucani e commentario antiquo, not. X; Jo. Alb. Fabricius, Bibl. Lat. lib. 1, cap. 12, p. 227. Primarium ab his viris argumentum ducitur a paupertate et tenui fortuna, quam poeta profitetur, quæ conciliari cum divitiis et splendore Lucani nequit. Præstat hoc gravibus Lipsii verbis enuntiare: « Ille quicumque poeta, ignotus

(1) Animadv. lib. VI, cap. 1.

(2) Initio notarum in Eclogam Lucani in Append. Virg. p. 279.

(3) In emendat. ad Poematia vet. pag. 260.

(4) De Hist. Lat. lib. I, cap. 26.

(5) Barthius ad Stat. Theb. VI, 322, pag. 469.

(6) Confer. idem ad Claud. Laud. Stilich. I, 26; ad Stat. Theb. lib. I, p. 254 et 456. — Advers. XXVII, 13; XLIX, 7.

Digitized by Google

fuit, obscura domo, fortuna tenui: et humilius blanditur Pisoni, quam ut decuerit Lucanum. Ait ecce:

> .....tu Piso latentem
> Exsere: nos humilis domus, et sincera parentum, etc.

At Lucanus certe notus, celeber; per se, perque uxorem prædives. Adde Senecam patruum in aula, qui huic humili et tenui protendere manum potuisset, præ Pisone». Lucani divitiæ adeo notæ et præfulgentes fuerunt, ut Juvenalis, Sat. VII, 80, eum opponat aliis ejusdem ætatis pauperibus poetis, Serrano et Saleio. Vide testimonia. Et constat Lucanum magnis functum honoribus, ut se submittere adeo Pisoni minime potuerit; Quæstorem fuisse et gladiatorium munus edidisse, et sequenti anno accepisse sacerdotium auguratus, ut in ejus vita auctor antiquus scribit (1). Non levius argumentum est, quod Panegyrici in Pisonem nemo Veterum inter poemata Lucani mentionem fecit, quum omnia minima ejus scripta recenseant tum Statius Silv. lib. II, 7, tum vetus scriptor vitæ ejus, quam e vetustissimo codice Jo. Britannicus edidit. Quod Lipsius ab ætate poetæ argumentum petit, qui se nono et decimo anno hoc carmen scripsisse ait v. 249, id equidem nolim valde urgere. Quamvis enim scriptum esse carmen diu post Consulatum Pisonis, et paullo ante detectam conjurationem, dicat, quod temere affirmari nequit, tamen et sic ætas scriptoris propemodum convenit cum temporibus Lucani, qui anno ætatis XXVIII exstinctus dicitur: et Pisonis Consulatum decennio serius, quam par erat a Lipsio poni, supra jam adnotavimus. Quod præterea adjicit Barthius l. c. genus scribendi in eo carmine nullo modo sublimem arrogantemque Lucani genium referre, id facile unusquisque legendo deprehendet,

(1) Immo Consulem designatum cum Plautio Laterano esse eodem anno, quo decessit, scribit Jo. Sulpitius in vita Lucani, sed falso, quia locum Taciti, Annal. XV, 49, perperam intellexit.

Digitized by Google

quamvis et flumen ingenii et spiritus non vulgaris in eodem reperiatur. Quæ a Scaligero et aliis pro Lucano afferuntur, parum juvant. Si in veteri codice Lucano attributum carmen est, id pari errore librarii fieri potuit, ac quondam Ovidio idem adscriptum, et multis aliis poematibus falsi auctores præscripti sunt. Catalecton ambiguam et incertam notionem habet. Scaliger quidem, initio notar. in Catalect. Virgil. p. 219, existimat, κατάλεκτα vocata esse ab iis, qui colligerent, quæ putarent citra controversiam Virgilii esse, a delectu scilicet: nam esse vocem castrensem κατάλογος et. καταλέγειν. At meo sensu, etiamsi Catalecta dicantur, quasi delecta vel allecta Virgilio, id tamen manebit in dubio, jure et ratione hoc factum sit, an minus. Alii vero, fortasse rectius, Catalecta malunt dici, quasi καταλειγόμενα, de quorum auctoribus ambigatur. Quo pacto *Lucani Catalecton* quod dicitur, plane contrariam significationem infert, et poema notat, quod Lucano adscribi quidem, sed dubio jure, soleat. Parum etiam juvat, quod Scaliger e Pisoniana conjuratione pro Lucano colligit, quum Pisonem dicit, cum primoribus nobilitatis Romanæ juvenibus conspiratione in Neronem facta, signiferum ejus consilii delegisse Lucanum, multis jam beneficiis sibi devinctum. Quomodo enim signiferum conjuratæ nobilitatis deligere Lucanum potuit, si is auctor carminis ad Pisonem est, hoc est, talis, qualem semetipsum in carmine profitetur, humili genere natus, et nullis subnixus opibus qui allevari paullum et emergere Pisonis patrocinio cupiat?

Quum tam multa sint, et gravia, quæ carmen in Pisonem a Lucano abjudicandum suadeant, paupertas inprimis et humilis domus, quam auctor profitetur, multum sane miror, nondum repertum esse, qui facile poterat, alium ejusdem ætatis, ingeniosum quidem, sed pauperem poetam, cui poema istud meliore jure adscribatur; miror, inquam, quum Juvenalis, Sat. VII, 80, Lucanum, ditissimum poetam, tam aperte componat cum poetis ejus temporis pauperibus,

Digitized by Google

Serrano tenuique Saleio, nemini in mentem venisse, *tenui Saleio* potius hoc panegyricum Pisonis attribuendum esse, quam Lucano. Ita sane est. Saleii Bassi poetica facultas juxta ac paupertas sua ætate tam nota et celebrata fuit, ut fama utriusque e carmine ad Pisonem, in prima juventute scripto, maxime manasse videatur (1). Auctor Dialogi de Oratoribus, cap. 9, de Saleio Basso in eamdem fere sententiam, ac Juvenalis, loquitur, atque eum, quamvis absolutissimum poetam et magna nominis celebritate florentem, tamen plerumque egere significat, dum eum dicit ex recitationibus crebris poematum suorum, præter laudes inanes, nihil percipere certæ solidæque frugis, neque aut amicitiam inde referre, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium (2). Laudat deinde miram et eximiam Vespasiani Imp. liberalitatem, quod quingenta sestertia S. Basso donasset, procul dubio, ut ejus sublevaret inopiam. Nam mox subjicit auctor: « Pulchrum id quidem, indulgentiam Principis ingenio mereri; quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem ». Ad Saleium respicere inprimis Suetonius videtur, quum Vespasianum dicit, cap. 18, « Præstantes poetas, nec non et artifices, insigni congiario, magnaque mercede donasse ». Quem ita videmus Principis indulgentiam poematum suorum merito expertum, eum cre-

(1) Hoc quodammodo perspici e Juvenale potest, qui, quum Sat. VII, 81, *tenuem Saleium* nominat, id nomen ex ipso Saleii carmine sumpsisse videtur, v. 243, ubi *tenuem fortunam* ipse sibi tribuit. Ed.

(2) Ad ea verba auctoris Dialogi recordor eorum, quæ pastor apud Calpurnium, Ecl. IV, 26 seqq. dicit: « ... quid enim tibi fistula reddet, Quo tutere famem? certe mea carmina nemo, Præter ab his scopulis ventosa remurmurat Echo ». Et animadverti, totum habitum illius Eclogæ IV, pluresque ejus sententias, ad similitudinem carminis ad Calpurnium Pis. scripti, multum accedere, ut verisimile fiat, Calpurnium ad hoc carmen, quod ad gentilem vel cognominem virum scriptum erat, præcipue attendisse, idque studiose legisse.

Digitized by Google

damus etiam potentis amici, ut Pisonis, benignitatem carmine sollicitare potuisse. Neque obscure id ipsum significat Juvenalis, qui quum alicubi *Pisonem bonum*, ejusque largitiones in poetas laudat, Sat. V, 109, alio loco quasi exemplum Pisonianæ largitionis nominat *tenuem Saleium*. Et alia in Saleio observanda cum auctore Panegyrici conveniunt. Ætas certe ea est, ut quum Quintilianus se Saleium Bassum senem vidisse significet, ejus plane adolescentia, vel annus decimus nonus, in tempora Claudii, vel Neronis Cæsaris incidat, quæ Consulatum Pisonis subsequuta sunt. Etiam vehemens et poeticum ingenium, quod Fabius in Basso, nec ipsum quidem senectute maturum fuisse ait, nemo facile talium rerum intelligens erit, quin etiam in Panegyrico agnoscat. Sane rudimenta artis et ingenii in eo talia apparent, quæ potuerint *absolutissimum poetam*, vel *præclarissimum vatem*, ut in Dialogo de Orat. vocatur, promittere. Neque facere possum, quin Casp. Barthii de eo poemate judicio, Advers. XLIX, 7, subscribam: « Adeo dulce, inquit, cultum et eruditum est, ut malim aliis tertio prolixioribus tanto carere, quam isto ». Quando vero idem ἀτιλιστον hoc poema, et in libros aliquot divisum fuisse, idque ex ipso fine apparere existimat, in eo quidem prorsus adsentire nequeo. Plura quidem superesse ait, quæ præsertim de rebus Pisonis privatis et domesticis dici possint, ut laudum ejus ubertatem, et suam in eum voluntatem, ut promptus adulator, demonstret; sed hæc in aliud tempus, aliudque poema differt, quod necesse non est, ut etiam scriptum putemus, et certe scriptum non est, si Piso paullo post, conjuratione detecta, periit. Similiter probare Scaligeri opinionem non possum, qui etiam principium huic poemati deesse credit (1), quod ita in manuscripto viderit incipere:

> .....nihil est, quod texas ordine, longum.
> Unde prius cœpti surgat mihi carminis ordo.

(1) In comment. in Eclogam Lucani, in App. Virg. p. 280.

Digitized by Google

Sed merum hoc glossema est librarii, qui hoc hemistichium in Ciri Virgiliana, ubi 339 exstat, legerat, et quod respondere sententiæ primi versus reperiebat, commodum putabat superscribere.

Itaque nunc, semoto Lucano, auctorem panegyrico Pisonis, novum quidem et adhuc incognitum, sed satis probabilem, Saleium Bassum, dedi, atque iis argumentis confirmavi, ut sperem, eruditos eum probaturos tantisper, donec alius quis aptior certiorque ex antiquitate reperiatur, quod futurum non puto. Dicendum nunc de ipso poemate ejusque editionibus et interpretibus. In quo paucis perfungi licebit. In Virgilianis opusculis et Catalectis nunquam hoc carmen, quantum equidem scio, editum est; nec, qui primus in lucem protulerit, compertum habeo. In Appendice Virgiliana post Catalecta dedit Jos. Scaliger, p. 116; Petr. Pithœus inter Veter. poem. p. 260. Hadrianus Junius integrum et emendatum inseruit Animadversionibus Basil. 1556 editis, lib. VI, cap. 1. Alii editionibus Ovidii et Lucani adjunxerunt, ut Jac. Micyllus Ovidii oper. amatoriis, Basil. 1549, fol. et Francof. 1599, in-8; Gregor. Bersmannus Ovidio, Lips. 1620, itemque Lucano, Lips. 1589; Lucano etiam Theod. Pulmannus, Antwerp. 1576, et 1592, in-8; item Gottl. Cortius, Lips. 1726, in-8. In singulari collectione poetarum quorumdam minorum Lucani panegyricum in Pisonem editum est cum Darete Phrygio de bello Trojano, Gratii et Olympii Cynegeticis, Avieni Descriptione orbis, Olympii et Calpurnii Bucolicis, Antwerpiæ apud Joach. Trognæsium, 1608, in-8. Ex Micylli recensione prodiit inter Veterum poetarum Carmina selecta, Colon. Agrip. 1596, in-12, et sub Lucani nomine in Corpore omnium veterum poetarum Latin. Aurel. Allobrog. 1611, in-4; denique Mich. Maittarius inter Opera et fragmenta vet. poet. vol. II, p. 1590, retulit. In Collectione Pisaurensi poetarum omnium exstat carmen in Pisonem, tomo IV, pag. 253, nullo auctoris nomine adjecto. Separatim olim excusum esse sub

Digitized by Google

titulo, Lucani Catalecton de laude Calphurnii Pisonis, Parisiis 1590, in-12, apud Gillium, memoratur in Catalogo Biblioth. Thuaneæ, Paris. 1679, in-8, parte II, p. 279. Editionum omnium seriem et diversitatem considerantes intelligimus, duas maxime carminis ad Pisonem recensiones, cæterarum principes, factas esse. Prima fuit Jacobi Micylli, qui illud carmen Ovidii operibus adjunctum Basil. 1549 primum edidit, haud dubie ex codice scripto aut excuso antiquiore, qui illud inter cætera Ovidio supposita continebat. Hæc non parum mendosa et perturbata fuit, siquidem Hadr. Junius, Animadv. VI, 1, conqueritur, multa illius carminis in vulgatis codicibus perperam transposita esse, et Scaliger in not. ad vers. 49, pag. 280, observat, diu finem carmini abfuisse, quem ipse tandem in codice suo repererit. Hoc vero vitium præcipuum in Micylli editione, ejusque sequacibus, erat, quod extrema carminis pars inde a versu 250 *Quod si tam validæ* transposita, et in medium carminis locum post versum 71 *Cæsareum grato* rejecta, legebatur, ita ut carmen desineret in versu 249: *Cœperit, et nondum.* Quod videns Scaliger, nec transpositos esse versus satis advertens, finem deesse carmini existimabat (1). Altera eaque melior

(1) Quæ hac pagina de turbato ordine versuum in carmine Saleii antiquarum editionum, eoque per Hadr. Junium et Jos. Scaligerum aliter disposito, scripsi; ea deinceps aliter considerare et judicare cœpi, planeque perspexi, meliorem omnino ordinem esse, quem Micyllus aliique antiquiores editores observarunt, neque adsensu dignam esse mutationem a Junio factam. Nam profecto versus 250 cum seqq. ad finem usque, multo rectius et aptius leguntur post versum 71, *Cæsareum grato*, etc. quod in istis Saleius de eloquentia Pisonis pergit dicere, et ad privatas domesticasque ejus exercitationes transit, quæ post versum 72 amplius exponuntur. Et manifesta est connexio extremi versus: *plura supersunt, Quæ laudare velis inventa penatibus ipsis*, et eorum, quæ versu 72 sequuntur: *Huc etiam* (nempe in penates tuos) *tota concurrit ab Urbe juventus.* Hoc quidem ordine versuum facto carmen desinit in versu 249, *Cœperit, et nondum vicesima venerit æstas*, in quo non satis apparere decursus et finis carminis videtur, unde Scaliger et alii suspicati sunt, finem car-

Digitized by Google

poematis recensio ab Hadr. Junio e scripto libro, mox etiam a Jos. Scaligero ex alio scripto, sed non multum diverso facta est. Junium maxime Pulmannus in Antwerpiensi 1576, et Bersmannus in Lips. 1589 sequutus est, Scaligerum Pithœus, et Trognæsius in Antwerpiensi 1608. Reliqui etiam editores uni vel alteri horum, aut utrique se adjungunt, nisi forte conjectura aut errore ab istis recedunt. In commentatoribus et interpretibus hujus poematis quem, præter Scaliger. et Lindenbrogium ad Catalecta Virg. et Bersmanni brevia scholia, numerem, nullum scio. Casparis Barthii in quosdam locos ejus carminis animadversiones leguntur Adversar. lib. XXII, 22; XXIV, 14; XXVII, 13; XLIX, 7. Locum classicum de ludo latrunculorum a versu 180 multum illustravit Salmasius ad Flavii Vopisci Proculum: totum etiam repetiit et scholiis illustravit Andr. Senftlebius, de Alea vet. cap. XII. Nos ipsi carmen hoc e recensione Gottl. Cortii, ut emendatiore, dabimus. Qui uti textum Lucani e magna collatorum a se librorum scriptorum et editorum copia formatum Lipsiæ 1726 dedit, prolaturus postea majus opus, commentariis et notis suis instructum, quod tamen nunquam lucem vidit; ita carmen ad Pisonem Lucano additum comparatis editionibus diversis, nam manuscriptis in hoc nullis usus est, restituit, atque ex his varias lectiones et conjecturas eruditorum texto subjecit. Has, uti a Cortio collectæ erant, retinendas et repetendas putavi, adjectis nonnullis aliis, quas ipse observaveram. Subjungam iis Bersmanni brevia scholia, tum Scaligeri et Lindenbrogii observationes, quatenus textum illustrant, meis cum annotationibus conjunctas.

V. E Petronii Satirico nonnulla carmina minora resta-

mini deesse. Sed fortasse abruptum ab ipso auctore et imperfectum ad nos pervenit, aut etiam extremorum versuum 247-49 incommoda transpositio a librariis facta est. Nam si forte hi post vers. 240 inserantur, omnino commodius carmen desinet in v. 246: *Annuis, et nostris*, etc. Wernsd. in Addendis. Ed.

Digitized by Google

bant, in collectione mea repetenda. Quæ quoniam pleraque descriptionem vel laudem alicujus rei aut personæ continent, et hexametro versu scripta sunt, commode ea in hanc classem carminum heroicorum transtuli. Solum illud et præcipuum, quod de *Trojæ halosi* agit, quia iambicis versibus constat, necesse habui reliquorum serie heroicorum excludere, et propter argumentum Epitomæ Iliados Homeri, tamquam appendicem, subjunxi. Quæ præterea in Satirico Petroniano occurrunt, collectione mea penitus excludo, quoniam vel brevia admodum epigrammata sunt paucis versiculis absoluta, vel prosæ orationi ita inserta, ut sententiam continuent, nec singulare argumentum teneant, vel denique fragmenta plane manca sunt et particulæ carminum, quæ in Sylloge nostra locum mereri nullum possunt. In explicandis iis, quæ proposui, sæpissime in subsidium vocavi adnotationes Burmannorum, ubi quidem, cur copiis ab iis subministratis non uterer, aut, quæ illi bene dixissent, ego aliter dicerem, vel reticerem, caussa nulla erat. Nomina tamen eorum raro adposui, quod plerumque integra eorum verba adducere locus non permitteret, atque tantum excerpere inde nonnulla, meisque adnotationibus permiscere, necesse esset; tum vero neminem eruditorum forte crederem, quin per se sciret, utrosque Burmannos in ea poemata commentatos esse, neque me eorum operam ignorare, aut negligere potuisse. Profiteri autem id ipsum hoc loco diserte volui, ne quis me aut aliena mihi vindicasse, aut, per quos ipse profecissem, illaudatos reticuisse putet.

VI. Sexto loco adducere placuit e carminibus lapidaribus *Votum Fortunæ Prænestinæ* a T. Cæsio Taurino factum, quod in aliis ejus generis et numero versuum et elegantia eminere visum, et e Burmanni Anthol. Lat. lib. I, epigr. 70, descriptum est. De ejus editoribus et interpretibus, quoniam plura et meliora dicere non habeo, quam dudum Burmannus secundus loco cit. attulit, placet jam, quæ ad notitiam ejus pertinent, ex prima ad hoc carmen adnota-

Digitized by Google

tione ejus, verbis nihil mutatis, memorare: « Legitur Prænestе in antiquissimo marmore, ut adnotavit Scriverius. In codice Moroni notatur, Hostiæ legi hoc carmen, quod in Fortunæ Prænestinæ templo sacravit Titus Cæsius Taurinus, filius Titii Cæsii Primi, mercatoris sive negotiatoris frumentarii, qui decumas Fortunæ persolvit, et centenas coronas voto annuo ei donat. Est satis elegans et antiquum, sed hic illic corruptum. Legitur apud Apianum, pag. 192; Mazochium, pag. 7; Pithœum, initio lib. IV, pag. 147; Scaligerum, lib. I, Catalect. pag. 222; in Inscriptionibus Smetii, fol. XXX, ins. 6, et in Antiq. G. Fabricii, p. 160, tum ex Boissard. Antiq. tomo I, pag. 81: habet Gruterus, pag. LXXII, ins. 5; et hanc inscriptionem ab H. Antonio Coronato, viro erudito, descriptam et sibi missam protulit Aldus Manutius in Orthogr. pag. 6, et in Pighianis inscriptionibus ineditis quoque occurrit. Sed et ipse Pighius ita, ut quondam oculatus testis Præneste totum descripsit epigramma hoc, lectu dignissimum, et a nemine, ut dicit, correcte publicatum, edidit in Hercule Prodicio, pag. 385. Ferretius in Musis Lapidar. lib. I, initio, et Joh. Matth. Toscanus post carmina illustr. Poet. Italor. ubi dedit vetera nonnulla Epigrammata ex vetustis lapidibus collecta, iis hoc quoque inseruit tomo II, pag. 90 et 91: nec non Itinerario suo Italiæ Andreas Schottus, lib. III, p. 580; denique etiam Cosmographiæ suæ Paulus Merula, parte II, lib. IV, pag. 844 (vel pag. 577), et quem minime præteritum decebat, Jos. Mar. Suarezius, lib. I, Prænestes Antiq. cap. XIV, p. 401, qui hoc carmen Valentiniani ævo scriptum putat. Toto etiam commentario illustratum dedit Fonteius, de prisca Cæsiorum gente, cap. V, a pag. 111 ad 120, quem vide. Apud hos tamen omnes non una est lectionis et scripturæ diversitas, ut videbimus ». Hactenus P. Burmannus secundus, cujus etiam adnotationibus in carmine exponendo plurimum utemur.

VII. Simili fere argumento est sequens poema incerti

Digitized by Google

auctoris, *Votum ad Oceanum pro felici navigatione*, ut ipse inscripsi. Petrus Burmannus sec. Anthol. Lat. lib. V, num. CXIII, id nunquam antea editum primus vulgavit ex schedis Nic. Heinsii, qui illud descripserat ex vetustissimo Sancti Germani codice. Et merebatur a nobis repeti et commendari, quum boni ingenii colorem, auctoremque meliorum poetarum sermone innutritum, nec eum ultimæ ætatis, prodere videretur. In membrana veteri hoc carmen pluribus lacunis hians et compendiis scripturæ obscuratum exstitit, quæ Burmannus, nihil temere mutare solitus, in textu suo exprimens repetiit. Ego vero, ne nimium difficilis ejus sensus et impedita lectio esset, emendata aut suppleta verba in ipso textu repræsentavi, scripturæ modum et vitia indicavi in notis (1).

Protulit Burmannus in Anthologia Lat. multa carmina nondum edita, exercitamenta scholasticorum poetarum, heroico versu perscripta, quibus fabulæ quædam singulares, aut themata Virgiliana exponuntur. Sed ea fere omnia e centonibus phrasibusque Virgilianis sunt composita, quo genere carminum nullum mihi unquam contemptius miseriusque visum est. Nempe olim quidem ingeniosi homines centones Virgilianos consuebant, ut verbis poetæ in rem alienam detortis lusum sibi et lectoribus facerent; sed postea scholastici phrases Virgilianas in quacumque re seria constipabant, paupertate ingenii adacti, quod ipsis neque sententiæ satis idoneæ neque verba suppetebant, nisi copias alienas compilassent. Propterea nullum equidem ex his centonibus inferre in meam Syllogen statui, nisi quod forte Medeam tragœdiam, e centonibus constructam, et a Burmanno primum editam, propter antiquitatem dignitatemque operis, aliquando repetendam puto. Sed ex cæteris poe-

(1) Nos vero qui non semper, quamquam sæpissime, Wernsdorfii immutationes probavimus, ubi ab illo secesserimus, monebimus in notis; neque tamen unquam nostras emendationes, ut solemus, in contextum inferre audebimus. Ed.

Digitized by Google

tarum exercitamentis, quæ dixi a Burmanno primum edita, tria fere reperi carmina, quæ mihi aliquem conatum ingenii ostendere, nec illa labe consarcinatarum phrasium affecta videbantur. Unum est, quod *Reposiani Concubitus Martis et Veneris* inscriptum est; alterum *orationem Achillis in Parthenone*, quum tubam Diomedis audiisset, refert; tertium *epistolam Didonis ad Æneam*. Hæc igitur carmina, quoniam et fabulas Deorum et heroum referebant, non indigna judicavi, quæ in classe carminum heroicorum repeterem.

VIII. Et Reposiani quidem poema eorum, quæ nominavi, fere præstantissimum judico, quod Petr. Burmannus, Anthol. Latina, lib. I, num. 72, e Salmasianis et Divionensibus schedis, et e codice Leidensis Bibliothecæ produxit, postea repetiit editor Collectionis Pisaurensis omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum, tomo IV, p. 233. In Msptis idem titulus præscribitur, quem ipsi posuimus; tantum in Leidensi legitur Reposiani Concubitu M. e. V., id est, de Concubitu. Fabulam auctor sibi exponendam sumpsit, quam Ovidius duobus locis, Metam. IV, 189, et Art. Am. II, 561, *toto notissimam cælo* dicit, eoque consilio plurium poetarum inter Græcos et Romanos exemplum sequutus est, qui fabulas de amoribus heroum et heroidum celebratiores singularibus carminibus decantarunt, ut inter Græcos Musæi, qui de Heronis et Leandri Amoribus, Coluthi, qui de Raptu Helenæ, et Claudiani, qui de Raptu Proserpinæ scripsit. Fabula ipsa ex fonte Homeri ducta est, Odyss. lib. VIII, v. 266 seq. ubi eam in ludis Alcinoi ad lyram decantat Demodocus. Inter Latinos luculente exposuit Ovidius, Metam. IV, 171 seqq. et Art. Am. II, 561 seqq. tetigit aliis locis, ut Amor. I, 9, 39, Trist. II, 377: præterea Virgilius, Georg. IV, 345; Papin. Statius, Silv. I, 2, 59; Juvenal. Sat. X, 312. Auctor quidem non optimæ ætatis esse videtur, quod peccata in metrum nonnulla et verba insolentiora demonstrant; sed tamen

Digitized by Google

ingenio non contemnendo usus, scivit fabulam variis rerum adjunctarum descriptionibus, tum sententiis amœnis et commentis picturisque poeticis exornare, neque minus insignem antiquitatis et poetarum veterum notitiam declarat. Quis tamen Reposianus ille fuerit, et quando vixerit, plane ignoratur, siquidem id nomen alias in tota antiquitate non repetitur. Suspicatus sum aliquando, corruptum forte id nomen in codicibus, et notius Nepotiani reponendum esse. Fuit enim Fl. Popilius Nepotianus, qui anno N. C. 301 Consulatum Romæ gessit, et alius ejusdem nominis, forte filius ejus, qui an. 336 (1). Taceo Nepotianum Presbyterum, ad quem exstat epistola Hieronymi, qui etiam defuncto ei Epitaphium ad Heliodorum ejus avunculum scripsit. Sed quis tuto hoc nomen auctori carminis tribuat? In eo recensendo adnotationes Petri Burmanni sec. quibus diversas codicum lectiones contulit, integras quidem, ubi non in aliena digrediebantur, adhibui, cum meisque interpretationibus conjunxi.

IX. Quod sequitur carmen, *Verba Achillis in Parthenone, dum tubam Diomedis audiisset* a Burmanno inscriptum, mera est exercitatio scholastica in eo genere, quo et Rhetores solebant thema ex antiquis historiis vel poetis adeo petere, et quid quisque, quove rerum casu, dixisset, vel dicere potuisset, ficta oratione complecti, quales Rhetorum Græcorum, Aristidis, Dionis Chrysost. Libanii habemus. Burmannus sec. hanc metricam orationem ex schedis Salm. et Divionens. et ex codice Leidensi protulit, Anthol. Lat. libro I, num. 79, repetitam in Collectione Pisaurensi omnium poematum et carminum, tomo IV, pag. 238. Corrupte quidem in schedis Salmas. exstabat IN PARTE NONA, sed dubitari non potest, intelligendum esse Παρθενῶνα, h. e. gynæceum Lycomedis, in quod datus a matre Thetide Achil-

(1) Et Nepotianum Grammaticum et Rhetorem Ausonius laudat in Profess. cap. 15. Ed.

Digitized by Google

les erat, ut sexum celaret, et bello subtraheretur. Ego vero amplius corrigendum censeo *in Parthenone*. Etenim hanc orationem Achilles in cœtu virginum habere, atque iis vale dicere, non contra eas dicere fingitur. Sed pergamus verbis P. Burmanni sec. qui quæ ad declarationem tituli et argumenti pertinent, in prima adnotatione exposuit. « Certissima, inquit, hæc emendatio est, firmaturque ex Scholiaste Homeri ad Iliad. A, 131: Εὐειδὴς γὰρ παρὰ πάντας τοὺς ἥρωας Ἀχιλλεὺς, καὶ γυναικοπρόσωπος, ὡς καὶ ἐν τῷ Λυκομήδους παρθενῶνι ἀγνοηθῆναι, ὅτι εἴη ἀνήρ· ita apud Tzetz. Chiliad. V, Hist. 16, pag. 78. legitur carmen cum hoc titulo περὶ Ἀχιλλέως, τοῦ ἐν τῷ Λυκομήδους παρθενῶνι. Vide Nicephori Basilacæ Narrationes a Leone Allatio editas inter Excepta Rhetorum, cap. 1, de Achille, pag. 137, quo toto capite hoc carmen illustratur: alia dabit Meursius ad Lycophr. v. 276. Carmen hoc, licet non aureæ illius et probatissimæ ætatis, sed poetæ scholastici sit, merebatur tamen, ut in lucem a nobis protraheretur. Conferendum est cum Statii Achilleidos lib. II, ubi Thetis oratione sua Achillem adloquitur et persuadet, ut femineo habitu indutus sexum celet: sed deinde se prodit Achilles, et in turba mulierum, in Scyro insula diem festum celebrantium, præsertim coram Deidamia, qua ardebat, simulatum femineum habitum deponit, et virum exserit. In Divionensibus autem legebatur hoc carmen post Exercitationes scholasticas eodem metro ad themata Virgiliana compositas a Rufino et Coronato, ut inscriptio præ se fert: sed an hoc ejusdem sit auctoris, nescio dijudicare. » Hactenus Burmannus: qui quum variantes Salmasianarum et Divionens. schedarum, ut et codicis Leidensis lectiones, subjunctis notis inseruerit, easdem nobis repetere animus est, aliasque nostras illustrationi carminis impendere.

X. Quæ decimo loco sequitur *Epistola Didonis ad Æneam* pariter a Petro Burmanno sec. ex schedis Divionens. Salmas. et codice Leidensi deprompta primumque edita est Anthologiæ Latinæ libro I, num. 173, repetita in Collectione Pi-

Digitized by Google

saurensi, tomo IV, pag. 237; habetque præfatiunculam quinque versuum præmissam, qua auctor poematium suum lectoribus commendat. Miranda propemodum est audacia auctoris, qui adeo ingenio suo confisus est, ut describendo feminæ perdite amantis, sed deceptæ et desertæ, affectu, summorum poetarum, qui idem tentarunt et difficulter perfecerunt, artem et ingenium se aut superare, aut æquare posse crederet. Etenim, quod Burmannus in prima adnotatione monuit, conferendum est totum hoc carmen cum eximia Didonis querela ad Æneam apud Virg. IV, Æn. 304 usque ad 330, et a v. 365 ad 387, quam pulcherrime imitatum fuisse Ovidium in querela Scyllæ ad Minoem, observavit Ciofanus ad lib. VIII, Metam. v. 108. Idem eam singulari Didonis epistola expressit Heroidum VII. Adjungenda est Ariadnes, pari in fortuna et affectu constitutæ, egregia expostulatio ad Theseum apud Catullum, Epithalamio Pelei et Thetidis, v. 32 seqq. Horum autem poetarum incomparabilem ingenii fecunditatem et eloquentiam adeo non adsequutus est hic deterioris ævi poeta, ut dum Didonis affectum diducere latius, et copiosius exponere orationem cupit, sententiisque hinc inde et argutiis exornare, veram ejus imaginem corrumpat et deleat. Sed talia carmina vel ideo proferenda et legenda sunt, ut decrescentem artis et ingenii elegantiam in poetis serioris ævi cognoscere, iisque comparandis acumen judicii exercere possimus. — Consonum plane Burmanni de hoc poemate judicium, qui hac sententia suam de hac Epistola præfatiunculam concludit: « Quorum (nempe Catulli, Virgilii et Ovidii) admirando aureæ ætatis artificio, si quis conferre vel æquare vellet fetum hunc decrescentis ævi, geniique ad Veterum elegantias non adsurgentis, næ ille pro Junone nubem, aut pro integra ac floridæ juventutis virgine emeritam et effetam anum amplecti vellet. Sed vel ideo hæc sunt proferenda, ut hac etiam in arte constet,

Quantum ævi longinqua valet mutare vetustas ». Ed.

Digitized by Google

XI et XII. Idem in duobus Epithalamiis, quæ dehinc sequuntur, observare licebit, si cum aliis pluribus, quæ apud poetas antiquiores exstant, conferantur. Alterum eorum *Auspicii et Aellæ*, auctore, ut puto, Patricio, primus edidit Barthius in comment. ad Claud. pag. 462, sub finem Epithalamii Palladii et Celerinæ; alterum *Laurentii*, auctore incerto, Nic. Heinsius e vetusto Claudiani codice Bibliothecæ Ambrosianæ descripsit. Utrumque Burmannus Anthol. Lat. libro VI, sub finem inseruit. Quoniam de his epithalamiis eorumque auctoribus, et universo genere, amplius agere, singulari præfatione, iis præmittenda, mihi constitutum est, nunc quidem plura dicere supersedeo.

XIII. Et de Licentii *carmine ad Augustinum*, ejusque auctore et argumento, seorsum agam suo loco, quæ vero ultimo loco XIV posita est *Epitome Iliados Homeri* tam variarum rerum disquisitionem postulat, uti ampliore sermone eas exponere necesse sit. Itaque et huic poemati singulare procemium destinavi.

Digitized by Google

II.

DE ÆTNA POEMATE,

EJUSQUE AUCTORE,

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Donatus in vita Virgilii, cap. 7.

Poeticam puer adhuc auspicatus, in Balistam, ludi gladiatorii magistrum, distichon fecit; deinde Catalecton et Moretum, et Priapeia, et Epigrammata, et Diras, et Culicem quum esset annorum quindecim. Scripsit etiam, de qua ambigitur, Ætnam.

II. Vincentius Bellov. Spec. Histor. VII, 62.

Virgilius de Culice, et Virgilius de Ætna, quos Aurelianenses ad ostentationem et jactantiam circumferunt, inter auctores apocryphos separandi sunt.

III. Jacobus Magni, Sopholog. lib. IV, cap. 10, versum Ætnæ 627: *o maxima rerum*, etc. sub Petronii nomine allegat.

Pietas est, *inquit*, per quam sanguine conjunctis patriæque benevolis officium et diligens cultus tribuitur. Unde Petronius: *O maxima rerum pietas hominum tutissima vir-*

Digitized by Google

tus; quæ scilicet pietas in hoste probatur, ut inquit Ovidius III de Tristibus.

IV. Eumdem versum Ætnæ Vincentius Bellovacensis Specul. moral. lib. XX, cap. 20, sub Petronii nomine adducit.

Quod igitur Petronius pro auctore Ætnæ a nonnullis hominibus ævi medii haberetur, ejus opinionis caussam fuisse arbitror codices antiquos Petronii, qui Ætnam poema, tamquam ejusdem ævi, i. e. Neroniani scriptum, Petronio adjunctum habebant. Unde porro capi aliquod argumentum, vel probabilis conjectura, pro Lucilio Juniore Ætnæ auctore potest.

V. Domitius Calderinus in principio commentarii in Ætnam.

Hoc Virgilianum esse opus plerique ex auctoribus testantur, et Seneca in Epist. adeo, ut Nasonem non ob aliam caussam opus de Ætna dimisisse affirmet, nisi propter Virgilium, quem jam scripsisse compertum habebat. Cornelius Severus etiam ob eamdem causam deterritus traditur. Summa tamen operis est, ut causam Ætnæi incendii referat, non qualem vulgatiores poetæ asserunt, sed quæ a summis philosophis atque poetis exposita sit.

VI. Badius Ascensius, in scholio ad versum 29: *Principio ne quem*, etc.

Hoc unum verbum mihi fidem fecerit, Virgilianum non esse hoc carmen: quippe qui in Georg. II dicit, *Me vero primum dulces ante omnia Musæ, Quarum sacra fero*, etc. et qui ad Musas in Æn. VII dicit, *Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis;* non hic tam severe in poetas animadverterit. Loquitur tamen, quisquis est auctor, de futilibus

Digitized by Google

et non de gravibus poetis. Verum tamen non in tam excellenti opere (de Æneide loquor) fabulam sequutus esset de Ætna, si id vitio dandum censuisset. Præterea, ut taceam stylum non congruere cum Virgilianis Musis (nam multum ab illis friget), etiam hoc testimonio est, quod Tityon hic per septem jugera porrectum videmus, ut in VI Æneidos per novem.

VII. Gyraldus de Poetarum Histor. dial. IV, pag. 259, ubi de Claudiano.

Exstat item poema de Ætna monte, quod an ipsius (Claudiani) legitimum sit, nec probare, nec refellere ausim. Ex antiquissimo certe et castigato codice, qui Francisci Petrarchæ fuisse creditur, illud ego ipse exscripsi.

VIII. Jul. Cæs. Scaliger, Hypercrit. cap. 7.

Ætna tanta est, ut non penitus temere Virgilio attributa esse videatur. Quidam tamen Quintilii Vari autumant, quibus nos interea facile adsentimur: nam Maronis non esse maximum est argumentum, quod nusquam ei similis est; id quod in Diris, et in Ciri plane animadvertimus: nam ne Culicis quidem ita sprevit omnia, quin se ipsum sit imitatus... Grandis igitur poeta Quintilius, nec temere ab Antiquis dilaudatus. Splendida sane oratio, et non vulgaris, etiam sententias quærens et inserens: nihil tamen, quod nos detineat.

IX. Jos. Scaliger initio notarum in Ætnam.

Seneca scribens ad Lucilium hortatur eum, quod is tum esset in Sicilia, ut sibi de Ætna scribat. Ejus verba hæc sunt: *Solennem omnibus poetis locum attingas: quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod jam Virgilius impleverat:*

Digitized by Google

ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit. Itaque quum Ovidius XV Metamorphoseos, Virgilius III Æneidos tantum de eo tractarint, frustra augurantur, hoc poema esse Virgilii, quum ex verbis Senecæ, Cornelii Severi esse necesse sit. Ex quo poemate, quod nobis ex omnium illius scriptoris operum naufragio reliquum est, potes advertere, quantus fuerit ille vir in penetralibus Heliconis, quamque melius nobiscum ageretur, si ille potius injuriam temporis effugisset, quam isti pingues poetæ, Musarum ἐκτρώματα, qui non tam meruerunt, ut in loco legitimorum habeantur, quam ipsi, ubi legitimos desideramus, in vacuum venerunt. Nulli fere poemati magis nocuit, immo, ut ne quid dissimulem, nulli tantum nocuit vetustas. Tantæ ejus sunt maculæ, quas nos breviter indicare contenti erimus. Non enim commentarium instituimus.

X. Nicol. Faber, in notis ad M. Senecæ Suasor. II.

Hujusne Cornelii Severi sit carmen de Ætna, quod Virgilio quidam tribuunt, dubitari potest, et an potius insignem Siciliæ montem non separato opere descripserit; sed quemadmodum Virgilius Æneidos III, Ovidius XV Metamorphoseos, ita etiam ille aliquo librorum belli Siculi. Nam L. Seneca hos tres Ætnæ scriptores conjungit.

XI. Casp. Barthius, Advers. lib. XXXII, cap. 16, initio.

Vel propter nomen, quod merito suo in omnibus, his vero præcipue, literis singulare habet, Josephi Scaligeri traditionibus multa ultro tradenda esse puto, alioqui fortasse non tam facile auferenda. Iis licet accenseas, quod poema priscum de Ætna Corn. Severo adscribit, sane labili fundamento, quum et stylus ejus operis aliud sæculum poscere videatur, licet vetus Grammaticus jam olim de Virgilio

Digitized by Google

disceptatum arguat. Sane carmen est luculentum et eruditum; quod qui leget, fortasse notis meis uti et juvari poterit.

XII. Idem, Adversar. lib. XLIX, cap. 6.

Male consuluerunt judicium suum summi scriptores nostræ ætatis, qui poema de Ætna monte, quod cum Virgilio edi consuevit, Corn. Severo adscribere voluerunt: male etiam nos, qui ei ætati tamen idem alibi vindicavimus, quum argumenta non sint futilia, quæ Christianum ei scripto auctorem velint statuere, quæ alibi producentur a nobis.

XIII. Barth. ad Claud. Idyll. de piis fratribus, p. 1044.

Alludit scriptor Ætnæ, qui stylo, ingenio, doctrinaque non Severum, non Virgilium, sed unum omnium maxime spirat Manilium.

XIV. Idem, in Commentar. ad Pap. Stat. Silv. I, 6, 41.

Poetice et eleganter idem extulit auctor Ætnæ, minime tam vetustus auctor, quam censent summi harum literarum viri, quemque non vanis conjecturis ducor, ut Christianum fuisse credam; quum Bacchum suo pede fluxisse dicit: *Aurea securi quis nescit sæcula Regis?* etc. Ita legenda sunt hæc boni et non inflati poetæ verba, non autem ullo modo Cornelii Severi, ut ex Senecæ loco parum caute pronuntiavit Josephus Scaliger. Nihil enim dissimilius, tam ad poesin, quam ad eloquentiam.

XV. Idem ad Stat. Theb. X, lib. X, 911.

Auctor Ætnæ minime gentium vel Virgilius, vel Cornel. Severus, adeoque ut parum absit, quin Christianus fuisse

Digitized by Google

scriptor perhibendus videatur, ut alibi docebitur..... Ex veteribus poetis nemo similior illi scriptori est Manilio. Sed singula expendenti omnino apparet temporum longe recentiorum, et fere, ut modo dixi, Christianus auctor, certe locutiones multas trahens, sacrarum literarum tractationem fatentes.

XVI. Olaus Borrichius de ætat. Lat. ling. p. 11.

Nec ab hac classe removendus Cornelius Severus, cujus Ætnam adhuc legimus, Virgilio per errorem attributam, et circa postremos Augusti annos perfectam. Hujus enim Severi esse Ætnam hanc, ex epist. LXXIX Senecæ colligimus: *morbo enim tuo*, inquit, *daturus eras, etiam si nemo mandaret tibi, donec Ætnam describas in tuo carmine*, etc.

XVII. Broukhusius ad Tibull. II, 1, 45.

Hoc est, quod argute extulit auctor Ætnæ, nescio si Cornelius Severus, v. 13: *Annua sed saturæ complerent horrea messes, Ipse suo flueret Bacchus pede.*

Digitized by Google

DE

LUCILIO JUNIORE

TESTIMONIA.

I. L. Ann. Seneca in Præfatione libri IV Natural. Quæst. ad Lucilium scripta.

Quum cupieris bene laudari, quare hoc ulli debeas? Ipse te lauda; dic: Liberalibus me studiis tradidi, quamquam paupertas alia suaderet, et ingenium eo abduceret, ubi præsens studii pretium est. Ad gratuita carmina deflexi me, et ad salutare philosophiæ studium contuli. Ostendi in omne pectus cadere virtutem: et eluctatus natalium angustias, nec sorte me, sed animo mensus, par maximis steti. Non mihi inimicitia Gætulici Caii fidem eripuit; non in aliorum personam infeliciter amatorum, Messala et Narcissus, diu publici hostes, antequam sui, propositum meum potuerunt evertere. Cervicem pro fide opposui, etc.

Idem, Epistola XIX.

« In medium te protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia, claræ et nobiles amicitiæ.... Utinam tibi quidem senescere contigisset intra natalium tuorum modum, nec te in altum fortuna misisset! Tulit te longe a conspectu vitæ salubris rapida felicitas, provincia et procuratio, et quidquid ab istis promittitur: majora deinde officia te excipient, et ex aliis alia ». Ed.

Digitized by Google

IDEM, EPISTOLA LXXIX.

Aut ego te non novi, aut Ætna tibi salivam movet. Jam cupis grande aliquid, et par prioribus scribere. Plus enim sperare modestia tibi tua non permittit: quæ tanta in te est, ut videaris mihi retracturus ingenii tui vires, si vincendi periculum sit; tanta tibi priorum reverentia est.

Plura alia Senecæ loca, ad Lucilium spectantia, prolata in Procemio sunt.

II. HONORIUS SCHOLASTICUS, QUI SÆCULO VI VIXIT, LUCILII CUM SENECA MEMINIT IN CARMINE ELEGIACO, QUOD AD JO. EPISCOPUM RAVENNENSEM SCRIPTUM EDIDIT JO. MABILLONIUS, TOMO I ANALECT. VETT. PAG. 364 (EDITIONIS NOVÆ PAG. 387).

Nempe Jordanes, qui forte Honorium sciebat lectione epistolarum Senecæ ad Lucilium, quibus eum sæpius ad mortem non extimescendam, sed condiscendam et præmeditandam, hortatur, multum delectari, scripserat ad Honorium, velut Lucilium, Senecæ nomine, hortatorias literas, quibus ei auctor fuerat, ut sæculum relinqueret, et veram philosophiam, id est, monasticam vitam, amplecteretur. Ad has epistolas respondet Honorius versibus, qui in codice Elnonensi inscribuntur: *Rescriptum Honorii Scholastici contra illas epistolas exhortatorias Senecæ;* in quibus se melius ab eo Seneca, præ isto antiquo, institutum esse, et Lucillum postea se alium futurum esse profitetur. Pars ejus carminis est:

Sed quum te potior Seneca, meliore magistro,
Quem ut moneas, lucem cordis habere facis:
Non dubitare queam Lucillo clarius illo,
Æternas Christi sumere dantis opes.
Cedat opus priscum, vera nec luce coruscans,

5.

Digitized by Google

Nec de catholici dogmatis ore fluens,
Ille mihi monumenta dedit : te vera docente
Nec dedit, infida quæ sibi mente tulit.
Nam quum de pretio mortis regnante perenni
Lucillum imbueret, hac sine morte perit.
At tu quum doceas homines superesse beato
Ex obitu, Christum morte sequendo pia;
Erigis, et Senecam dominus verusque magister
Ingeniis fidei me superare facis.
Unde precor Lucillum alium, nec pectore talem,
Quæ me nosse cupis, scire precando jube.
Discipulumque tuum prius isto nomine dictans,
Conforta, revoca, corripe, disce, mone.

III. Joannes Saresber. Policrat. lib. VIII, cap. 14, p. 526.

Ignotus esset Lucilius, nisi eum epistolæ Senecæ illustrarent.

IV. Just. Lipsius in præfatione ad epistolas Senecæ.

Scripsit autem ad Lucilium: et quis ille? Origine humilis, industria emersit, et ad equestrem ordinem, tum ad Procurationem Siciliæ pervenit. Disces ex his epistolis, si observas. Ingenium illustre fuisse videtur, literis et poeticæ etiam amicum: iisque dotibus Senecæ carum. Laudat mirifice eum, etsi colore quodam et figurate, libri IV Natural. Quæst. initio, quos ipsos libros ei inscripsit. Ostendit ibi sub Caio potuisse, sub Claudio: fidem ejus commendat, invictum muneribus animum, alia digna lectu, si quis virum nosse cupit. In his etiam Epistolis, a juventute se ei amicum fuisse significat, et ætatem perseverasse, etc.

V. Mart. Anton. Delrius in Prolegom. ad Syntagm. Trag. Lat. lib. II, de vita Senecæ, cap. 12, pag. 60.

Ad Lucilium Juniorem Siciliæ Præsidem *sunt* epistolarum libri XXII, epistolæ CXXIV..... Scio hunc Lucilium a

Digitized by Google

multis Balbum vocari; ego tamen malui Juniorem nuncupare, ut passim Seneca compellat. Alius fuit Lucilius Balbus Stoicæ quoque disciplinæ addictus, apud Ciceronem lib. de Natura Deor. Juniorem hunc passim Seneca prædicat, maxime lib. IV Quæst. Natur. Poeta fuit non contemnendus; et hæret animo nonnulla suspicio, quædam istius vulgo Lucilio Satirico tribui.

VI. MATTHÆUS AIMERICHIUS IN SPECIMINE VETERIS ROMANÆ LITERATURÆ DEPERDITÆ, VEL ADHUC LATENTIS, QUOD PRODIIT FERRARIÆ, 1784, IN-4, PARTE I, PAG. 203, HÆC DE LUCILIO REFERT.

« Lucilius, Philosophus et poeta, Siciliæ procurator, et Romanus eques, L. Annæi Senecæ amicus intimus et discipulus, ad quem sunt plures libri Epistolarum Senecæ, et alii Senecæ tractatus. Scripsit poema de monte Ætna, ut indicat Seneca, Epist. LXXIX. Idem Seneca, Epist. XLVI, laudat Lucilii librum ad se missum, ac ejus captum dulcedine totum confestim se legisse testatur. De ejus argumento nihil tradit Seneca. Lucilii hujus scripta, de quibus etiam Seneca mentionem facit Epist. XIX, eorum elegantiam ac auctoris ingenium commendans, desiderantur. Ejus prænomen et patriam nescimus ». ED.

Digitized by Google

DE

CORNELIO SEVERO

TESTIMONIA.

I. Ovidius, Epist. ex Pont. lib. IV, 2, quæ est ad Severum.

Quod legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis.

Ibidem in fine.

At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,
Utiliter studium, quod tibi cedit, ama,
Sacraque Musarum merito cole, etc.

II. Idem ejusdem libri epist. ultima, v. 9.

Quique dedit Latio carmen regale Severus.

III. L. Annæus Seneca, Epist. LXXIX ad Lucilium.

Morbo tuo daturus eras, etiam si nemo mandaret tibi, donec Ætnam describas in tuo carmine, et hunc solennem omnibus poetis locum attingas: quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod jam Virgilius impleverat: ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit.

Digitized by Google

IV. Quintil. Instit. Orat. lib. X, cap. 1, 89.

Cornelius autem Severus, etiamsi versificator, quam poeta, melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi jure secundum locum. Sed eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen ejus opera et maximam indolem ostendunt, et admirabilem, præcipue in ætate illa, recti generis voluntatem.

V. Petr. Crinitus, de Poetis Lat. cap. lvi.

Corn. Severus inter poetas epicos relatus est ab antiquis auctoribus. Ingenio fuit magno, et in scribendis versibus facili. Constat eumdem diu fuisse versatum in agendis declamationibus, qua in re ingenium suum atque eruditionem maxime probavit..... A Fabio Quintiliano ita commendatur, ut versificator, quam poeta melior habitus sit. Scripsit inter alia multa opus de bello Siculo, quod ab eo absolutum non est propter importunum obitum..... Afferuntur versus Corn. Severi a nostris Grammaticis, ex quibus colligi potest, quantum præstiterit ingenio et doctrina..... Ab Annæo Seneca magnopere commendatum carmen est, in quo eleganter deflevit interitum M. Tullii..... Idem Cornelius carmen fecit de Ætna monte, in quo non vulgarem laudem consequutus est, quum alii quoque in eadem materia se exercuerint, ut P. Virgilius et Ovidius.

VI. Lil. Greg. Gyraldus, Histor. Poet. dial. IV, p. 233.

Cornelius Severus poeta fuit et declamator egregius. Scripsit bellum Siculum, quod imperfectum reliquit, importuna morte interceptus. Si enim, ut ait Fabius, perficere potuisset, merito sibi secundum locum vindicasset. Dicitur insuper de Ætna monte carmen composuisse, unde factum,

Digitized by Google

ut poema, quod de Ætna Virgilio adscribitur, Severo nonnulli potius attribuant. Citantur et a Seneca in libris Controversiarum Severi versus, inter quos eos probat, quibus M. Ciceronis necem deploravit.

VII. IDEM GYRALDUS, DIAL. VIII, P. 435.

Erat et cum his (Tragicis) Severus, qui Latio dedit carmen regale, ut idem poeta (Ovidius) scribit, et ad quem exstat Elegia in quarto de Ponto, cujus est initium: *Quod legis, o vates*, etc. Quidam eumdem cum Cassio Severo fecere, ego duos potius statuo: neque enim mihi idem videtur is, ad quem Ovidius hanc scribit elegiam, et is qui Parmensis fuit et dictus est, ut quarto sermone ostendimus.

VIII. GER. JO. VOSSIUS, DE POET. LAT. CAP. II, P. 33.

Augusti item temporibus fuit Cornelius Severus, cujus exstat carmen de Ætna, perperam olim Virgilio tributum. Apud M. Senecam in Suasoria VI etiam ejus de Ciceronis nece versus habemus, credo ex ejus opere de bello Siculo, quod scripsisse testis Fabius in X, cap. I, 89.

IX. IDEM DE HIST. LAT. LIB. I, CAP. XXI.

Etiam poematis, quod Ætna inscribitur, falsoque adscribitur Maroni, Severus hic auctor est, ut colligitur e L. Senecæ epist. LXXIX. At non æque apertum, idemne an alius signetur ab Ovidio, lib. IV de Pont. eleg. ult. ubi sui temporis poetas recensens, inter alia ait: *Quique dedit Latio carmen regale Severus.*

Digitized by Google

III.

SUMMA LUCILIANI CARMINIS

DE ÆTNA.

Propositum Lucilio hoc carmine est, non tam Ætnæi incendii spectaculum ingeniosa oratione pingere, aut fabulas poetarum de eo vulgatas enarrare, quam ejus caussas, vim et alimenta philosophi acumine ex physicis rationibus demonstrare, ad exemplar Lucretii, ita tamen, ut poetæ officium, delectare cupientis, minime negligat, et tenuem disputationem haud raro exemplis et imaginibus aliunde petitis, tum etiam digressionibus et episodiis amœnioribus distinguat. Proposito argumento Apollinem et Musas invocat hoc magis, quod novum et insolitum carmen moliens Phœbo duce opus habeat, et recensitis celebrioribus fabulis, in quibus alii poetæ elaborarint, sibi fortius ait esse consilium ignoti adhuc argumenti, de caussis Ætnæi ignis, explicandi (v. 24). Priusquam hoc aggreditur, explodit varia poetarum de Ætna monte commenta, quum alii divinam Vulcani sedem et domum esse dixerunt (v. 29); alii Cyclopas his quasi fornacibus usos ad fulmina Jovis fabricanda (36); alii denique ignea Ætnæ spiracula a bello Gigantum repetunt, quum ii, cælum coacervatis montibus oppugnantes, Jovis fulminibus dejecti, et præcipuus eorum Enceladus Ætna monte obrutus est, ubi nunc ira æstuans patulis faucibus ignes emittit (41 seqq.). Luculenta hic descriptio belli Gigantei ad versum usque 73. Hæc nimirum est audacia, et hoc ingenium poetarum, quo carmina sua commendare cupiunt. Quidquid apud inferos superosque, et in terra cælove geritur, hoc illi curiose speculati quasi visum et cognitum carminibus suis, tamquam in scena, proponunt, et terram adeo cælumque fabulis et mendaciis complent. Noster, dimissa hac poetarum licentia, suam vult operam in vero quærendo versari, ut disquirat, quæ caussa æstus Ætnæ excitet, et perpetua ei nutrimenta suggerat (90).

Digitized by Google

Tractationem ipsam ingreditur versu 93, ubi primum pro fundamento disputationis suæ ponit, terrarum orbem, quacumque pateat, non penitus solidum atque densum esse, sed introrsum cavatum latebris, et tamquam venis, totum corpus percurrentibus, sectum, aquis atque auris permeari. Hanc structuram terra utrum a prima origine, sic condita, habuerit, an ab accedente aliqua caussa, licet vetusta, a spiritu, ab aquis vel ignibus inclusis, sensim permeantibus, et has sibi vias facientibus, acceperit, id quidem certo doceri non est necesse, res ipsa tamen certis documentis constat (v. 101 seqq.). Etenim si videmus, hic magnos fontes et rapidos torrentes e terra erumpere, illic flumina hiatibus terræ absorberi, et alio loco rursus emergere; quis neget, esse sub terra magnos sinus capacesque meatus, quibus tanta vis aquarum colligi atque emitti possit (116)? Quod si diversos meatus terra habet, quibus flumina excipi et condi, rursusque emitti possunt, nec illud mirum videri debet, esse spiracula, quibus ventis, terra inclusis, liber exitus detur (127). Argumenta ejus rei præbere possunt, quæ passim oculis nostris observantur, ingentes voragines et ruinæ desidentis terræ, tum et cubilia aeris et antra in silvis late effossa, profunditatis incompertæ, e quibus manifestè præjacentibus documentum capere possumus ignotarum voraginum, quæ sub alta terra latent (134). Has cavernas terræ occultas attendamus oportet, ut vim ignis subterranei intelligamus. Hic enim quum inclusus maxime sævit, et obstantia quæque perrumpit, in ea tamen loca maxime vertitur, quæ vi ejus magis cedunt, et teneriores cavitates habent, unde terræ tremores et motus nascuntur (145). Si quis existimet, hos tantos motus e meatibus in summa terræ ora patentibus oriri, atque vires accipere posse; is cogitet, ventos et ignes hiante speluncæ introitu, quia libere errant, languere, angustis faucibus et profundis cavitatibus, quibus compressi ægre moveantur, opus esse, ut solum concutiatur (157). Exposita terræ universæ natura cavernosa, ventis ignibusque concipiendis apta, pergit auctor ad Ætnam montem, a versu 174, in eoque hæc omnia manifeste probari, ipsisque oculis cerni affirmat. Et postquam interiore in cavitate Ætnæ ostendit lapides arenasque flagrantes et exustas glomerari, confertimque ejici, hinc colligit, ventum atque ignem hujus miraculi caussas esse, ventum igni motum et vim addere, ut et incendat corpora in Ætnæ visceribus, et incensa magno impetu eru-

Digitized by Google

ctet (ad versum 217). Postquam rationem incendiorum Ætnæ exposuit, nunc, iterumque erumpat, et quibus rebus interim alatur incendium, ait se quæsiturum, et talem quæstionem arduam quidem, sed utilissimam et hominis ingenio dignam esse pronuntiat: quem non deceat pecudum more, quæ miranda sint, tantum oculis videre, nec caussam cujusque rei quærere. Unde in eorum laudem excurrit, qui naturæ studio ducuntur, omniaque mundi phænomena, astrorum cursum et vim, anni et tempestatum varietates, et mirabilia quæque per rerum universitatem distincte nosse desiderant: quo in studio divinam simul atque jucundam animi voluptatem esse dicit (v. 249). Sed magis tamen ad hominem pertinet rerum terrenarum, quam cælestium, cura: et in his magis homine dignæ sunt artes, quibus liberalis aliquis fructus animi, quam quibus utilitas et lucrum quæritur (271); qualis inprimis est illa, quæ, quid terra in visceribus occultet, quæque adeo caussæ fremitus Ætnæi montis vel excitent, vel sopiant, indagare studeat (283). Ut igitur caussam infrementis mugitus montis ostendat, hunc ait non solum diversis in partibus auras diversas admittere per cavernas, sed etiam, unda vicini maris per meatus delapsa, vento admisso premi atque fugari, quemadmodum in Tritone resonante, et in organo hydraulico fiat, in quibus aqua vento impellitur, et spiritus aqua concitatus sonum edit (299). Credibile etiam est, subinde ventos intra montem nasci in subterraneis specubus, ut quando rupes aut alia corpora, igne concepto soluta, aut pondere suo abrupta, ferentur in vacuum, et lapsu vicinum aerem impellunt. Quod adeo in aperto aere fieri videmus, ut nebulæ non crassæ, in locis irriguis per vapores humidos exortæ, ventum modicum concitent; is vero in arctioribus faucibus, ubi aer constrictus, et aqua accedente suffocatus, pugnat, pondere autem suo majores vires nanciscitur, multo, necesse est, vehementius ruat, et obstantia quæque perfringat (327). Neque venti per easdem Ætnæ cavernas subeunt, per quas erumpunt. Hoc inde apparet, quod, quamvis (summa) sit aeris serenitas, supra Ætnam tamen semper obscura et immota nubes manet, quam neque fugat æstus Ætnæ, neque absorbet, et, si modo profundum montis quietum est, possunt adeo in summo ejus jugo sacra Numinibus fieri (341). Hac occasione quærit poeta, qui fiat, ut tantus ignis et ventus Ætnæ non saxa declivia in cavernas deripiat, et fornices suspensos demoliatur. Ejus rei caussam dicit esse miram rapi-

Digitized by Google

ditatem torrentis spiritus, qui tanta levitate et celeritate, quanta vix oculorum conjectus, feratur : similemque ait esse faci lustrali, quam ubi sacerdos in lustrationibus quatit, ora quidem et corpora omnium flammæ exagitatione afflantur, nihil tamen eorum, quæ admota fax lambit, aduritur aut rapitur (356). Ex his concludit, totum impetum ignis Ætnæi ex auris externis internisque concurrentibus oriri, atque his actum arenas et saxa ingentia eructare, non secus ac silvis Aquilone agitatis per brachia ramorum complicata ignem conceptum serpere et propagari videmus (364). Nec opinari cum vulgo debemus, ac si, quum aliquando mons quiescit, id propter exhaustas ejus vires, et deficientem incendii materiam fiat. Interior et latens caussa est, quæ eruptionem moratur. Fieri potest, ut quandoque fauces meatuum ruinarum congerie oppleantur, qua postquam aliquamdiu oppressi sunt venti, velocius urgent et perrumpunt objectas moles, et acrior flammæ impetus fit (382). Jam pergit auctor ad considerationem materiæ diversæ, igni concipiendo aptæ, qua incendium Ætnæ alitur. Est vero perpetuo ardens sulfur, crassum bitumen in Ætnæ visceribus, quod ipsi fontes e montis radicibus erumpentes atque odore infecti demonstrant (393). Pars ejus materiæ adeo præ oculis jacet, toto monte conspicienda, lapidis instar, et pingui succo flammam alens. Lapis præsertim molaris caussa incendii est, adeo rigidus, ut si in manum sumas, ferro possis ignem extundere, sed facile domare et liquefacere, si in multum ignem conjicias, quem ubi semel concepit, denso ac stipato corpore diutissime calorem nutrit, nec, sæpius licet hausto igne, plane destruitur (423). Aliis quidem in locis novimus similes cavernas ignem emisisse, in quibus etiam major copia materiæ incendio aptæ nascitur, sed quæ ipso coloris signo prodit, non tantam ei vim ignis sæpius reparandi inesse. Sic Ænaria insula, flagrans quondam, nunc plane exstincta est. Campus inter Neapolin et Cumas, quamvis multo sulfure pinguis, jam multis ab annis frigidus. Strongyle insula, multo quidem sulfure et silice constat, sed raro incenditur, quod materia non apta flammis diutius alendis. Alia denique ex Æoliis insula, Hiera, majore in parte dudum refrixit: altera parte, quæ minor et sat pingui solo est, ardet quidem, sed non ea ardentis materiæ copia est, quæ Ætnææ æquiparetur (446). Sed certas incendii caussas in ipsa Ætna demonstrant ardentes lapides, quibus mons circa latera

Digitized by Google

atque imis radicibus oppletus est. Nempe lapidem illum molarem potissimum ignis pabulum esse, hinc manifestum est. Quomodo autem hinc generetur et exundet incendium, deinceps ostenditur. Nempe primum lapidem molarem, dum igne concepto flammas jacit, ipso ictu vicinam materiam accendere, ut secum liquescat. Quod dum fit, exterius quidem videri vehementiam ignis remittere, sed certa adesse indicia flammæ mox erupturæ. Nam statim ac venti flare incipiunt, solum tremere, atque hic illic rimas agi, et flammas cum murmure ejici. Tum effervescente montis incendio rupes accensas sequi, et fragmenta montis cum magno arenarum nimbo provolvi. Quæ quia in montem non recidunt, hic quodammodo defessus respirare videtur, tum disjectæ ignis copiæ in apertum refunduntur. Qui vero ejiciuntur lapides, maximo igne excocti, scabri sunt, quasi quoddam purgamentum, omni succo atque humore exsuti. Hic tamen humor, dum congeries pumicum paullatim e vertice montis exsiluit, in alias montis partes altius adscendit, et liquefactus molaris magis magisque effervescens e crateribus instar fluvii exundat. Qui fluvius sæpe duodecim millia passuum progreditur, nullo obice retardatus, et obstantia quæque prosternit aut absumit: in profundiores valles delapsus pluribus fluctibus supervolvitur, et ad ripas aliorum fluminum perveniens consistit ac frigore duratur. Tum prior ejus facies mutatur; efficiuntur moles fumantes, quæ suo pondere devolutæ et solido inflictæ fractæque candent et scintillant. Si contigerit, ut quædam massæ ripas amnis superaverint, tum eæ tanta mole et altitudine indurescunt, ut vix cuneis dimoveri queant (506). Hac ratione effluvii Ætnæi exposita, explodenda est fabulosa opinio, qua creditur, plures alias materias, variæ proprietatis, cum molari lapide liquefacto misceri, et bitumen adeo ac sulfur cum lapide concretum flagrare; siquidem aiunt et cretam posse exustam liquefieri, ut figuli confirment, post autem rursus frigore indurescere. Sed ratio, quæ ex communi quodam signo ducitur, admodum levis est. Certius tibi argumentum afferet comparatio lapidis molaris cum ære. Nam hic perinde ac ænea massa, sive liquefactus flammis, sive nullas expertus fuerit, retinet proprietates suas, nec quidquam ex odore et levitate mutatur, tantum quod alius alio fragilior est. Neque tamen negandum est, alios etiam lapides esse, qui exardescant. Siculi nonnulla saxa *Fricas* vocant, et nomine ipso fusilia indicant, quæ tamen minime

Digitized by Google

liquescunt, nisi venæ lapidis molaris permista sint (532). Posthæc amplius probatur lapidis molaris fusilis natura, ne cui nimis mirabilis et incredibilis videatur. Nihil esse ab igne insuperabile: densissima etiam corpora eo domari, æs igne liquescere, plumbum et ferrum adeo omnium durissimum; lapides etiam, quibus auri semina admixta, in fornacibus pretiosum metallum exsudare. Etiamsi lapis hic durus, exiguo igni in aere aperto admotus fortasse resistat, clausa tamen fornace vim ejus perferre non posse. Multo autem majorem et vehementiorem, quam qui arte humana excitari possit, ignem in Ætnæ cavernis esse, sacrum scilicet et perennem, et cælestium ignium fulminumque naturæ propiorem. Ad cujus vires accedere ingentem flatum venti, arctis faucibus elisi, quo haud aliter, quam follibus fabrorum ferrariorum, massam ferri cudere laborantium, ignis vehementia augeatur (561). His expositis poeta summam hactenus dictorum et universam incendii Ætnæi rationem brevi epiphonemate complectitur (564). Coronidem poemati imponit auctor pulcherrimo epilogo, quo lectores ad spectaculum naturæ mirificum in Ætna propius contemplandum excitat, reprehensa prius vana curiositate hominum, qui res memorabiles et vetustas, apud exteros inveniendas, ædes magnificas, templa, statuas, urbes eorumque rudera, picturas et monumenta alia rerum gestarum spectare avidi, peregrinari et cunctas fere gentes percurrere satagant, hoc miraculum Ætnæ negligant (599). Addit tamen, montis hujus, quamvis rarius spectati, famam jam antiquitus miranda aliqua fabula divulgatam esse, illa nempe de piis fratribus, Amphinomo et Anapia, magno Ætnæ incendio parentes suos, humeris sublatos mediis e flammis urbis exportantibus. Qua fabula narrata ipsum carmen concludit.

Digitized by Google

I.

LUCILII JUNIORIS

(VULGO CORNELII SEVERI)

ÆTNA.

ÆTNA mihi, ruptique cavis fornacibus ignes,
Et quæ tam fortes volvant incendia caussæ;
Quod fremat imperium, quid raucos torqueat æstus,
Carmen erit: dexter venias mihi carminis auctor,
Seu te Xanthos habet, seu Delos gratior illa,

1. *Ruptique*, i. e. erumpentes. Sic solet Lucilius, v. 58: « per attonitas rumpuntur fulmina nubes »; et 198: « fragor tota nunc rumpitur Ætna ». Respexit Virgilium, Georg. I, 472: « Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam ». Et similiter Statius, Theb. XII, 275: « remugit Enceladus, ruptoque vias illuminat igni ».

3. *Quod fremat imperium:* quidnam illud sit, quod imperet, cogat Ætnam fremere, et raucos æstus torquere.

4. *Carmen erit*, materia seu argumentum carminis, ut Olympius in Laud. Hercul. v. 10: « Alcides mihi carmen erit ». — *Dexter venias mihi carminis auctor.* Lugd. et Hag. ed. habet *dexter mihi carminis auctor Apollo*, omisso *venias*, quam vocem necessariam extriverunt, qui *Apollo* e glossemate intulerunt. Et similiter Statius, Silv. V, 1, 14: « modo dexter Apollo, Quique venit juncto mihi semper Apolline, Cæsar Annuat ». Meminit Virgilii in Culice, v. 12: « Phœbus erit nostri princeps et carminis auctor ».

5. Versum hunc et sequentem edd. Venet. Lugd. et Hag. cum cod. Helmst. transponunt, manifesto errore, quum *faventes* in versu 6 necessario referendum sit ad sorores in v. 7. Una adeo Lugd. *tecumque Phaselis* legit pro *tecumque faventes*. Scaliger temere adsentiens vetustioribus, manifeste corruptis, non alia re offenditur, quam Dodona, Phœbo, non Jovi, adserta, atque

Digitized by Google

Sive tibi Pytho est potior; tecumque faventes
In nova Pierio properent a fonte sorores
Vota: per insolitum Phœbo duce cautius itur.
Aurea securi qui nescit sæcula regis?

hinc legendum suadet: « dexter mihi carminis auctor Apollo, Seu tua, Dodona potior, tecumque Phaselis, Seu te Cythnos habet, seu Delos gratior illa ».—*Seu te Cynthos habet.* Sic omnes scripti et impressi ante Gorallum, et sequenti versu *Seu tibi Dodone potior.* Sed quia Cynthus mons in ipsa Delo est, quæ post nominatur, et *Dodone* non Apollinis, sed Jovis oraculo nobilis est, hinc Scaliger ibi legere vult *Seu te Cythnos habet*, Gorallus multo probabilius *Xanthos*, et sequenti versu *Seu tibi Python est potior.* Est autem Xanthos, urbs Lyciæ, ad Xanthum fluvium, Apollini sacra: Python est urbs Delphi, olim eo nomine appellata. Hinc Tibull. II, 3, 27: « Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho ». Xanthus, Delus, Delphi vel Parnassus sunt loca Phœbo maxime amata, et a poetis in tali invocatione perpetuo junguntur. Vide Virgil. Cul. 13 seq. et Æn. IV, 143; Stat. Theb. I, 696. Itaque Lucilium hoc loco non aliter scripsisse verisimile est, atque Gorallus summa ratione verba emendavit, nisi putamus, auctorem ex errore plane falsa posuisse. Quod tamen Gorallus emendationem suam in textum intrusit, id reprehendit auctor exercitationis de Inscript. Deliacis, cap. 13, in Miscel. Observ. Crit. vol. VII, t. I, p. 89. Idem existimat *Python* nomen serpentis ab Apolline dejecti esse, urbis autem *Pytho*, meliusque emendari a Gorallo potuisse *Sive tibi Pytho potior*, aut *Seu Pythona tibi potior;* quemadmodum in aliis nominibus urbium *Ancon* et *Ancona*, *Croton* et *Crotona*, *Salamin* et *Salamina* scribitur. Librarios corrupisse hos versus, et temere posuisse nomina urbium sibi notiora, demonstrat etiam *Phaselis*, inter urbes Apollini sacras plane falso posita loco verbi *faventes*.

7. *In nova properent vota:* veniant ad auxiliandum in argumento exsequendo, quod insuetum poetis, nec ab alio tentatum est. Sic loqui solent poetæ, qui argumentum adeunt, a vulgaribus poetarum fabulis alienum. Virg. Georg. III, 3 seq. Similiter Manilius, III, 1: « In nova surgentem, majoraque viribus ausum, Nec per inaccessos metuentem vadere saltus, Ducite, Pierides ». Lucret. I, 921 seq. Olympius, Cyneg. 8 seq.

8. *Per insolitum.* Hoc exemplo Lucretii, V, 100: « Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis, Ut fit, ubi insolitam rem apportes auribus ante ».

9. *Aurea securi.* Rex securus Saturnus, quia sub eo homines omni cura et metu vacui degisse dicuntur. Ovid. Metam. I, 99, de aurea ætate: « sine militis usu Mollia securæ peragebant otia gentes ». Calpurn. I, 42: « Aurea secura cum pace renascitur ætas ». Ipse Saturnus vocatur *aureus* Virgilio, Georg. II, 538.—Ex hoc vs. Barthius, nescio qua ratione motus, scriptorem Ætnæ Christianum conjiciebat. Ed.

Digitized by Google

Quum domitis nemo cererem jactaret in arvis,
Venturisque malas prohiberet frugibus herbas;
Annua sed saturæ complerent horrea messes,
Ipse suo flueret Bacchus pede, mellaque lentis
Penderent foliis, et pingui Pallas oliva,

11. *Venturisque*, i. e. proventuris, nascituris. Virgil. Georg. II, 10: « nullis hominum cogentibus, ipsæ Sponte sua veniunt »; et lib. I, 54: « Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ ». — *Malæ herbæ*, quæ sponte nascuntur et frugibus nocent, sarritione evellendæ, de qua Colum. II, 12. Carduum, lappas, tribulos, lolium nominat Virgil. Georg. I, 152 seq. et Plin. XVIII, 17, 2.

12. *Annua sed saturæ*. Veneta, Lugd. et vetustiores aliæ legunt *sacræ*, quod Ascensius interpretatur *Deorum dono, aut beneficio naturæ sponte nascentes*. Satis idoneum rei verbum, nec sine ratione a Scaligero et Gorallo receptum. Sed plures tamen antiquæ et MS Helmst. habent *saturæ*, quod de abundantia frugum ad satietatem implente, et aliis poetis et Nostro usitatum. Persius, I, 71: « Nec rus saturum laudare ». Et Noster inf. v. 265: « Horrea uti saturent, tumeant et dolia musto ».

13. *Suo flueret B. pede*, i. e. copia et ubertate sua exundante, quia pes a poetis rivo et flumini tributus nihil aliud, quam cursum ex affluentia aquarum notat; ut Horat. Epod. XVI, 48: « Levis crepante lympha desilit pede ». — Et Lucretius, de fonte amnis loquens, V, 272: « . . . inde super terras fluit agmine dulci, Qua via secta semel liquido pede detulit undas ». Et fortasse ex eo Virgil. Cul. v. 17: « Castaliæque sonans liquido pede labitur unda ». Ed. — Simul respicere videtur ad uvas pede calcatas, et prelo expressas, ut dicat, vinum ipsius quasi Bacchi pede, h. e. sua sponte, et nullius hominis labore, expressum fluxisse. Certe Bacchum ipsum hoc fecisse prima vindemia, narrant poetæ. Vid. Calpurn. Ecl. X, 63. Sic fere loquutus est Manilius, maturitatem autumni significans, Astr. III, 662: « Tum Liber gravida descendit plenus ab ulmo ». Minus aptum videtur, quod Gorallus putat, voce pedis hic signari racemi *pediculum*, ita ut hoc velit poeta, ex ipsis racemis, sine torcularis opera, fluxisse vinum. In qua sententia equidem acquiescerem, si constaret, pediculum, vocabulum rusticorum proprium, eodem sensu pedem a poetis vocari, vel pro racemis poni. De rivis vini et mellis fluentibus passim poetæ. Virg. G. I, 132, de Jove regnum adepto, « passim currentia vina repressit ». Et vid. Ovid. Metamorph. I, 111; Tibull. I, 3, 45; Horat. Epod. XVI, 47, et Carm. II, 19, 11.

14. *Penderent foliis*, quod fluerent ex arboribus, ab apibus sine hominum cura elaborata. Sed intelligi etiam potest mel, quod ex arborum quarumdam foliis colligitur, sponte natum et succi instar exuberans. Ovid. l. c. « Flavaque de viridi stillabant ilice mella ». Et Virg. l. c. de Jove auferente uber-

Digitized by Google

Secretos omnes ageret quum gratia ruris.
Non cessit cuiquam melius sua tempora nosse.
Ultima quis tacuit juvenum certamina Colchos?
Quis non Argolico deflevit Pergamon igni

tatem prioris ætatis : « Mellaque decussit foliis, ignemque removit ». Conf. Ovid. Am. III, 8, 40.

15. *Secretos omnes.* MS Helmst. et omnes editi ante Gorallum habent *amnes*, idque pendere faciunt a superiore versu. Unde Ascensius explicat : quum *Pallas secretos* rivos, i. e. secrete et tacite fluentes, *ageret*, duceret ex *oliva* pingui arbore. Sed sic connexa oratione non apparet, quo referendum sit *quum gratia ruris*. Hoc igitur, relatum ad præcedens *Secretos ageret*, suadet, ut legamus *omnes* hoc sensu : Gratia et amœnitas ruris invitabat omnes, ut secreti et seorsum per rura, nulla certa sede, vagarentur, nec in unam civitatem coirent. Barthius Advers. XXXII, 16, et ad Stat. Theb. VIII, 214, leg. arbitratur *Secreti somnos ageret quum gratia ruris*. Et Anton. *de Rooy*, in Conj. Crit. p. 94 : « Securos omnes aleret quum gratia ruris ».—*Gratia ruris*, interpretante Gorallo, est jucunditas vitæ rusticæ. Ed.

16. *Non cessit cuiquam.* Nemini cuiquam contigit, concessum est, sua ipsius tempora melius, quam sæculum aureum e narratione poetarum, cognoscere : tam crebro et copiose illud descriptum est. In lectione hujus versus nihil variant libri. Simili sententia Juvenalis de tritis poetarum fabulis, Sat. I, 7 : « Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus Martis, etc. » — Erravit in hoc loco exponendo Scaliger, qui intelligi jubet : « Nemo tanti fecit nosse sua tempora, ut scilicet ad sua potius, quam ad illa remotiora tempora animum suum adjiceret. Videtur tunc non recordatus, quæ vis esset locutionis *bene* et *melius cessit*. Ed.

17. *Ultima*, antiquissimam Argonautarum expeditionem in Colchos. Manil. III, 9 : « Colchida nec referam, vendentem regna parentis ». Juven. I, 10 : « unde alius furtivæ devehat aurum Pelliculæ ». — *Certamina* vocantur *Colchi* eo sensu, quo quælibet expeditio, contentio, labor ad præmium obtinendum, ipsumque illud, quod quæritur, præmium Latinis poetis *certamen* dicitur, sicut Græcis ἆθλον. Sic Virgil. Georg. II, 530 : « Velocis jaculi certamina ponit in ulmo » ; et Æn. V, 66 : « Prima citæ Teucris ponam certamina classis ». Colchi erant certamina Argonautis posita, quod præmium ab iis quæsitum, vellus aureum servabant.

18. *Quis non Argolico.* Multi de Trojano bello et excidio scripserunt, quorum aliquos tetigit Ovid. Pont. IV, 16. Perperam Gorallus edidit *Pergamon impositum*. Nam omnes mei scripti et excusi habent *impositam*, et notum est, ab Homero Pergamon, arcem Ilii, feminino genere dici, quamvis Noster infra v. 586, *flebile victis Pergamon*, et alii *Pergama* neutro genere dicere maluerint. — *Impositam igni* dicit, quasi cadaver pyræ, igne subjecto urendum. Et in rogo Hectoris ipsum jam Ilium arsisse dicit auctor Epi-

Digitized by Google

Impositam, et tristem gnatorum funere matrem,
Aversumve diem, sparsumve in semina dentem?
Quis non perjuræ doluit mendacia puppis,
Desertam vacuo Minoida litore questus?
Quidquid in antiquum jactata est fabula carmen.

tomes Iliados Homeri, versu 1069.

19. *Tristi natorum funere matrem*, sic habent antiquæ, et dedit Gorallus, potestque explicari ut illud Virgilii Æn. III, 618: « Domus sanie dapibusque cruentis ». Calderinus et Heinsius intelligunt de Medea. Scaliger, primo, de eadem, mox de Ærope, Thyestis uxore; denique his rejectis de Jocasta, quæ filios mutuis vulneribus confectos amisit. Similiter Barthius in Advers. de Jocasta, qui tamen, ut poeta magis mirum dixisse videatur, scribendum putat *germano funere patrem*, de Œdipo intelligens. Gorallus melius existimet propter præcedentia de Hecuba agi. Sed nec hoc mihi satis probatum. Videtur singularis fabula tangi de matre, ob filiorum amissionem unice memorabili, qualis est Niobe. Hanc significari persuadet Olympius, qui Nioben inter notiores poetarum fabulas refert, et Lucilium imitatus est, Cyneg. v. 15: « Nam quis non Nioben numeroso funere mœstam Jam cecinit? » Unde et hic lego *tristem natorum funere matrem*.

20. *Aversumve diem*. Male et Pithœus et Scaliger ediderunt *Adversum*. Nam de cœna Thyestea sermo est, ob quam Sol avertisse radios dicitur. Tangit et hanc Olympius, v. 40, et Manil. III, 18: « Natorumve epulas, conversaque sidera retro, Ereptumque diem ». — *Sparsumve in semine* omnes mei præferunt. Sed Scaliger et Gorallus maluerunt *in semina*, quia dentes vice seminum fuerunt; quod non improbo. Fabulam narrat Ovid. Met. III, 101 seq. et IV, 570.

21. *Perjuræ doluit mendacia puppis*, i. e. dolenter descripsit mendacia perjuri Thesei, qui Ariadnen, Minois filiam, nave avexit a Creta, sed in Dia insula contra fidem juratam reliquit. Videatur Ovidius, Metamorph. lib. VIII, 174 seq. et quæ notavimus ad Pentadii Elegiam, tomo II hujus operis, p. 317. Ed. — Conquerentem de perfidia Thesei Ariadnen inducunt Catullus in Epith. Pelei, et Ovid. Her. X. Unde Tibullus, III, 6, 41: « Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus, Ingrati referens impia facta viri ».

23. *Fabula carmen*. Sic omnes libri. Gorallus autem cum Scaligero *crimen* mavult, et *jactata est* deponentis significatione, pro *jactavit*, accipiens, sic interpretatur: quidquid fabulæ de priscorum sceleribus jactarunt. Ego vero, si hæc mens poetæ, nescio cur ille *jactata est* scribere voluerit, quum æque potuisset usitatum *jactavit*. Lego: « Quidquid item antiquum, jactata est fabula, carmen », h. e. Quidquid item pro antiquo carmine habetur, fabulam vulgatam et valde jactatam continet. — Tò *in* compendio scripturæ ex *item* ortum est, et comparandus versus Olympii, Cy-

Digitized by Google

Fortius ignotas molimur pectore curas:
Qui tanto motus operi, quæ caussa perennes
Explicet in densum flammas, eructet ab imo
Ingenti sonitu moles, et proxima quæque
Ignibus irriguis urat: mens carminis hæc est.
Principio, ne quem capiat fallacia vatum,

neg. 47, qui hunc vers. Lucilii expressit: « Omnis et antiqui vulgata est fabula sæcli ».

24. *Ignotas molimur*, ignoti et intacti adhuc argumenti carmen meditamur. *Moliri* de difficiliori negotio apte dicitur.

25. *Qui tanto*. Quid sit illud, quod tantum opus moveat. — *Opus* auctor hoc poematio vocat ipsum illud, quod maxime vult exponere, quod intra Ætnæ viscera fit. Sicut Gratius eadem voce designare solet actum vel negotium venationis. Helmst. cod. hic a manu secunda *Quis tantos motus operit* (forte *aperit*) *quæ tanta perenni.*

26. *Explicet in densum*. Gorallus exponit, expediat flammas in tam densa materia, sc. per densam terræ molem, eamque comburat, et post *densum* subaudiendum *solum*, aut quippiam simile. Sed refragatur Menckenius in Misc. Lips. nov. et negat illud *in densum* de loco vel materia, in qua versatur ignis, valere posse, sed de eo, *in quem* explicantur flammæ; præterea vix ostendi ex vetere auctore locum posse, in quo *solum*, aut simile quippiam, dicatur densum. Itaque ex usu frequentiore linguæ *densum* exponit de concreto aere, qui terrarum orbem ambit. E pluribus hunc locum Horatii adducit Carm. II, 7, 14: « Denso paventem sustulit aere », et qui maxime nostri poetæ mentem aperit, Ovid. Met. XV, 250: « Ignis enim densum spissatus in aera transit ». Id sane vult Lucilius, ignes Ætnæ ita explicari, ut inde spissa nubes, densus vapor evadat. Schmidius, vir cl. pariter hic densitatem terræ intelligit, et in textu edidit *Explicet in denso*, quam lectionem equidem in nullo alio inveni. In reliquo versu omnes antiquæ meæ habent *et ructet*; melius tamen Gorallus dedit *eructet*, quod et Virgilius usurpavit. Helmst. corrupte *flammas et rudat ab imo*, ut videatur *trudat* scribere voluisse. — *Eructet moles*. Virgil. Æn. III, 575: « Interdum scopulos avulsaque viscera montis Erigit eructans ». — Hoc verbo frequentes et subitæ fumi et ignis eruptiones optime describuntur. Festus: « *Erugere* semel factum significat, quod *eructare* sæpius ». Ed.

27. Helmst. corrupte: « Mollescent proxima quæque ».

28. *Irriguis* Gorallus explicat per poros ac meatus manantibus, adeoque de ignibus intra viscera montis intelligit. Ego potius intelligo de materia ignita et massa liquefacta, quæ post incendium e faucibus Ætnæ effluit, et proxima rura permeans vastat et exurit. Hi vere sunt ignes irrigui, quasi rivi et canales manantes per terram. Sic *irriguus fons* apud Virgil. Georg. IV, 32, et *irrigui canales* Calpurn. II, 35.

Digitized by Google

Sedes esse Dei, tumidisque e faucibus ignem
Vulcani ruere, et clausis resonare cavernis
Festinantis opus; non est tam sordida Divis
Cura, neque extremas jus est demittere in artes
Sidera; seducto regnant sublimia cælo
Illa, neque artificum curant tractare laborem.
Discrepat a prima facies hæc altera vatum.
Illis Cyclopas memorant fornacibus usos,

30. *Sedes esse Dei.* Vulcanum intelligi, mox sequitur, quem hic habitare et officinam habere dicebant, licet hanc alii cum Virgilio Æn. VIII, 416, in Vulcania insula, inter Siciliam et Liparam, collocent. Ætnam Vulcano sacram dicit Solinus, cap. XI, domum Vulcani Gratius, v. 433; et *Deus Ætnæus* Vulcanus vocatur a Val. Flacco, II, 420.

31. *Resonare cavernis.* Explicat Virgil. Æn. VIII, 420: « Antra Ætnæa sonant, validique incudibus ictus Auditi referunt gemitum, strideuntque cavernis ».

32. *Festinantis opus*, fabrile sc., fulmina Jovi, arma heroibus fabricare properantis. Sic Vulcanum σπεύδειν dicit Homerus Il. XVIII, 472, et apud Virgil. Æn. VIII, 439, ipse Vulcanus festinans « Tollite cuncta, inquit... nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis... Præcipitate moras ». — *Tam sordida Divis cura*, opificiorum nempe, quæ sordida habentur. Cic. de Off. I, 42: « opifices omnes in sordida arte versantur ». Lactant. Inst. Div. I, 18, 23: « Minerva est, quæ omnes artes reperit; ideoque illi opifices supplicant. Ergo ab his sordibus Minerva ascendit in cælum ».

33. *Extremas in artes*, ad vilissima opificia, quæ ab hominibus ultimi loci exercentur. — *Demittere*, quasi de culmine et fastigio suo; *dimittere* Helms. — Notandum usus τοῦ *jus est* pro *fas est*, non quidem per legem, sed per rectam rationem quæ fabulis adversatur. Ed.

34. *Sidera* vocat Deos, ut infra, v. 44 et 51; et Calpurn. X, 21. — *Seducto*, i. e. semoto et alte sublato: sic recte cod. Helmst. ed. Ald. et Lugd. Sic et apud Ovid. Met. IV, 622, Perseus per aera volans *ex alto seductas æthere longe Despectat terras*. — Similiter a Lucretio, I, describitur natura Deum: « Semota a nostris rebus sejunctaque longe ». Ed. — Perperam Ascensius huc trahit versum Persii II, 4: « Quæ nisi seductis nequeas committere Divis ». Male Hag. Basil. Pith. Scal. ed. *subducto*, quod est dempto et ablato.

36. *Discrepat ... facies hæc altera vat.* Minimum discrepare hæc altera species vatum a prima videtur, quum, qui Ætnam Vulcani officinam faciunt, illi et Vulcano Cyclopas ministros plerumque addant. Ausim igitur legere *facies haud altera*. Omnes tamen libri *hæc*.

37. *Illis* habent omnes. Scaliger tamen vult *Illi*, i. e. altera species vatum.

Digitized by Google

Quum super incudem numerosa in verbera fortes
Horrendum magno quaterent sub pondere fulmen,
Armarentque Jovem; turpe est sine pignore carmen.
Proxima vivaces Ætnæi verticis ignes
Impia sollicitat Phlegræis fabula castris.
Tentavere, nefas, olim detrudere mundo
Sidera, captivique Jovis transferre Gigantes
Imperium, et victo leges imponere cælo.

38. *Numerosa in verbera*, ut Virg. Æn. VIII, 452: « magna vi brachia tollunt In numerum ».

39. *Magno sub pondere*, nempe malleorum ingentium.

40. *Sine pignore*, sine auctoritate, signo vel argumento veri. Hoc significatu sæpius utitur Noster, ut v. 133 et 458, et Gratius sæpius, ut Cyneg. 300: « Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent ». Similiter Ovid. Fast. III, 64: « et ut credar, pignora certa dabo ». — Addatur locus ejusdem Ovidii, Metam. II, 538, ubi ita Phaeton patrem adloquitur: « Pignora da, genitor, per quæ tua vera propago Credar ». Ed. — Barthius in Adv. *carmen sine pignore* breviter explicat *carmen vanum*, pro quo, vel in quod nemo pignus dare velit.

41. *Proxima* est ea fabula, quæ *impia*, impium bellum contra Deos commenta, *Phlegræis castris*, bello eo in campis Phlegræis gesto, *sollicitat*, excitat et exoriri facit, *ignes vivaces*, quos *perennes* versu 25 dixit, *Ætnæi verticis* vel montis. — Ita plane Lucretius, V, 163, dicit *sollicitare mundum ex suis sedibus, et ab imo evertere*, pro scribere, quemadmodum futurum sit ut evertatur. Ed.

42. *Phlegræis castris* habet Helmst. et pleræque vet. quod etiam vult Heinsius ad Ovid. Metam X, 151; *campis* Lugd. et Φλεγραῖον πεδίον Græcis dictum. Phlegram et Phlegræos campos alii in Chersoneso Macedonica ad sinum Thermaicum, alii in agro Cumano Italiæ, ignibus subterraneis exusto et cum hoc adeo bellum giganteum, ponunt: insigni scriptorum dissensione, de qua luculente disputavit Gesnerus ad Claudiani præfat. de VI Cons. Hon. pag. 444. — *Phlegræa* quoque *castra* nominat Statius, Achill. lib. III, pag. 622, ed. Cruc. « Sic quum pallentes Phlegræa in castra coirent Cælicolæ ». Opinio, qua campi Phlegræi in Italia ponuntur, hoc præcipue confirmari videtur, quod Diodorus Sicul. ait eum in Italia circa Cumas pugnasse cum Gigantibus, Biblioth. IV, 228. Vid. nost. Claudian. vol. II, p. 94. Ed.

43. *Detrudere mundo*, h. e. cælo, ut mox. Hoc sensu mundus sæpe appellatur; Manilius, lib. I, 3, « Sidera diversos hominum variantia casus, Cælestis rationis opus, deducere mundo Aggredior »; et lib. I, 759: « Æthereos vivunt annos mundoque fruuntur », quem locum imitatur Calp. VIII, 40. Plura exempla dabit Drakenborch. ad Sil. Ital. XII, pag. 336.

Digitized by Google

His natura sua est alvo tenus; ima per orbes
Squameus intortos sinuat vestigia serpens.
Construitur magnis ad prælia montibus agger;
Pelion Ossa terit, summus premit Ossan Olympus.
Jam coacervatas nituntur scandere moles,
Impius et miles metuentia cominus astra
Provocat infestus: cunctos ad prælia Divos
Jupiter e cælo mittit, dextramque corusca

46. *His natura suos alvo.* Sic Lugd. Hag. Luc. at rectius *his natura sua est* Basil. Scaliger, Pith. Gorall. et Helmst. e correctione. Nempe gigantibus dicit alvo tenus naturam suam, i. e. hominum, non alienam sive mixtam aliena esse. *Suum* dici, quod est ejusdem naturæ, multis exemplis probat Gronov. Observ. lib. I, cap. 11. Quale hoc est Virgilii, Georg. IV, 82, de arbore, cui surculus alienus insertus: « Miraturque novas frondes, et non sua poma ». — Sic et Plinius, Hist. Nat. XXXIII, 4: « Aprum arrugia quæsitum non coquitur, sed statim suum est »; hoc est suæ naturæ, sine mixtura vilioris metalli, aut alienæ cujusquam materiæ. Ed.

47. *Sinuat vestigia serpens.* In antiquis excusis esse *simulat vestigia*, affirmat Scaliger; ego nusquam inveni: *sinuat*, i. e. flectit in sinus, de serpentibus usitatissimum. Virg. Æn. II, 208: « sinuatque immensa volumine terga ». Gigantibus hominum corpora cum serpentibus, loco pedum, adfingunt poetæ. Ovid. Fast. V, 37, « Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues »: hinc *serpentipedes gigantes* dicuntur Ovid. Trist. IV, 7, 17, *anguipedes* Metam. I, 184; et inde *geminus Briareus* Virgil. Æn. VI, 287.

48. *Agger* est via munita et instructa, ut probavimus ad Sev. Sancti carm. Bucol. quod de Mortib. boum inscribitur, v. 39. Gigantes montes construebant, ut per hos via esset in cælum. Hinc Gratio, Cyneg. 63, gigantes dicuntur *cælum aggeribus tentare superbis ausi.* Et Claudian. Bell. Get. vs. 70: « et in astra negatas Tentarint munire vias ». — *Agger viæ;* Virg. Æn. V, 273, vol. III, p. 31, nost. edit. Ed.

49. *Ossa terit.* Scaliger in antiquis esse libris ait *Ossa creat;* idem ego in Helmst. Lugd. et Hag. invenio: neque tamen æque mihi, ut illi, placet. Fortasse vero *tegit* sit probabilius.

50. *Jam coacervatas.* Male Pithœus edidit *conservatas.* Catull. Epithal. Pel. v. 364 dicit *excelso coacervatum aggere bustum.*

51. *Metuentia astra*, Deos valde sibi timentes ab impetu gigantum: de quo timore et alii poetæ. Horat. Carm. II, 12, 7: « Telluris juvenes, Unde periculum fulgens contremuit domus Saturni veteris »; et Carm. III, 4, 40: « Magnum illa terrorem intulerat Jovi Fidens juventus horrida brachiis ».

52. *Cunctos ad prælia Divos.* Vid. Excursus primus ad calcem hujus carminis.

Digitized by Google

Armatus flamma removet caligine mundum.
Incursant vasto primum clamore gigantes.
Hic magno tonat ore pater, geminantque favente
Undique discordes comitum simul agmine venti;
Densa per attonitas rumpuntur fulmina nubes.

54. *Armatus flamma.* Helmst. ms. *coruscam Admotus flammam.* Lugd. et Basil. *dextraque coruscam Armatus flammam. Removet caligine* Scalig. Pith. Luc. Gor. *renovat* Lugd. Basil. Hag. quod Scaliger probat. Sed hoc ineptum declarandæ poetæ sententiæ videtur, et *removet* aptius, quod tamen falso Gorallus putat per hypallagen intelligendum pro *removet caliginem a mundo;* sicut et Drak. ad Sil. I, 84 statuit. Nam contra, quam hi putant, poeta significat, Jovem, quo magis gigantes ab oppugnandis Diis prohiberet, *caligine* obducta *removisse*, h. e. occultasse, contexisse *mundum* vel cælum. Sic Ovidius eo verbo usus est Fast. II, 493 : « Sol fugit, et removent subeuntia nubila cælum ». — Equidem Gorallus in hanc sententiam inductus videtur, eo, quod Jupiter ante dicitur dextram armasse flamma, et propterea sic versum interpretatur; Jupiter fulmen arripit, et fulgetrorum flammis omnem caliginem discutit. At Jupiter fulmina et fulgetra emissurus prius nimbis et nubibus involvit cælum, etc. Alia ejus erroris caussa est, quod Statius, Theb. III, v. 320, ait, *armat in nube manum*, aut, quod Virgil. Georg. I, 328 : « Ipse pater media nimborum in nocte corusca Fulmina molitur dextra ». Et conf. infra vers. 604.

56. *Hic magno tonat ore pater:* ut scilicet clamorem gigantium opprimat, magna ipse voce minatur Jupiter. Quæ quidem vox Jovis in tonitru est, sed tamen et alii Dii dicuntur tonare. De Plutone Claudian. R. P. I, 83 : « tunc talia celso Ore tonat »; et Virgil. Æn. VI, 607 : « Furia intonat ore ». — *Geminantque faventes... venti.* Sic MS Helmst. et ex meis edd. una Basil. cum Gorall. Sed *geminat... ventos* omnes reliquæ. Rectius videtur *geminant*, ut venti ipsi dicantur vim suam et tonantis patris sonitum augere, quemadmodum Virgil. Georg. I, 333 : « ingeminant Austri et densissimus imber ». Helmst. cod. habet *fovente*, i. e. *favente*, quod tractum ad *agmine* multo commodiorem sensum fundit, meritoque abs me receptum est.

57. *Undique discordes:* qui ex diversis contrariisque regionibus flant. — *Comitum simul agmine*, id est, *favente* vel conspirante *comitum* vel sociorum cujusque *agmine*, pro quo Virg. Æn. I, 82 dicit : « venti velut agmine facto ruunt ». Et idem similiter Æneid. X, 356 : « magno discordes æthere venti Prælia ceu tollunt, animis et viribus æquis ». Laur. Santenius, v. cl. in literis ad me datis volebat : « geminatque fragorem. Undique discordi coeunt simul agmine venti ».

58. *Rumpuntur fulmina:* sic MS Helmst. ed. Lugd. Basil. *funduntur* reliquæ. Illud fortius, et ex usu Lucilii, qui v. 1 *ruptique cavis for-*

Digitized by Google

Quin et in arma ruit quæcumque potentia Divum;
Jam Mars sævus erat, jam cætera turba Deorum.
Stant utrimque metus; validos tum Jupiter ignes
Increpat, et jacto proturbat fulmine montes.
Illinc devecta verterunt terga ruina
Infestæ Divis acies, atque impius hostis
Præceps cum castris agitur, materque jacentes

nacibus ignes, et 360: « Ardentesque simul flammas et fulmina rumpit ».

59. *Quin et in arma :* sic Scaliger et Pithœus ediderunt: reliquæ omnes meæ *Atque in arma.* Helmst. habet *Et quæcumque in*, cum lacuna. Scaliger volebat *Æquaque in arma ruit.*

60. *Jam Mars sævus erat.* Sic Scaliger et Pithœus et Gorallus ex Aldina ed. hoc est, jam acriter pugnabat: reliquæ meæ *Et Mars.* Hag. *erit.* Lugd. *jam et cætera.* Virgil. Georg. I, 511: « Sævit toto Mars impius orbe ». Scaliger legere vult: « Et Mavors sævus, et cætera turba Deorum, Stant utrimque metu », quod dici posse putat quemadmodum alibi *stant pulvere nubes.* Sed hoc parum aptum videtur.

61. *Stant utrimque metus.* Sic omnes, h. e. in utraque acie fuit, quod altera metueret. *Stare* pro *esse* poetis frequens. Horat. Carm. I, 16, 19: « ultimæ stetere caussæ ».

62. *Increpat*, cum crepitu emittit: ductum ab iis, qui crepante et indignante voce imperant quid aut hortantur, ut Virgil. Æn. X, 830: « Increpat ultro Cunctantes socios »; idem Æn. IX, 503: « At tuba terribilem sonitum procul ære canoro Increpuit »: Noster adeo inf. v. 488 de exundante Ætnæ igne: « Ingeminat fluctus et stantibus increpat undis ». — *Et victor proturbat* Gorallus edidit ex Ald. edit. sed omnes libri mei habent *et jacto*, et MS Helmst. *victo*, quod e *jacto* legi potest, et lectioni *victor* ansam dedit. Victor nondum appellari Jupiter a poeta potuit, quum adhuc emitteret fulmina, necdum stravisset hostes, et *jacto* plane aptum huic loco. — *Proturbat*, pro quo Lugd. Hag. Basil. perperam legunt *perturbat*, dicitur de montibus e superiore loco decussis, dejectis et procul actis. Virgil. Georg. I, 283: « Ter pater exstructos disjecit fulmine montes ». — *Proturbare* proprie dicitur de iis qui in excelsiore parte stantes alios subeuntes dejiciunt. Insignis est in hanc rem Livii locus, quem Severus imitari videtur. Exstat in lib. V, 47, ubi Gallorum deturbatio ex rupe Tarpeia describitur. Ed.

63. *Illinc devictæ..... ruinæ.* Sic pleræque edd. idemque tenent Scaliger et Gorallus. Sed MS Helmst. et ed. Lugd. aperte habent *devectæ*, i. e. devolutæ, quod demum accommodatum ruinæ est. Quoniam vero de ruinis dici non potest *verterunt terga*, sed de *infestis aciebus gigantum*, hinc omnino legendum puto: *Illinc devecta* (vel devexa) *verterunt terga ruina Infestæ Divis acies.* Illustrari hoc potest loco Livii, supra allegato: « Jamque et alii congregati telis missilibusque saxis proturbare hostes, ruinaque

Digitized by Google

Impellens victos : tum pax est reddita mundo,
Tum Liber celsus venit per sidera cæli,
Defensique decus mundi nunc redditur astris.
Gurgite Trinacrio morientem Jupiter Ætna
Obruit Enceladum, vasti qui pondere montis
Æstuat, et patulis exspirat faucibus ignes.

tota prolapsa acies in præceps deferri ».

66. *Impellens victos.* Sic quidem omnes libri, quos habeo. At verba ea non bene apta. Nam *jacentes* jam quid attinebat et *victos* dicere, nec Terra mater *impellens victos* dici potest *præceps acta* cum gigantibus, et quæ interpretandi caussa addit Gorallus, *victa ipsa Tellus eorum mater,* non habentur in textu. Narrationis consequentia suadet, ut poetam hoc voluisse putemus, Tellurem matrem filios jam depulsos et jacentes accepisse, vidisse, doluisse. Itaque amplectendam esse lectionem arbitror, quam Pithœus in margine, nescio ex ingenio, an ex auctoritate codicis, apposuit : « materque jacentes Amplexa est gnatos ». Horat. III, Od. 4, 73 : « Injecta monstris Terra dolet suis ».

67. *Tum Liber celsa.* Vitiosam hanc lectionem esse brevitas syllabæ in *celsa* inconveniens metro, persuadere potest, tum quod epitheton ipsum fere nullius momenti est. Edit. Lugd. et Luc. quidem *celsi* præferunt, sed hoc ad *cæli* relatum, nihilo melius. Ego legendum puto *Tum Liber celsus venit,* i. e. elatus, superbiens, sublimis ingreditur, tamquam victor et triumphans. Quo sensu Horat. Art. Poet. 342 : « Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes » ; et Livius, VII, 16 : « Celsi et spe haud dubia feroces in prælium vadunt ». Liberi non minima pars in victoria gigantum fuit, qui Rhœtum in primis stravisse dicitur, et ille rediens in cælum hilaritatem reddidit cælicolis. Vid. Horat. Carm. II, 19, 21 seq.

68. *Defensique decus mundi.* Hoc est, quod Ovidius de victoria gigantea ait Fast. V, 43 : « His bene majestas armis defensa Deorum Restat, et ex illo tempore firma manet ».

69. *Gurgite Trinacrio* in mari Siculo. *Ætnam* vitiose MS Helmst. et quædam edd.

70. *Enceladum* Ætnæ Lucilius subjicit cum Pindaro, Pyth. I ; Virgil. Æn. III, 578 ; Statio, Theb. XI, 8, et XII, 275. Alii Typhœum, ut Ovid. Metam. V, 346 seqq. et Fast. IV, 491 : « Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætna » ; et Val. Flaccus, lib. II, 20 seqq. qui et caussam reddit, cur Typhœus non, ut cæteri, in Phlegra monte interfectus sit : nempe effugisse eum, et a Neptuno pertractum in mare Siculum, et monte Ætna oppressum esse. — *Vasti quoque ponderis* legunt Lugd. et Hag.

71. *Et patulis.* Pro eo *petulans* habet Helmst. et Lugd. Virgil. Æn. III, 580 : « ruptis flammam exspirare caminis ». Ovid. Metam. V, 353 : « flammamque fero vomit ore Typhœus ». Valer. Flacc. II, 30 : « trux ille ejectat adesi Fundamenta jugi ».

Digitized by Google

Hæc est mendosæ vulgata licentia famæ.
Vatibus ingenium est; hinc audit nobile carmen.
Plurima par scenæ rerum est fallacia: vates
Sub terris nigros viderunt carmine Manes,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna;

72. *Mendosæ*, non integræ, et incorruptæ a mendacio et satis certæ. Sic accipi videtur in illo Horatii Epist. I, 16, 40: « Falsus honor juvat et mendax infamia terret Quem nisi mendosum et mendacem? » — Et mendose pro falso sumitur apud Lucretium, lib. IV: « ..... tamen præstat rationis egentem Reddere mendose causas utriusque figuræ, Quam manibus manifesta suis emittere quæquam ». Ed.

73. *Vatibus ingenium est*, concedendum hoc poetis, quo gloriari solent, ingenium est; hæc nempe est indoles, ut fingant, quidquid videtur. Sic Ovidius, Amor. lib. III, 12: « Exit in immensum fecunda licentia vatum ». — *Hinc audit nobile carmen*, h. e. a multo usu illius ingenii et licentiæ fingendi ipsum carmen habetur nobile. Lugdun. et Hag. habet *hanc auget*, Basil. *hinc auget nobile carmen Plurima pars scenæ*, quomodo et Scaliger legi voluit, a quo recedit Gorallus.

74. *Plurima par scenæ rerum est*, sic Gorallus edidit ex emendatione viri docti, qui oræ codicis adscripserat: h. e. plurimarum rerum, quas poetæ narrant, fallacia par scenæ, seu scenicis fabulis similis est. Aliæ omnes aliter. *Plurima pars scenæ rerum est fallacia.* Helmst. Lugd. Hag. *Plurima pars scenæ, verum est fallacia* Scal. Pith. Luc.— Sic etiam legit Just. Zinzerling. in Promuls. Critic. Juvenil. cap. 50, adeoque vulgatam lectionem defendit, et integrum locum a versu 72 explicat. Sed paullo aliter distinguit et *pars scenæ* conjungit cum præcedentibus *audit nobile carmen*. Ed.

75. *Carmina*, i. e. poetæ, voluit Calderinus, et sic pleræque veteres edd. Sed *vates* præcedentis versus huc referendum, scribendumque *carmine*. Scaliger *crimina Manes* legendum censuit. *Manes* et quidquid apud inferos geri dicitur, præcipue ut fabulæ traduci solent. *Manes* ipsi *fabulæ* κατ' ἐξοχήν vocantur Horatio, Carm. I, 4, 16. Cic. Tusc. I, 5, Cerberum, Cocyti fremitus, transvectionem Acherontis, inferorum pœnas *poetarum et pictorum portenta* dicit. Expressisse Lucilius hoc et sequentibus versibus Senecam videtur Epist. 24: « Dicam, vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi... Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat et tenebras, et larvarum habitum nudis ossibus cohærentium ». Similiter Juvenalis, II, 149: « Esse aliquos Manes, et subterranea regna... Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur ».

76. *Inter cineres* Gorallus exponit, postquam cadavera sunt combusta. Ego malim de locis cinere oppletis ex igne subterraneo intelligere, in quibus aditum ad Ditis regna ponebant; qualis ager Putcolanus et Avernus lacus, e quo Ditem patrem emergere facit Petronius, de Bello Civ. v. 76.

Digitized by Google

Mentiti vates Stygias undasque canesque.
Hi Tityon septem stravere in jugera fœdum :
Sollicitant stagno te circum, Tantale, pleno,

77. *Mentiti vates Stygias.* Scaliger *naves Stygias* vult, et per Stygias *canes* Eumenides putat ex Æschylo intelligendas. Ego *canum* Stygiorum nomine, nisi Cerberus triceps satis est, etiam Orthrum bicipitem censeo accipiendum, quem canem Geryonæ, et iisdem, quibus Cerberus, parentibus ortum, comitem Cerbero apud inferos addunt poetæ. Silius Ital. XIII, 845 : « Illatrat jejunis faucibus Orthrus » ; et Statius, Silv. II, 1, 230 : « Insontes animas nec portitor arcet, Nec diræ comes ille feræ ». Fortasse et hunc spectat Lucan. VI, 702 : « Janitor et sedis laxæ, qui viscera sævo Spargis nostra cani ». Pro *canesque* MS Helmst. et ed. Lugd. habet *canentes*.

78. *Septem per jugera fœdum.* Scaliger *fusum* legit, non autem *fœdum :* sed *fœdum* omnes libri habent, et Ascensius explicat *deformem*, aut propter incontinentiam, aut propter magnitudinem, sicut a Virgil. Georg. IV, 395, *turpes phocæ* vocantur. Idem *statuere* pro *stravere* legit ; male. *Septem* jugera Tityo tribuit Lucilius, alii novem, ut Homer. Odyss. XI, 576 ; Lucret. III, 997 ; Virgil. Æn. VI, 595 ; Ovid. Metam. IV, 456 ; Tibull. I, 3, 75 ; Propert. III, 5, 44. Similem Nostro locum habet Ovidius, Am. III, 12, 19 seqq. cujus quia non potest horum certior interpres inveniri, aliquot versus hic propterea apponendi : « Nec tamen, ut testes mos est audire poetas, Maluerum verbis pondus abesse meis. Per nos Scylla, patri canos furata capillos, Pube premit rabidos inguinibusque canes. Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues ; Victor Abantiades alite fertur equo. Iidem per spatium Tityon porreximus ingens ; Et sua vipereo fecimus ora cani ». Tandem locum sic claudit : « Exit in immensum fecunda licentia vatum : Obligat historica nec sua verba fide ». Ed.

79. Omnes libri habent *Sollicitant magna te circum, Tantale, pœna.* Tantum Helmst. et Luc. ed. legunt *Sollicitant illi.* Pro *te circum* Scaliger vult *te siccum* vel *curvum*, i. e. pronum ad bibendum. Sed *circum*, quod omnes habent, indicat aquas Tantalo circumdatas, eique ex omni parte cupidinem incendi, ut vim hujus vocis bene explicat Heynius, ad similem locum Tibulli, I, 3, 77 : « Tantalus est illic, et circum stagna, sed acrem Jamjam poturi deserit unda sitim ». Antonio *de Rooy* τὰ *magna pœna* suspecta sunt, pro iisque forte *macrum* et *pomis* substituendum putat. Mihi eadem valde frigere videntur, sed citatus Tibulli locus facilem et certam emendationem suppeditat. Scribo : « Sollicitant stagno te circum, Tantale, pleno, Sollicitantque siti ». Librarii errore e *stagno pleno* facile oriri *magna pœna* potuit : *stagnum plenum* dicitur, ut *flumen plenum* Virgilio, Georg. III, 143, Æn. VIII, 62, et *plenum amnem* Noster dicit infra v. 120. Cæterum conferre cum hoc loco Martialem potes X, 5 : « Nunc inter undas garruli senis siccus De-

Digitized by Google

Sollicitantque siti : Minos, tuaque, Æace, in umbris
Jura canunt, idemque rotant Ixionis orbem,
Quidquid et interius falsi sibi conscia terra est.
Non est terra satis, speculantur numina Divum,
Nec metuunt oculos alieno admittere cælo.
Norunt bella Deum, norunt abscondita nobis
Conjugia, et falsa quoties sub imagine peccent,

lasset omnes fabulas poetarum ».

80. *Sollicitantque siti.* Olim antiquæ vitiose habuerunt *Sirim*, et Ascensius jam monet Despauterium legendum censuisse *Scinim*, quomodo et habet Lugd. mea, Scalig. et Pith. Amplexandam hanc lectionem ipse judicarem, si ex ullo fabularum testimonio constaret, Scinim illum latronem immanissimum, a Theseo interfectum, apud inferos pœnas pati, ut Sisyphum. Sed *siti* reliquæ omnes meæ legunt, etiam cod. Helmst. correctus a manu secunda, neque id ad exprimendam pœnam Tantali videtur omitti mutarive posse. De Scini interim videndus Ovid. Metam. VII, 440. Conjectura Scaligeri *sollicitantque sitos*, h. e. mortuos, non magni facienda videtur.

82. *Sibi conscia terra est.* Illud *est* videtur rectius exsulare. Abest certe a Lugd. et Hag. et eo abjecto facilior sensus eruitur: *Quidquid et interius* habet vel continet *terra sibi conscia falsi.* Singularis est lectio MS Helmst. *Quidquid et interius falsi consortia terrent.* Probabile est, poetam hoc loco mentionem injecisse terroris, quem injicere vulgatæ poetarum fabulæ de inferorum pœnis solent. Quapropter sic scripsisse Lucilium existimo: « Quæque ultra interitum falsi consortia terrent, » h. e. dicunt et alia falsa, quæ poetæ e perpetuo fallendi fingendique usu excogitarunt ad terrendos homines, ut ultra fata sua timeant. Sic Propertius quærit III, 5, 45: « An ficta in miseras descendit fabula gentes (scil. fabula de Manibus et inferis) Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest? »

85. *Norunt bella Deum.* Tangit hic locum Lucilius a multis philosophorum, gentilium æque ac Christianorum, tractatum quo poetas incusant, quod per eorum fabulas tota ratio imbecillitatis humanæ ad Deos traducta, atque iis cupiditates, ægritudines, iræ, bella et rixæ, conjugia, furta et adulteria tributa. Conferendus inprimis cum Nostro Cicero de Nat. Deor. II, 28; Seneca de Vita beata, cap. 26; sed et Christiani Tertullian. Apol. c. 14; Arnob. lib. IV, pag. 150 seq. Lactant. Inst. Div. I, 17. Talis disputatio ut auctorem Ætnæ philosophum ostendit, non poetarum contribulem, ita Barthio inprimis caussa fuisse videtur, ut Christianum adeo putaret fuisse.

86. *Sub imagine peccent. Peccare* de furtivis amoribus et adulteriis usurpatum. Horat. Carm. I, 33, 9: « Quam turpi Pholoe peccet adultero »; et Satir. I, 2, 63: « quid inter Est in matrona, ancilla peccesve togata? » Tibull. IV, 14, 1: « Rumor ait, crebro nostram pecca-

Digitized by Google

Taurus in Europen, in Ledam candidus ales,
Jupiter ut Danaæ pretiosus fluxerit imber.
Debita carminibus libertas ista, sed omnis
In vero mihi cura: canam quo fervida motu
Æstuet Ætna, novosque rapax sibi congerat ignes.
Quacumque immensus terræ se porrigit orbis,
Extremique maris curvis incingitur undis,
Non totum est solidum, defit namque omnis hiatu.
Secta est omnis humus, penitusque cavata latebris,

re puellam ».—Cæterum hic rectius scribendum erat: « peccet Taurus in Europen ». Ed.

88. *Jupiter ut Danaæ.* Scaliger legendum putat *Jupiter in Danaen*, ut continuetur ἀσύνδετον. Sed Goralus defendit *ut Danaæ*, et sic legi in edit. Veneta 1484 et in Aldina affirmat. Sic etiam omnes mei libri, præter Lugd. ed. 1517, quæ conjecturam Scaligeri confirmat.—*Pretiosus imber*, nempe conversus in imbrem aureum, sive *pretium*, ut loquitur Horat. Carm. III, 16, 8. Sulpic. Luperci Eleg. v. 7, « Sic quondam Acrisiæ in gremium per claustra puellæ Corruptore auro fluxit adulterium ». — Vid. quæ ad hunc locum notavimus hujus operis tomo II nostræ ed. p. 292. Ed.

89. *Debita carminibus.* Hæc quidem est licentia, qua poetæ utuntur, jure quodam suo; vid. v. 72. Anton. *de Rooy* hic conjicit *Dicta carminibus*, h. e. per omnium poetarum carmina dispersa est.

92. *Immensus terræ se:* sic Basil. Scal. Luc. *se terræ* Helmst. Lugd. et Hag.

93. *Incingitur undis.* Sic ed. Scal. Basil. Pith. Luc. cum MS Helmst. qui habet corrupte *hic igitur.* Scaliger vero legendum putat *agitatur ab undis*, quod veteres edd. habent, et ex meis Lugd. et Hag. Rationem adducit Scaliger, quod Veteres crediderint terram in medio Oceano σαλεύεσθαι, ac circumjecto humore portari. Ea vero ratio multo magis militat pro lectione *incingitur*. Avienus, Descript. orb. terr. versu 11: « Oceani nam terra salo præcingitur omnis »; et Priscian. Perieg. v. 8: « Oceanum, tellus quo cingitur æquore tota ». Manil. IV, 593: « Ipsa natat tellus pelagi lustrata corona, Cingentis medium liquidis amplexibus orbem ».

94. MS Helmst. *Non totum et solidum desunt.* Hag. et Basil. « Non totum in solidum defit, namque oris hiatu ». Luc. « Non totum in solidum defit, namque omnis hiatus ». Lugd. cum Scaligero et Pith. « Non totum est solidum, defit namque omnis hiatu », quas inter lectiones meliorem non extrico, etsi tota non placet. Similiter Seneca finxit in Natural. Quæstionib. V, 14: « Non tota solido contextu terra in unum usque fundatur, sed multis partibus cava, et cæcis suspensa latebris, alicubi habet inania sine humore ».

Digitized by Google

Exiles suspensa vias agit; utque animantis
Per tota errantes percurrunt corpora venæ,
Ad vitam sanguis, omnis qua commeat isdem
Terra foraminibus conceptas digerit auras.
Scilicet haud olim diviso corpore mundi

96. *Inque animantis* edidit Gorallus, et sic cod. Helmst. sed reliquæ omnes *utque animantis*, quod sine dubio verum est. Lugd. corrupte *igiturque animantis*, in quo latet *agit, utque*. Ovid. Met. XV, 342: « Nam sive est animal tellus, et vivit, habetque Spiramenta ». In sequenti *procurrunt* notaverat manus docta ad exemplar Santenii, v. cl. quod fere melius vulgato.

98. *Sanguisque omnis qua commeat:* sic omnes meæ antiquæ; sed *sanguisque* cum τῷ *qua* stare nequit: hinc Gorallus cum Scaligero removit copulam, quæ et abest ab Helmst. cod. neque melior inducci lectio potest, licet versus hinc languere et labascere videatur. Porro omnes legunt *quą commeat idem*, sc. sanguis. Sed et otiosum videtur *idem*, et sequens versus, qui ἀπόδοσιν comparationis terræ cum animante tenet, desiderare vocem videtur, qua referatur illa ad superiora: quæ obtineri potest, si legatur *isdem*, quod jam Gorallum in curis secundis et cl. Schmidium fecisse video, me summopere approbante, et in ed. Luc. *idem* per incisionem separatur a præcedentibus.

99. *Foraminibus*. Omnes libri mei habent *voraginibus*, et Helmst. *dirigit*. Gorallus, nescio unde, dedit *foraminibus*, quod omnino aptius, et venis, quibuscum comparatur, similius reperio, ut utendum non dubitem; siquidem et infra v. 281 Noster terræ foramina cum venis tribuit. Cæterum hanc comparationem venarum animantis et terræ haustam esse arbitror e Seneca, qui Natur. Qu. VI: « Corpus nostrum et sanguine irrigatur et spiritu, qui per sua itinera discurrit..... Sic hoc totum terrarum omnium corpus, et aquis, quæ vicem sanguinis tenent, et ventis, quos nihil aliud quis, quam animam, vocaverit, pervium est ».

100. Perperam Gorallus hoc versu, quamvis præeuntibus Scaligero, Pithœo, et quibusdam msptis, in quibus et Helmst. scribit *aut olim*, idque refert ad alterum *aut*, quod versu 112 occurrit. Nam hoc plane repugnante serie orationis fit, in qua tot aliæ disjunctiones interveniunt, et constat, in msptis sæpissime scribi *aut* pro *haut*, aspiratione ablata. Contra *haut* scribendum hoc loco jubet adversativa *Sed* versu 103, quæ in præcedentibus negari aliquid significat, et *haud olim* exprimunt omnes antiqui impressi, quos habeo. Scilicet hæc sententia poetæ est: Haud olim, diviso corpore mundi, tellus ita a cælo et mari separata desedit, ut aer semper superior, mare secundum, terra infima esset; sed totis rimosa cavis aerem juxta atque mare recipit. Cum *diviso corpore mundi* confer hoc Ovidii, Fast. V, 11: « Post chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo ».

Digitized by Google

In maria, ac terras et sidera, sors data cælo
Prima, sequuta maris, deseditque infima tellus,
Sed totis rimosa cavis, et qualis acervus
Exsilit imparibus jactis ex tempore saxis,
Ut crebro introrsus spatio vacuata corymbos
Pendeat in sese : simili quoque terra figura
In tenues laxata vias, non omnis in arctum,
Nec stipata coit : sive illi caussa vetusta est,
Nec nata est facies; seu liber spiritus intra

101. *Sors data cælo Prima.* Videtur Lucilius vulgatam sententiam de elementis divisos sortitis locos, uti eam Ovid. Metam. I, 26 seqq. et Fast. V, 13, explicat, aut deserere, aut magis definire, ut dicat, tellurem, quamvis divisam ab aere et mari, tamen ab utroque permeari.

102. *Sequuta maris.* Sic apud Ovid. Met. VIII, 594, Neptunus dicitur *proxima cælo regna vagæ sortitus undæ.*

103. Pro *totis* scripserat *tortis* manus docta ad exemplar Santenii, quod sane placet.

104. *Exsilit*, assurgit, attollitur. Rutilius Itin. I, 130 : « Exsiliuntque imis altius acta vadis ». Lugd. et Hag. *exeat;* mendose. — *Imparibus*, inæqualibus et minus quadrantibus.—*Ex tempore*, temere, subito.

105. *Vacuata corymbas* vel *corymbos* omnes edd. legunt. Corymbus vocatur, quidquid racemo hederaceo aut uvæ simile in strobilum aut metam adsurgit, et pluribus baccis vel globis constat. Manifestum est, corymbo hic acervum lapidum adsimilari, de quo ante dixerat. Sed valde turbat *vacuata*, quod in acervum non quadrat, nec de *saxis* præcedentibus potest intelligi, quoniam *pendeat* sequitur. Relatum ad *tellus*, uti a Gorallo factum, valde turbatam et implicitam reddit orationis seriem, et terram cum acervo lapidum comparat, quod demum fit versu sequente : « simili quoque terra figura ». Itaque in *vacuata* latet mendum, quod Scal. sic emendat: « Ut crebro introrsus spatioque vacante corymbus Pendeat in sese ». Ego malim : *Spatio vacuante*, vel *variante*, hoc est, distinguente et separante lapides, hoc sensu : Ut acervus, quasi corymbus aliquis, crebris spatiis lapides disparantibus, introrsum cavus et suspensus sit, atque in se ipso nitatur.

108. *Sive illi caussa vetusta est*, a prima rerum origine repetenda.

109. *Nec nata est facies*, h. e. adnata et accedens, ut recte Gorallus, vel orta demum per mutationes subsequentes. Caussas accedentes et non nativas post enumerat. De quibus in eamdem sententiam multa disputat Seneca, Quæst. Nat. VI, cap. 14 seq. quæ ante oculos habuisse Lucilius, quum scriberet, videtur, sed exscribere hoc loco longum est. Pro *seu* Helmst. *sed.* — *Seu liber spiritus intra.* Versibus jam sequentibus plane geminus est locus Statii, Theb. VII, 809 seqq. ubi

Digitized by Google

Effugiens molitur iter; seu lympha perenni
Edit humum lima, furtimque obstantia mollit;
Aut etiam inclusi solidum exedere vapores,
Atque igni quæsita via est; sive omnia certis
Pugnavere locis; non est hic caussa docenda,
Dum stet opus caussæ. Quis enim non credat inanes

quidem non latentium cavernarum, sed motus terræ, caussæ perhibentur venti subterranei et undæ: « Sive laborantes concepto flamine terræ Ventorum rabiem, et clausum ejecere furorem; Exedit seu putre solum, carpsitque terendo Unda latens, etc. » Ed.

111. *Edit humum lima.* Omnes vetustæ præferunt *limo*, quod Scaliger recte judicat contrarium esse τῷ *edere*, quia non eduntur ea quæ oblimat aqua, sed potius obducuntur. Itaque mutandum in *lima*, quæ edere et mordere, id est, radere et absumere dicitur. Simili locutione utitur Horat. Carm. I, 31, 8: « Quæ Liris quieta Mordet aqua, taciturnus amnis »; et Carm. III, 30, 3: *imber edax*: idem *largos imbres radere arva* dicit Epod. XVI, 54. — Immo Heinsius, Advers. lib. II, cap. 1, pag. 208, hoc loco legere vult *Radit humum*. Ed. — In reliquo versu Lugd. et Hag. legunt *furtumque obstantia molis*.

112. *Aut etiam.* Helmst. Lugd. Hag. habent *Haud etiam inclusi solidum videre vapores*. Unde Scaliger voluit *solidum invidere*, i. e. prohibuere, quominus solidum esset: quo sensu Virg. Ecl. VII, 58, « pampineas invidit collibus umbras ». Sed vero propius mihi videtur, quod Accarias *de Serionne* refert ab Abbate Sevino, tom. V commentationum Academiæ Paris. bonarum artium probatum esse, legendum esse *vicere*. Hoc proxime accedit ad scripturam veterum librorum, et sententiam auctoris valde juvat, ideoque in textum recipi poterat.

113. *Igni quæsita via est.* Eadem verba legit Lucilius apud Senecam, Quæst. Nat. V, 14: « Per hæc loca quum se exitum quærens spiritus torsit, accendat flammam ipso adfrictu necesse est. Deinde flammis latius fusis, etiam si quid ignavi aeris erat, extenuatum moveri et *viam* cum fremitu vasto atque impetu *quærere* ».

114. *Pugnavere locis*: h. e. sive potius horum omnium, spiritus, aquæ, atque ignis, simul agentium vis caussa fuit venarum et cavernarum terræ, quia, dum inter sese certis locis pugnant, terræ viscera laxata sunt. — *Caussa docenda: dolendi* habent Helmst. Lugd. Hag. *docendi* reliquæ, quod Gorallus probe refinxit in *docenda*.

115. *Dum stet opus*, dummodo effectus caussæ, ipsa res, constet, certa et manifesta sit. Simili sententia auctor Elegiæ ad Liv. 238: « Auctor abit operis, sed tamen exstat opus ». — *Quis enim non cred. inanes.* Gorallus in Veneta esse dicit, « quis enim non viderit illud, Esse sinus »; idem præfert Hag. et *viderit illic* Lugd. quæ sane non spernenda. Reliquæ tamen a Scaligero omnes, ut edidimus.

Digitized by Google

Esse sinus, penitus tantos erumpere fontes
Quum videt, ac torrentem imo se emergere hiatu?
Non ille ex tenui, vacuoque agat aucta necesse est
Confluvia, et raptis arcessat ea undique ab undis,
Sed trahat ex pleno, quo fontem contrahat, amne;
Flumina quin etiam latis currentia rivis
Occasus habuere suos: aut illa vorago
Derepta in præceps fatali condidit ore;
Aut occulta fluunt tectis adoperta cavernis,
Atque inopinatos referunt procul edita cursus.

116. *Tantos emergere fontes.* Sic omnes mss cum MS Helmst. licet idem *emergere* versu sequente rodeat. Gorallus tamen ejus loco *erumpere* dedit, pulchre id quidem, sed nescio an aliqua auctoritate ductus.

118-120. Sic emendatos dedit tres hos versus Scaliger, et hunc sequutus Gorallus, qui in excusis veteribus mendis obruti sic leguntur: « Non ille ex tenui vocemque agat acta necesse est, Quum fluit, errantes arcessat undique et undas, Et trahat ex pleno, quod fontem contrahat amne ». Et ego malo in hac emendatione acquiescere, quam plura movendo tricari. In primo tamen forte aptius sit, pro *aucta* vel *acta* legere *apta*, quod habet Helmst. In secundo *Confluvia* aperte præfert Helmst. et Lugd. *confluit* Hag. *ab undis* Lugd. Sententia a Scaligero patefacta hæc est: Necesse est, inquit, derivet confluvia sua ex non tenui, vacuove, et arcessat ea undique ab undis, et trahat ex pleno amne, h. e. ex reposita aqua id, unde fontem in apertum emissura est.

119. *Confluvia*: sic infra v. 325: « Donec confluvio revolutis æstibus amnis Exilit ».

120. *Sed trahat ex pleno.* Conferenda sunt verba Senecæ, e quibus hausisse Lucilius videtur, Nat. Qu. VI, 7: « Non est diu probandum, ibi multas aquas esse, ubi omnes sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex reposito, multoque funderet ».

121. *Flumina quin etiam.* Et hæc ad versum usque 125 propemodum hausta sunt e Seneca Nat. Quæst. III, 26: « Quædam flumina palam in aliquam speeum decidunt, et sic ex oculis auferuntur. Quædam consumuntur paullatim, et intercidunt. Eadem ex intervallo revertuntur, recipiuntque et nomen et cursum, etc. »

123. *Derepta in præceps.* Omnes quidem excusi habent *direpta*, sed quia additur *in præceps*, i. e. in profundum ex alto detracta, abrepta, cum Gorallo rectius legi existimo *derepta*, sicut et infra v. 345: « Præsertim ipsa suo declivia pondere nunquam Corpora deripiat ». —*Fatali ore*, h. e. quod tota absumit et perimit.

125. *Atque inopinatos.* Exempla talium fluviorum, qui terræ hiatu absorpti post magnum spatium iterum ad superos erumpunt, ut Lyci,

Digitized by Google

Quod si diversos emittat terra canales,
Hospitium fluviorum, haud semita nulla profecto
Fontibus, et rivis constat via; pigraque tellus
Conferta in solidum segni sub pondere cessat.
Quod si præcipiti conduntur flumina terræ,
Condita si redeunt, si quà etiam incondita surgunt,
Haud mirum, clausis etiam si libera ventis
Spiramenta latent: certis tibi pignora rebus

Erasini, Tigridis, Alphei, refert Seneca Nat. Quæst. III, 26.

126-129. *Quod si diversos.* Sententia quatuor versuum, quantum perspicio, hæc est: Quod si terra diversos canales, vel meatus, e visceribus suis ad oram procurrentes, habet, fluviis excipiendis aptos, nullis profecto fontibus deesse potest semita, qua excurrant, et rivis omnibus certa via constat; *pigraque tellus*, et contra quæ pigra tellus et conferta in solidum, densa ubique est, *segni sub pondere cessat* fontes emittere, inepta est rivis perducendis, obstante et premente ubique terræ pondere. Scaliger. qui aliter hunc locum explicat, non sequor, et Gorall. non audiendus, qui *pigraque tellus* ad præcedentia refert, et hic repetendam negationem e superiori versu censet: nam quod intercedit comma *et rivis constat via*, eam relationem impedit.

127. *Hospit. fluviorum*, canales qui fluviis excipiendis apti sunt. — *Aut semita* omnes vetustæ legunt, frequenti omissione adspirationis: eædem in sequentibus habent *constet* et *cesset*, quæ consecutio orationis non patitur.

129. *Pro conferta* in Lugd. et Basil. est *conserta*, quod minus placet. — *Segni sub pondere* scripsi cum Scaligero, *non segnis*, quod priores ediderunt. Nam tellurem simul pigram et confertam et segnem dici quis ferat?

130. *Terræ* habent pleræque vetustæ, Gorallus *terra*. Hic progreditur auctor colligendo: Si fluminibus via est sub terra, est etiam aeri et ventis.

131. *Si qua ante incognita surgunt*. Sic Scalig. Pith. Luc. Gorall. ed. sed *si qua etiam incondita* Helmst. Lugd. Hag. quod Scaliger restituendum putat; *aut si qua incondita* Basil. Menckenius in Misc. Lips. defendit *incondita*, ut sint flumina, quæ minime constet terra ante condita, sed repente magno impetu per terræ primas etnissa. Cæterum rarius vocabulum est hoc significatu. Lucan. VI, 101: « tum mixta jacent incondita vivis Corpora ». — Miror Wernsd. non notasse hunc versum qualem dedit, vitio metri laborare; ideo vel Scalig. probanda lectio, vel sic emendanda; *Cond. si red., et si qua incondita surgunt*. Ed.

133. *Spiramenta latent.* Sic legunt omnes scripti et editi. Gorallus tamen absurdum hoc putans, rescripsit *patent*. Quod equidem non improbo; sed spiramenta, etsi exeunt et patent, tamen latent et eunt per viscera terræ: hinc illud movendum non arbitror. — *Pignora*, i. e. documenta; vid. v. 40.

Digitized by Google

Atque oculis hæsura tuis dabit ordine tellus.
Immensos plerumque sinus, et jugera pessum
Intercepta licet, densæque abscondita nocti
Prospectare procul; chaos ac sine fine ruinæ.
Cernis et in silvis spatiosa cubilia retro,
Antraque demissis pedibus effossa latebris;
Incomperta via est operum; tantum influit intra:
Argumenta dabunt ignoti vera profundi.
Tu modo subtiles, animo duce, percipe curas,

134. *Hæsura vias* habent omnes edd. quod recte emendavit Scaliger *hæsura tuis*: et ita correctum a manu secunda exstat in MS Helmst. Sic infra v. 177: « Non illic, dnce me, occultas scrutabere causas, Occurrent oculis ipsæ ».

135. *Immensos plerumque*. Libri veteres habent *Immensum*, et versu seq. *intercepta leges* vel *leget*. Scaliger emendavit, ut dedimus; idque confirmatur a codice Florent. in Act. Soc. Ien. qui legit: « Intercepta licet densaque abscondita nocte ». — *Jugera pessum intercepta* sunt ita pessum data et relapsa, ut plane sint oculis intercepta. Hæc *labes* vocant Latini; Cic. de Div. I, 35: « Multis locis labes factæ sunt, terræque desederunt ».

137. *Chaos ac sine fine ruinæ*, nimirum prospiciuntur: *chaos*, τὸ χάσμα, hiatus. Seneca, Nat. Quæst. VI, 9: « Tunc chasmata, tunc hiatus vasti aperiuntur ». Cod. Florent. hoc loco: « Prospectare chaos vastum, et sine fine ruinas ».

138-141. Versus hos reddo, uti Gorallus exhibuit, qui de cubilibus ferarum intelligit. Aliter constituendos doceo, et de metalli fodinis intelligendos, in Excursu secundo ad hoc carmen.

139. *Pedibus effossa*. Sic correxit Gorallus. Sed omnes priores *pedibus fodisse*, et cod. Flor. « Antraque demersas penitus fodisse latebras ». Sensui et metro sane aptius sit *demissis penitus sedisse latebris*; sicut Gratius, Cyneg. 434: *subter eunti stagna sedent*, et Horat. Carm. I, 34, 11: *invisi horrida Tænari sedes*, i. e. profundum. — *Demissæ latebræ*, ut Virgil. Georg. II, 231, *in solido puteum demitti* dixit. Ed.

140. *Incomperta via est operum*, i. e. sciri et deprehendi vix potest, quo tendant, et quantum procurrant venæ, meatus, cuniculi acti ab operantibus. Cod. Flor. *incomperta via est aeris*. Porro *tantum influit intra* omnes editi. Ascensius inepte explicat: solummodo introrsum intenditur. MS Helmst. *tantum effluit intra*, et cod. Flor. *tantum effugit ultra*; quod rectum videtur. Supra v. 109: *spiritus intra effugiens*.

141. *Argumenta dabunt*. Hæc tibi documento erunt, magnum sub terra profundum latere, nobis adhuc incognitum.

142. *Tu modo subtiles*, i. e. Tu modo ea animo satis attento acriter et curiose contemplare. Similiter Manil. III, 43: « Nunc age subtili rem summam perspice cura ».

Digitized by Google

Occultamque fidem manifestis adstrue rebus.
Nam quo liberior, quoque est animosior ignis,
Semper et inclusus, nec vectus, sævior illa
Sub terra, penitusque movens; hoc plura necesse est
Vincla magis solvat, magis hoc obstantia pellat.
Nec tamen in rigidas exit contenta canales
Vis animæ; flamma avertit qua proxima cedunt,

143. *Occultamque fidem*, h. e. rerum occultarum. Pro *adstrue*, cod. Flor. *abstrahe rebus*.

144-147. *Nam quo liberior*. Reddo hos versus, ut Scaliger scribendos et interpungendos putavit, et Gorallus edidit. Ex aliis edd. quæ digna sunt, adnoto. — *Animosior* est violentius vento vel vi animæ agitatus; vid. v. 149. Sensus est: Quo ignis natura sua liberior, et quo magis agitatus vento est, eo magis sævit inclusus, et obstantia quæque perrumpit. Advocandus adhuc locus Senecæ, huic plane par, Nat. Quæst. VI, 14: « Vide ergo, numquid intret in illam spiritus ex circumfuso aere, qui quamdiu habet exitum, sine injuria labitur; si offendit aliquid et incidit, quod viam claudat, tunc oneratur primo infundente se a tergo aere. Deinde per aliquam rimam maligne fugit, et hoc acrius fertur, quo angustius. Id sine pugna non potest fieri, nec pugna sine motu. At si nec rimam quidem, per quam effluat, invenit, conglobatus ille furit, et huc atque illo circumagitur, aliaque dejicit, alia intercidit, etc. »

145. Helmst. habet *Semper in inclusis nec vectus*. Hag. *nec evectus*: unde malim *neque vectus*, i. e. promotus et expansus. Deinde Scaliger et Gorallus scribunt *sævior illa sub terra*: sed *sævior ira est*, quod omnes mei, scripti et excusi, legunt, præferre malim; nempe *ira* casu sexto accepta, h. e. iratior, majore cum ira sævit, ut Virg. Æn. I, 55 de ventis inclusis: « Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt ». Contra in lectione Scaligeri et Goralli *illa* otiosum et languidum est. Cod. Florent. magis mutat: « Semper et inclusa, nec ventis segnior ira est »; sed hoc non felicius. Ed.

146. Pro *movens* legunt *movent* Helmst. Florent. Hag. Basil. iidem in sequenti *solvant* et *pellant*: præterea *hæc plura* et versu sequenti *magis hæc* Hag.

148. *Rigidas canales* feminino genere Scaliger dicit esse in vet. edd. et supra versu 126: et sic ex meis Lugd. reliquæ omnes cum Helmst. *rigidos* ponunt, Florent. *riguos*. Scaliger *rigidos* exponit εὐθυπόρους, ut Lucretius *rectas fauces*, et Noster infra *rigidum verticem* dicit; et *rigentem limitem* in Ara Porphyrii v. 16 vidimus. Sed Gorallus *rigidas* melius interpretatur *duras*, quoniam iis, quæ *cedunt*, et *teneræ caulæ* opponuntur.

149. *Flamma avertit*, h. e. avertit se; ut Virgil. Æn. I, 402: « Dixit, et avertens rosea cervice refulsit: et in Cassii Parm. Orpheo: *Lusibus avertit puerilibus*. Cod. Florent. hic *flammave ruit*.

Digitized by Google

Obliquumque secat, qua visa tenerrima caula est.
Hinc terræ tremor, hinc motus; ubi densus hiatu
Spiritus exagitat venas, cessantiaque urget.
Quod si spissa foret, solidoque instaret inane,
Nulla daret miranda sui spectacula tellus,
Pigraque et in pondus conferta immobilis esset.
Sed summis si forte putas concredere caulis

150. *Tenerrima caula est.* Veteres quidem omnes habent *causa*, sed manifestus error librariorum est, et rectissime Gorallus hic vocem *caula* reposuit, quæ præterea est Lucretiana, et qua cavi meatus significantur. Sic enim lib. III, vs. 256 : « Usque adeo ut vitæ desit locus, atque animai Diffugiant partes per caulas corporis omnes ».

151. Lugd. exhibet *Hinc tibi terra tremit motu, hinc tibi densus hiatu:* et Hag. vitiosius *Hinc tibi terra tremor motu.* Rectius tamen est, quod Scaliger et Gorallus ediderunt. Pro *hiatu* cod. Florent. habet *hiantes*, scil. venas, quod sane videri potest commodum.

152. *Spiritus exagitat venas*, h. e. densus vapor per hiantes terræ venas furens eas concutit, et immota quæque impellit. — *Cessantia* apud Nostrum sunt immota vel inertia, ut supra v. 129 : « Conferta in solidum segni sub pondere cessat ». De tremore terræ confer Senecam, Quæst. Natur. VI, 11, ubi hanc ipsam sententiam exponit.

153. *Solidoque instaret inani.* Sic omnes legunt veteres, et Scaliger, quamvis dubitanter, explicat, soliditate sua resisteret inani. Sed *instare* vix accipi pro resistere potest, et rectius monente Gorallo, premere, urgere, insistere significat. Igitur legendum *inane*, et sensus est: si aer externus terræ plane solidæ, et nihil vacuum vel cavum habenti insisteret: nam *inane* poetis est aer. Cod. Flor. *solido si staret in omni.*

155. Omnes excusi hic habent *in pondus confestim mobilis esset.* Helmst. paullo rectius *confertim;* sed totum ineptum est et sensu caret. Scaliger ex versu 129 legit *Pigraque et in pondus conferta immobile cesset.* Sed melius et quam minima mutatione Gorallus corrigit *in pondus conferta immobilis esset*, et sic plane perscriptum exstitit in optimo cod. Florent. *conferta immobilis* facile transire per errorem in *confertim mobilis* potuit. Simili plane phrasi supra v. 128 utebatur : « pigraque tellus conferta in solidum ».

156. *Summis caulis*, h. e. summis cavernis, vel summo hiatu montis. Vulgo *causis* legitur absurde. Pro *concredere* Florentinus legit *concrescere*, quod præfero, et sequenti versu lego *alimenta in viribus*, propter sequentia *Quæ valida*, hoc versuum tenore : « Sed si forte putas summis concrescere caulis Tantum opus, et summis alimenta in viribus oris, Quæ valida in promptu cernis, vastoque recessu »; hoc sensu : Si forte putas, tantum incendium ejusque alimenta in summis cavernis, atque in ipso ore montis, ubi maxime exæstuat, colligi viresque capere, quod omnino valide

Digitized by Google

Tantum opus, et summis alimentum viribus oris,
Quæ valida in promptu cernis, validosque recessus;
Falleris, et nondum certo tibi lumine res est.
Namque illud, quocumque vacat specus omnis hiatu,
Est reses introitu; solvunt se, adituque patenti
Conversæ languent vires, animosque remittunt.
Quippe ubi, contineant ventos quæcumque morantes
In vacuo desunt, cessat, tantumque profundi
Explicat errantes, et in ipso limite tardat.

erumpere ex proximo vastoque recessu videtur.

157. Cod. Florent. pro *summis* habet *subitis*, et *ora* pro *oris*: sequente versu *Quæ patula* et *vastosque recessus*.

159. *Fallere, sed nondum tibi certa hæc lumine recto*, sic ed. Lugd. Scal. Pith. Luc. *tibi lumine certaque recto* Helmst. Ald. Hag. Basil. quod Scal. mutat: « Sed nondum tibi lumine certa carento », h. e. nondum careant oculato testimonio. Gor. maluit edere *fallere, necdum sunt tibi certa lumine recto*. Et recte quum in vulgata lectione offendit *sed*, quod vix locum habere hac in sententia potest. Ego vero omnibus his præfero lectionem codicis Florent. *Falleris, et nondum certo tibi lumine res est*. Certum lumen, ambiguo et obscuro oppositum, quo rem certo cognoscere et discernere licet; Ovid. Her. XVIII, 155, « Est aliud lumen multo mihi certius istis »; Horat. Carm. II, 16, 3, « neque certa fulgent sidera nautis ».

160. *Namque illud*, sc. *opus* versu 157. Antiquæ habent *quodcumque vacat, specus omnis hiatum, Et res introitu solvunt*. Scaliger scribit: « quodcumque vacat specus oris hiatu ». Gorallus posuit *quacumque vacat specus omnis hiatu*. Ego teneo *quocumque hiatu*, quod habent Lugd. et Helmst.

161. *Est reses introitu*. Ita Scaliger emendavit optime, cui favet Helmst. qui *Et rose*, et Florent. qui *Et sese: reses* opus dixit, ut infra v. 375, *tum frigida monti desidia est;* et v. 455, *Si lenitur opus reses*. — *Solvunt se* scribit Scaliger et Gorallus: antiquæ omittunt *se*.

163. *Contineant ventos quæcumque*. Sic Scaliger, et ex eo Gorallus, recte. Veteres: « Quippe ubi contineant ventos, qua quæque morantes ». Florent. *qui teneat*.

164. *Cessat*, sc. opus, quod prius *reses introitu* dixit: sic cum priscis edit. Gorallus. Scaliger tamen voluit *cessant*, scil. ignes; et Florent. *In vacuo defit, cessant*.—*Tantumque profundi*, i. e. tam profundæ cavitates.

165. *Tardant* habent plerique veteres: *tradant* Florent. sed *tardat* Lugd. Pith. et Scalig. ed. quod rectius puto, ut conveniat cum antecedente *Explicat*, h. e. tardos et languidos facit.—*In ipso limine* Helmst. Lugd. et Scalig. ed. *lumine* Hag. sed *limite* Basil. Luc. quod præfero: nam vult in ipso cursu et via longa lassari ventos. Anton. *de Rooy* in

Digitized by Google

Angustis opus est turbare in faucibus illos :
Fervet opus, densique fremunt, premiturque ruina
Nunc furtim Borea atque Noto, nunc unus uterque.
Hinc venti rabies, dum sævo quassa meatu
Fundamenta solo trepidant, urbesque caducæ.
Inde, neque est aliud, si fas est credere, mundo
Venturam antiquam faciem, veracius omen,
Hæc primo quum sit species, naturaque terræ,

Conj. crit. præfert *limine*, h. e. introitu. Cæterum Scaliger etiam τὸ *et* mutari vult in *at*, quod non opus esse videtur.

166. *Augustis*. Gorallus exponit, necesse est ventos, per angustas meatuum fauces, ægre moveri. — *Turbant*, conturbant, qui quasi turba oppressi se ægre expediunt.

167. *Densique. fremunt*. Helmst. et Lugd. *densique premunt*. — *Premiturque ruina*, hoc Gorallus explicat, premuntur ruituri fornices : malo urgentur, impelluntur.

168. *Furtim* Gorallus interpretatur subeuntes per rimas. Scaliger mavult *fartim*, ut stipationem intelligat ; sed hæc intelligenda in sequentibus *nunc unus uterque*, h. e. unus fiunt, si in eamdem terræ cavernam inciderint. Hag. ed. legit *Hinc forti Borea*, quod non spernendum. Malim præterea scribere *Nunc furtim Borea...nunc unus*. Sic video et Vlitium legere ad Gratii, v. 450.

169. *Dum sævo quassat hiatu*. Sic edidit Gorallus ex emendatione Vlitii ad Gratii v. 450 ; sed omnes libri veteres *hinc* vel *hic sævo* legunt, nec ejus mutandi magna ratio, si post *hiatu* interpungatur. Interim *sævo hiatu* vix probari potest : neque enim hiatu quassant venti, neque hiatus, quo libere erumpunt venti, dici sævus potest. Itaque scribebam : « hinc sævo quassa meatu Fundamenta solo trepidant ». Sic Claudianus de vento in antris Ætnæ, de Raptu Pros. I, 171 : « objicibus discurrens ventus opertis Offenso per saxa furit rimosa meatu ».

170. *Solo trepidant*, sic omnes excusi. MS Florent. *soli*, quod et cl. Schmidium adoptasse video. Scaliger legendum censuit *sola trepidant*, quod positio fiat in duabus sequentibus consonantibus. Gorallus, hoc rejiciens, raro *sola* in plurali occurrere ait, in quo falsam eum esse ostendit Menckenius Misc. Lips. l. c. p. 147. Cæterum de terræ motu idem, quod hic Lucilius, sentit Seneca Quæst. Nat. VI, c. 25.

172. *Antiquam faciem*, h. e. eam, quam habebat, quum tantum chaos esset. Sic Gorallus ; codex Florent. *antiqui*.

173. *Hæc primo quum sit species*. Sic MS Helmst. et ed. Ald. et Luc. Reliquæ omnes *Hæc primo species rerum*, male ; cod. Florent. *Hæc immo quum sit species*. Sed *hæc primo* rectum. Nam particula *primo* respicit ad superius argumentum, inde a versu 95 tractatum, quo omnem terram a prima origine sua cavatam et latebrosam esse dixit. Nunc id ad Ætnam applicat.

Digitized by Google

Introrsus cessante solo, trahit undique venas:
Ætna sui manifesta fides, et proxima vero est.
Non illic, duce me, occultas scrutabere caussas;
Occurrent oculis ipsæ, cogentque fateri:
Plurima namque patent illi miracula monti.
Hinc vasti terrent aditus, merguntque profundo;
Corrigit hinc artus, penitusque quod exigit ultra:
Hinc spissæ rupes obstant, discordiaque ingens
Inter opus; vectant aliæ mediasque coercent,

174. *Introrsus cessante*, i. e. cedente vel abeunte in cavernas et hiatus; ut reducta vallis, antrum reductum dicitur. Et Gratius similiter Cyneg. v. 430: « Est in Trinacria specus ingens rupe, cavique Introrsum reditus ». — *Trahit undique venas*, i. e. capit vel recipit, rimas agit. Gorallum, qui hic pro *venas* legendum *ventos* putat, recte refutat Menckenius l. c. p. 149, quoniam poeta hoc loco tantum rimas et cavernas terræ vult adserere, quæ ventis viam præbeant, non ventos ipsos; atque aliis locis etiam venas hoc sensu nominat, ut v. 97, 152, præsertim v. 282: « terra minutis Rara foraminibus in venas abstrahit auras ». Phrasi fere eadem utitur Cicero, lib. II de Nat. Deor. c. 55: « venæ et arteriæ, a corde tractæ et profectæ, in corpus omne ducuntur ».

175. *Ætna sui manifesta fides*, h. e. Ætna ipse, hanc sibi naturam esse, fidem manifesto facit; et *proxima vero est*, proximum appositumque hujus veritatis argumentum est.

178. *Namque patent*, apparent et præjacent oculis: de reliquo malim legere *illo miracula monte*.

179. *Merguntque profundo*, nempe visus inspicientium hauriunt, et ad imum profundum trahunt, vel admittunt.

180. *Corrigit hinc artus*. Corrigere artus Gorallus esse dicit membra, nimis alioqui protuberatura, coarctare, idque locis Macrobii et Plinii, non adeo aptis, probat. Mihi hoc argutum nimis videtur, et quod Scaliger per translationem artus Ætnæ attributos dicit, sicuti infra v. 324 *nervos*, id ipsum dubium est, ut ad eum versum videbimus. Mihi *artus* hoc loco idem ac *arctus* est, quod et præferunt editiones quædam, et pro *corrigit* legendum *corripit*, aut id *corrigit*, accipiendum pro contrahit. Ut aliis locis *vasti aditus* Ætnæ patent, ita aliis fit arctior, et contrahit vel coarctat *penitus*, quod *ultra exigit*, extendit et ad exitum procurrere facit. Cod. Florent. legit *Porrigit*, contra mentem, ut videtur, poetæ.

181. *Hinc spissæ*, Florent. *scissæ*, minus bene. — *Discordiaque ingens*, sc. creatur iis rupibus objectis, inter motus et agitationes ignium, quæ fiunt in Ætna, ut explicat Vlitius ad Gratii Cyneg. v. 304.

182. *Nectunt varium mediumque* habent Lugd. Scaliger, Pith. Luc. *varios mediosque* Basil. *varios mediumque* Hag. et MS Helmst. Goral-

Digitized by Google

Pars igni domitæ, pars ignes ferre coactæ;
Ut major species Ætnæ succurrat inanis:
Hæc illis sedes, tantarumque area rerum est.
Nunc opus artificem incendit, caussamque reposcit,

lus ex emendatione Vlitii dedit *nectunt varias mediasque coercent*, in femin. genere, quoniam nulla sit vox, ad quam referantur hæ voces, præter *rupes*. Sed Vlitius amplius corrigit *nectit*, atque hoc ad *discordia* trahit, hoc sensu: *Inter opus*, i. e. prout ignis se agitaverit, nunc varias rupes motu suo connectit, modo medias spissim obstantes coercet ac supprimit. Ego hoc ipsum non satis intelligo. Adjuvat ad inveniendam veram lectionem et sententiam codex Florent. in quo *nectunt aliæ*. Unde lego: *vectant aliæ, mediasque coercent*. Atque hæc est sententia: Hinc spissæ rupes obstant, atque ignem ruentem impedientes discordiam in ipso opere creant; contra aliæ vectant, aptæ promovendo igni sunt, atque adeo efficiunt, ut quæ in medio obstant, igne coerceri, circumflui et absumi possint: hinc pars rupium igni domatur et absumitur; pars ignem ferre, vehere, proferre cogitur. Conferendus versus 145, ubi et *vectus* ignis, et obstantibus rupibus *inclusus* dicebatur.

183. *Pars igni domitæ*. Sic omnes libri. Vlitius tamen l. c. et ex eo Gorallus *indomitæ* reposuit. Sed hæc correctio inde est, quod indomitas opponi putant rupibus *ignes ferre coactis*, atque has de iis intelligunt, quas ante igne coerceri, hoc est, domari, dixerat. Enimvero *ignes ferre* hoc loco non est sustinere, pati ignes, sed adferre, adducere, quod ante dixerat *vectare*. Igitur salva maneat lectio vulgata *domitæ*.

184. *Ut major species Ætnæ*. Bene Gorallus interpretatur, ut Ætna concavus speciosius quiddam oculis nostris objiciat, quam si esset solidus.

185. *Hæc illis sedes*. Hujusmodi sedes Ætna est illorum operum, hic veluti campus vacuus, in quo tantæ res gerantur. Editiones hoc versu parum variant. Sed cod. Florent. ei plane alium supponit: « Hæc operis visenda sacri faciesque, domusque »: qui versus a docto librario pro glossemate et interpretatione videtur positus.

186. *Nunc opus artificem incendit*: h. e. Nunc quum opus hoc tam mirabile esse appareat, dignum sane est, quod unumquemque rerum naturæ peritum cupiditate cognoscendi incendat, quodque eum ultro provocet, ad caussam ejus veram prodendam, præsertim quum talis reddi possit, quæ parvo aut nullo cum metu erroris conjuncta sit. *Artifex* poetis est quilibet peritus rei, h. l. philosophus: *incendit* Scaliger erudite magis quam vere, interpretatur celebriorem reddit.— Pet. Scriverius in Anecd. phil. p. 68, *artificem incendit* interpretatur *reddit admirabiliorem, ut caussæ accuratius exquirantur*. Hic igitur artificem videtur pro opifice vel auctore habere. Quo sensu etiam *artificem* dixit Seneca, Epist. LVIII: « Manent cuncta, non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis. Immortalia tutore non egent: hæc

Digitized by Google

Non illam parvi aut tenuis discriminis; ignes
Mille sub exiguo ponent tibi tempore veras
Res, oculique duces certo rem credere cogent.
Quin etiam tactu moneant contingere toto,

conservat artifex, fragilitatem materiæ vi sua vincens ». Ed. — Melius Gorallus: incendit cupidine intelligendi, quomodo tot mira fiant. Similiter Vell. Paterc. lib. I, c. 17: « Alit æmulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit ».

187. *Non illam parvi aut tenuis discriminis.* Gorallus parvi discriminis caussam vocari ait, quam non facile discriminare ab aliis commentitiis queamus, quippe parvo et tenui discrimine secernendam. Menckenius l. c. p. 153, hanc interpretationem refellit, et vi notioneque vocis *discrimen* e plurimis Veterum locis deducta, in ea demum significatione acquiescit, ut dicat *parvi aut tenuis discriminis caussam* esse caussam parvi et exigui momenti, quæ lubrico fundamento, dubiis conjecturis, incertis narrationibus nitatur. Ego locutionis illius sensum sic potius definiendum esse arbitror, ut sit caussa, in qua veri falsique ratio vix discernatur, cujus adeo notio parum sejuncta ab errandi periculo est, vel in qua facile est errare et falli. Approbat hanc interpretationem frequens apud poetas formula, « parvo discrimine leti, vel tenui discrimine rerum », a Menckenio multis ex locis ostensa, qua nihil aliud indicatur, quam parum abesse, quin vita perdatur, vel propinquum et facile metuendum periculum. Ergo, quæ hic *non parvi aut tenuis discriminis* dicitur caussa, non tam magni momenti, aut magni æstimanda caussa est, quam potius manifesta et sine metu erroris facile invenienda. Hanc notionem sqq. versus magis declarant. Cæterum cod. Flor. hunc versum sic legit: « Non illam parvo aut tenui discrimine signis ». Lugd. Hag. Basil. « Non illos parvi aut tenuis discriminis ignes ».

188. *Mille sub exiguo ponent tibi tempore veras Res, oculique docent, res ipsæ credere cogunt:* sic Helmst. Basil. Scalig. Luc. « Mille sub exiguo ponam tibi tempore veras Res, oculique docent, certas res credere cogunt », sic Lugd. et Hag. In priore Scaliger tenendum putavit *ponam*, quo quia minus considerasse videtur vocem ultimam præcedentis *ignes*, Gorallus *ponent* amplexus est; qui in altero Scaligerum plane sequitur, sic emendantem: « Res, oculique duces certo rem credere cogent ». Cod. Florent. plane aliter fingit: « signis Mille sub exiguum venient tibi pignora tempus, Res oculos ducunt, res ipsæ credere cogent ». Quamvis elegantes hi versus, longius tamen a vulgatis abeunt, et recens procusi videntur. Nos Gorallum sequi maluimus, quam plura tricari.

190. *Moneant* refero ad oculos. Iidem fortasse duces oculi moneant te manibus adeo contrectare ea, quæ videnda obtulerunt, tam propinqua sunt, si liceat. Pro *moneant* fortasse *moveant* legendum. Flor. habet *moneam*, non inepte. Pro *toto* Scaliger corrigit *tuto*, et Anton. *de*

Digitized by Google

Si liceat; prohibent flammæ, custodiaque igni
Illi operum est; arcent aditu, divinaque rerum
Cura sine arbitrio est; eadem procul omnia cernis.
Nec tamen est dubium, penitus quis torqueat Ætnam,
Aut quis mirandus tantæ faber imperet arti.
Pellitur exustæ glomeratus nimbus arenæ,
Flagrantes properant moles, volvuntur ab imo

Rooy in Conj. crit. pag. 97 distinguendum suadet: « Quin etiam tactu moneant, contingere tuto Si liceat ».

191. *Si liceat.* Scaliger hic corrigit *Scilicet, at prohibent.* Omnes quidem meæ edd. legunt *ignis*, sed *igni* requiritur ab sequente *illi. Igni illi custodia est operum*, h. e. ignis ille custos est operum, quo minus aditu vel tactu tentari possint. Antonius *de Rooy* tamen loco citato mavult legere *custodiaque ignis Illi operi est*, quia ubique in singulari apud poetam nostrum occurrit τὸ *opus* pro interno Ætnæ montis negotio: atque *operi* etiam exstat in cod. Florent.

192. *Arcent*, scil. flammæ, *aditu.* Flor. *aditus.*—*Divinaque rerum*, h. e. quia singulare quoddam numen curam habere rerum ibi evenientium videtur, propterea mortalis earum arbiter et testis esse nequit. Hæc enim Veterum opinio, quæ loca Dii habitare dicuntur, ea hominibus adire nefas est. Vide, quæ notantur a doctis ad Lucan. III, 422, et ad Ovid. Fast. IV, 751 et 761.—Apuleius, in lib. de Mundo, *divinum incendium* Ætnæ vocat. Et inde corrigi potest Lucretii versus, lib. VI: « neque enim *dia* de clade coacta », ubi male legitur *media*. Ed.—Notum est *arbitros* testes ac speculatores dici, *arbitrium*, cognitionem, inspectionem, ut notavit etiam Vlitius ad Grat. v. 331. Perperam igitur Scaliger *sine arbitrio* interpretatur, sine arbitrorum vel judicum cognitione per te ipse judicare potes. Post verba *divinaque rerum* omnes editiones meæ versum 184 *Ut major species*, etc. repetitum intrudunt ineptissime, præter unam Lugd. quæ omisit. Gorallus, ut exterminandum, uncinis inclusit; nos plane ejecimus.

194. *Quis torqueat.* Florent. *quid torreat*, sed illud rectius; vid. v. 3 supra et adnotata nostra. Ed.

196. *Quis faber imperet:* flammam et ventum intelligit, quem ubique caussam et motorem incendii prædicat, et infra v. 114 et 115 *imperare* igni dicit, et *ducem* ejus vocat, ut Horat. *ducem inquieti Adriæ*, Carm. III, 3, 5. Ventum caussam esse in sequentibus probat e vi, qua arenæ, globi flammei, rupes et faville ejiciuntur.

196. *Exustæ glomerantur:* cod. Florent. *exhaustæ glomeratim.* De *arena* testatur Plin. lib. II, c. 103: « Quinquagena et centena millia passuum arenas, flammarum globo eructat ». Lucret. lib. VI, 700, « Extollere flammas Saxaque subjectare et arenæ tollere nimbos ». Lindenbruch. Adde Ovid. Metam. V, 352: « Degravat Ætna caput, sub qua resupinus arenas Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhœus ».

Digitized by Google

Fundamenta, fragor tota nunc rumpitur Ætna;
Nunc fusca pallent incendia mixta ruina.
Ipse procul magnos miratur Iupiter ignes,
Neve sepulta novi surgant in bella Gigantes,
Neu Ditem regni pudeat, neu Tartara cælo
Vertat; in occulto tantum premit omnia dextra.
Congeries operis saxorum, et putris arena
(Quæ nec sponte sua saliunt, nec corporis ullis

198. *Fundamenta;* ut de Typhoeo, Valer. Flaccus, II, 30, « trux ille ejectat adesi Fundamenta jugi ». — *Fragor nunc rumpitur*, h. e. sonitus magnus, quasi rerum, summa vi intra Ætnam fractarum et abruptarum, auditur.

199. *Fusca mixta ruina*, i. e. lapidibus abruptis ustisque, et cineribus fuscis mixta.

200. *Ipse pr. magnos.* Flor. *tantos.*

201. *Neve sepulta novi*, h. e. ne Gigantes, et præcipue Enceladus Ætnæ subjectus, denuo exsurgere, Ætna excusso, et bellum inferre Superis audeat. Hic Lucilius, sui oblitus, poetarum commentum de Enceladi repetit, quod supra philosophico supercilio reprehenderat, ad v. 69. — Eadem repugnantia a se dissentit Lucretius, qui initio poematis multa Veneri tribuit, quæ in ipso poemate naturæ divinæ detrahit. Ed.

202. *Neu Ditem regni pudeat.* Neve Dis pater, vel Pluto, regni sui caliginosi apud inferos pertæsus, erumpere ad Superos velit, quod fecisse rapturus Proserpinam dicitur, et ipse minatur apud Claudianum Raptu Proserp. lib. I, 113 seq. — *Neu Tartara cælo Vertat*, h. e. mutet, neu cupido eum incedat inferos et noctem miscere, vel mutare, cælo et die.

203. *Dextra*, i. e. potentia sua, ut Domitius et Ascensius explicant, sive perpetua providentia, *in occulto*, clam *tantum* et absque vi aperta *premit*, servat, supprimit et moderatur *omnia*, quæcumque fiunt in Ætna. Codex Florent. hic legit *tremit omniaque extra*, idemque referre ad *Jupiter* videtur. Pleræque veteres edd. *in occulto* referunt ad præcedentia, distinctione apposita, et Scalig. adeo *inocculto* conjunctim una voce legendum putat, ut cum Tartara sint occulta, cælum contra inoccultum dicatur. Idem sequentia sic connectit et legit: « tantum premit omnia tetra Congeries operis saxorum et putris arena ». Nos in neutro assentiri Scaligero possumus, nec Gorallus potuit.

204. *Congeries operis*, copia lapidum actione et turbine interiore Ætnæ congesta. Antonius *de Rooy* conjicit *Congeries cineris*, quia infra v. 421 dicitur: « In cinerem putresque jacet dilapsus arenas »: *putris arena* habent pleræque vetustæ, quod retineo; Gorallus *arenæ*.

205. *Quæ nec sponte sua faciunt.* Sic omnes libri, quos habeo, et Gorallus. Sed ineptum videtur *faciunt*. Poeta vult, saxa per naturam suam neque sursum ferri, neque, si nullius viribus corporis sustentata sint, aliter nisi cadere, vel

Digitized by Google

Sustentata cadunt robusti viribus) omnis
Exigitur; venti sursum vada vortice sævo
In densum congesta rotant, volvuntque profundo.
Hac caussa exspectata ruunt incendia montis;

deorsum tendere posse; itaque ut sustollantur, opus esse vi venti. Hinc paullo melius legit Florent. *sponte sua veniunt*, h. e. proveniunt vel exsiliunt e monte. Ego vero convenientius scripturæ vulgatæ lego: *Quæ nec sponte sua saliunt* vel *exsiliunt:* quo verbo supra v. 103, item v. 473 de lapidibus utitur.—*Corporis ulli* legunt omnes mei: Scaliger dictum putat pro *ullius*. Sed edit. Ald. et scriptus cod. Flor. exhibent *ullis*. In sequenti pro vulgat. *robustis* malo *robusti*.

207. Hag. et Basil. hic legunt: *Exigitur, vertit vada vitrea vertice sævo*. Lugd. Luc. Scaliger: *vertit vasa omnia vertice sævo*. Gorallus *vortice*. Veneta similiter, tantum *omnia* omittit. Aldina corrupte: *Exigitur vertitur saxa vertice*, cui fere respondet MS Helmst. *vertitur basa vertice sævo*. Scaliger e lectione *vasa vitrea* faciendum putat *vasa intera*, et vasa dici putat, ut in corpore humano, venas, *intra* ut infera. Mihi hæc inepta et aliena videntur, tum vero τὸ *vertit* æque corruptum. Neque enim referri ad *congeries*, v. 204, post *exigitur* potest, et sequentis versus verba *rotant volvuntque* nomen plurale poscunt, a quo pendeant, quod latere in verbo *vertit* videtur. Emendandi viam monstrat lectio codicis Florent. *Exagitant venti turbas ac*. Unde collatis cæterarum lectionum vestigiis sic corrigo: *Exigitur; venti vada putria* (vel, si mavis, *venti sursum vada*) *vortice sævo In densum congesta rotant*. Vada putria sunt putres arenæ, quæ in fundo Ætnæ, tanquam in vado maris sunt; idem quod supra dixit v. 197, *volvuntur ab imo Fundamenta*. — *Et vada putria* confirmare videtur Claudianus, qui in descriptione Ætnæ de vento subterraneo loquens, plane respexisse hunc locum Lucilii videtur, de Raptu Pros. I, 176: « libertatemque reposcens Putria multivagis populatur fluctibus antra ». Ed. — *Vadum* dici quemvis fundum vel alveum fluminis, marisque, demonstrat Gronov. Observ. I, 19. Hic poeta turbinem, æstum a ventis in Ætna, tanquam in mari, excitari, et arenas lapidesque imo e vado attolli dicit, sicut Virg. Æn. III, 557: « Exsultantque vada, atque æstu miscentur arenæ ».

208. Pro *congesta* Flor. *collecta*, Helmst. *conjecta*; sed *congesta* rectius: nam idem vult poeta hoc verbo, quod sup. *congeriem* dixerat.

209. *Hæc. caussa* Venet. Hag. *Nec caussa* Helmst. Lugd. *Hac causa* Aldina 1517, item Basil. et Luc. quod rectum. Hac caussa, ante memorata, fit ut *exspectata* ruant *incendia*, et ut præsentiri ab accolis possint, longo fremitu præcedente. Florent. legit: *Hæc caussæ exspectanda terunt*. Jo. Christoph. Wolfius in margine editionis Pith. correxerat *Nec causa spectata*, quod tamen alienum a sententia auctoris arbitror. Quod Scaliger defendit, *Nec causa*, et tale esse dicit, quale *nec mora*, id sine exemplo est.

Digitized by Google

Spiritus inflatis momen, languentibus aer.
Non propera est igni par et violentia semper:
Ingenium velox illi, motusque perennis;
Verum opus auxilio est, ut pellat corpora: nullus
Impetus est ipsi; qua spiritus imperat, audit.
Nunc princeps magnusque, sub hoc duce, militat ignis.
Nunc quoniam in promptu est operis natura, solique,

210. *Inflati* Hag. Basil. *inflatis* reliquæ habent, idque rectum. Positum vero existimo pro *afflatis*, vel flatu excitatis. Scaliger sine caussa mutat *Spiritus inflat enim.* — *Nomen* omnes, sed Scaliger optime emendavit *momen*, quomodo vocatur, quod motum rei alioqui quieturæ creat; et vocabulum est e Lucretio petitum, ut alia multa. — Idem vocabulum Arnobio aliquot locis restituit Meursius, in Crit. Arnob. II, 10. Ed.

211. Versus hic in omnibus corruptus exstat. *Nam prope natura pars est*, Hag. *naturæ par est* Venet. Lugdun. *natura par est violentia semper.* Scalig. Basil. Luc. quos sequitur Gorallus. Sed codex Florent. *nequicquam pars*, quocum fere concinit Helmst. *prope natura quidquam par est volventia semper.* Quoniam hoc versu de igne sermo est, vox *ignis*, quæ per corruptelam excidit ex aliis, in msptis codd. latere in vocibus corruptis *nequidquam* et *quidquam* videtur; contra, vox *prope* superflua et aliena est. Gorallus quidem ob eam rationem sequente versu *igni* posuit, pro *illi*, sed hoc *illi* omnes scripti et excusi constanter servant. Igitur monstrantibus vestigiis codd. Flor. et Helmst. sic scribendum judicavi: « Non propera est igni par et violentia semper: Ingenium velox illi, etc. ». Ut *Non* legamus pro *Nam*, suadent consequentia, et quod sequitur: *nullus impetus est ipsi.* Et *impetus* ibi, quod hoc loco *violentia* dicitur.

213. *Corpore* legunt omnes, sed *corpora* recte restituit Scal. quod et aperte præfert cod. Florent. Præterea Helmst. *verum opus auxilium est:* et Ven. cum Lugd. *Verum opus auxilio interpellat corpore*, vitiose.

214. *Audit* recte omnes, h. e. paret et obsequitur. Solus Flor. habet *audet.* Persistit in metaphora militari, quia ante *imperat*, et post *militat*, dicit. Similiter Virg. Georg. I, ult. « Fertur equis auriga, neque audit currus habenas ».

215. Pro *Nunc* cod. Flor. *Hinc*, quod forte præferendum. Idem postea *magnusque qui sub duce.* — *Princeps*, i. e. omnium, qui in universo fieri possunt, ignium sine dubio præcipuus. Nolim tamen negare, quod Gorallus observat, simul respici ad militiam Romanam, in qua *principes* dicebantur, qui primi ac præcipui ætate et viribus essent, quum *hastati* essent juniores.—Vid. adnotata nostra ad v. 195 sup. Ed.

216. *Huic quoniam... operi*, legunt Ven. Lugd. Hag. Basil. Luc. quod Scaliger approbans falsum intulit sensum. Rectius cod. Helmst. et Scalig. Pithœique editio *Nunc.* Deinde *quoniam in promptu est si-*

Digitized by Google

Una ipsi et venti, quæ res incendia pascit;
Quum subito cohibetur, inest quæ caussa silenti,
Subsequar. Immensus labor est, sed fertilis idem;
Digna laborantis respondent præmia curis.
Non oculis solum pecudum miranda tueri
More; nec effusis in humum grave pascere corpus;

gnificat, quoniam exposita abs me est ratio incendiorum.

217. *Una ipsi venti* habent omnes mei. Sed Scaliger et Gorallus *una ipsi et venti* volunt, et *ipsi* putant pro *ipsius* positum. Ego vero, cur a vulgata recedatur, non video. *Una ipsi venti*, sc. in promptu sunt, quæ de ipsis ventis, qui incendium excitant, dixi. *Unde* pro *Una*, quod Flor. habet, fortasse rectius est.

219. *Subsequar*, sub istis, vel post ea exsequar, exponam.

220. Pro *digna* cod. Flor. *pigra*, quod ineptum videtur: *laborantis* Helmst. Basil. Scal. *laboranti* Ven. Lugd. Hag. *laboratis* emendat Scaliger. Ego *laborantis* præferendum existimo, quia infinitivi, qui per plures versus sequuntur, omnes ad illud *laborantis* referendi videntur. — Ego aliter sentio et omnes infinitivos a v. 249, « divina est animi ac jucunda voluptas », pendere puto. Ed. — Verbo *respondet* utitur ad modum Gratii, qui Cyn. v. 60, « tanto respondet longior usus », et v. 493, « impetrato respondent multa favore Ad partes ». Ad sententiam huic versui similis est Manilii, IV, 393: « Pro pretio labor est, nec sunt immunia tanta ».

221. *Miranda fuere* habent scriptus Helmst. et omnes mei excusi. Quod tamen minime stare potest. Nam auctor hoc et sequentibus versibus præmia recensere vult, quæ sequantur curas, altius rerum naturam indagare laborantium. In his primum est, quod illi miracula naturæ non pecudum more solis oculis contemplentur. Ubi aptum minime est *fuere*, sed infinitivus aliquis requiritur, ut illi sequentes sunt *pascere*, *nosse*, etc. Scaliger quidem ponendum censet *fovere*, et *oculis rem fovere* dicit esse, in illa rerum contemplatione nimis oculis indulgere, cum imperita miratione. Mox in quadam membrana se legisse affirmat *oculis miranda videre*. Quod licet in textum receperit Gorallus, tamen in adnotatione minus probare, et potius in vulgatæ lectionis coacta interpretatione hærere videtur. At nisi *videre* rectum est, certe *tueri* reponendum, quod cod. Flor. præfert, et literæ vulgatæ lectionis *fuere* significant, quodque pari in sententia usurpat Ovidius, Metam. I, 85: « Os homini sublime dedit, cælumque tueri Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus ».

222. *Effusis in humum*, h. e. oculis, inquit Gorallus; similiterque interpretatur Ascensius. At *oculos in humum effundi* pro converti, vel defigi, id valde dubito, an a bono scriptore dicatur. Verum *effusi in humum* intelligendi sunt homines, qui quasi in terram projecti res tantum terrenas, et ad victum pertinentes, cogitant, quales a Persio, II, 61 vocantur *curvæ in terras ani-*

Digitized by Google

Nosse fidem rebus, dubiasque exquirere caussas,
Sacra perurgentem, capitique attollere cælum;
Scire quot et quæ sint magno natalia mundo

mæ et cælestium inanes. Igitur *effusis* tertio casu accipiendum est, et *effusis in humum pascere corpus* notat, ea tantum quærere, sapere, quæ hominibus, sola terrena spectantibus, et eorum corpori pascendo apta sint. — Malo tamen hic legere *nec effusos in humum*, i. e. tamquam projectos in terram, vel terræ adhærentes; quemadmodum Minucius, in Octav. cap. 5: « Ultra humilitatis nostræ terminos evagamur, et in terram projecti, cælum ipsum et ipsa sidera audaci cupiditate transcendimus ». Ed.

223. *Nosse fidem rebus*, Florent. *rerum*, h. e. scire rei cujusque fidem facere, argumentis probare. *Nosse* habent plurimæ edd. et sic in cod. Eliensi, item Mediceo legi affirmat Burmannus ad Ovid. Metam. I, 85. Ego libentius *Posse* legerem. — *Dubiasque exquirere caussas* omnes mei scripti et impressi, præter unam edit. Luc. quæ *exposcere*, quod quidem a Gorallo receptum est, mihi tamen minus probatur.

224. *Sacra*, quasi in adytis abscondita, et hominum ingeniis minus pervia, *perurgentem* recte Gor. explicat insectantem et persequentem, ut propius cognoscat, quemadmodum *urgere* Nonius Marc. exponit *insistere*. MS Helmst. vitiose legit *per ingentem*, sicut et edit. Aldina. — *Capitique attollere cælum* omnes scripti et editi, nullo excepto, legunt. Scaliger tamen mutandum putavit *caput atque attollere cælo*, quod probavit et recepit Gorallus. Menckenius, Miscell. Lips. nov. vol. V, pag. 156, contra statuit hypallagen in vulgata lectione agnoscendam, pariterque ferendam ut in Virgilio, qui plures ejusmodi habeat. Ego tenendam lectionem vulgatam, nec tamen hypallagen in ea statuendam puto. Alius verborum sensus est, ac viri illi docti putant, et *capiti attollere cælum* est capiti, quod sua natura sublime et erectum est, accommodare et ad contemplandum proponere res sublimes ac cælestes; vel cælestia et sublimia cogitare, ut digna capite et statu suo erecto. — Videtur hæc phrasis formata ad modum hujus Virgil. Æn. III, 134: « arcemque attollere tectis », id est, acropolim ædificare, prout cætera tecta et domus urbis id requirunt, vel ad decorandas et defendendas ædes reliquas. Ed. — Aliam et argutiorem emendationem affert Scalig. « Sacra perurgentem captivi tollere cæli ». Quam laudat Lindenbruchius, et hoc vs. Manilii, 127, probat: « Quis neget esse nefas invitum prendere mundum, Et velut in semet captum deducere in orbem? » Ego probarem idem, si emendatione opus esse crederem.

225. *Cur magno talia:* sic quidem omnes edd. sed Scaliger in veteribus membranis invenit: « Scire quot, et quæ sint magno natalia mundo Principia »: quibus succinit cod. Flor. qui *magno fatalia* habet, et cod. Helmst. *talia* quidem legit, sed omisso *cur*, ubi post verbum *magno* facile excidere potuit similis syllaba *na*. Ego hanc scripturam reducendam putavi, quum et aptum plane sit *natalia* dici *mundi principia*, i. e. naturalia, originalia, et Lucilius hoc loco, ut alibi, Gratium

Digitized by Google

Principia; occasus metuunt, an sæcula pergent,
Et firma æterno religata est machina vinclo;
Solis scire modum, et quanto minor orbita lunæ est;
Hæc brevior cur bissenos cita pervolet orbes,
Annuus ille meet; quæ certo sidera currant
Ordine, quæve suo careant incondita cursu;
Scire vices etiam signorum et tradita jura;

exprimere videatur, qui hoc sensu uti solet; Cyneg. v. 135 *natalia, arbitria* sunt naturalis qualitas, quam quid per se habet, nulla accedente opera; et v. 365 *natale auxilium* est ab ipsa natura profectum.

226. *An sæcula pergent*, h. e. an perpetuo duratura, vel æterna futura sunt. Pleræque antiquæ legunt *ad sæcula pergunt*, et Lugd. *ac sæcula*, quod sensui non aptissimum videtur.

227. *Machina mundo* pleræque veteres, et MS Helmst. sed Florent. Aldina et Luc. edd. cum Basil. in margine exhibent *vinclo*, quod rectum, immo necessarium est. Nam vinclo elementorum machina mundi æterna efficitur, et hoc laxato in pristinum chaos redit. Vid. v. 172.

229. Hic omnes antiquæ meæ legunt *Cur illi brevior, cur isti pervolet orbis Annuus, ille monet, quæ.* Emendatior paullo est Luc. « Cur illi brevior bissenos pervolet orbes; Annuus ille monet ». Scal. in membrana excerptorum poetarum sic legisse affirmat: « Hæc brevior cur bissenos cito pervolet axes, Annuus ille meet »: quam lectionem sane bonam, Gorallus in suam editionem transtulit; atque eam alludit scriptura, quamvis corrupta, codicis Helmst. « Hæc brevior cur subisse pervolet orbis Annuus ille movet ». His comparatis lectionibus versum sic putavi constituendum: « Hæc brevior cur bissenos cita pervolet orbes, Annuus ille meet ».

231. *Quæ certo sidera currant Ordine.* Gorallus his stellas fixas intelligit, quas putabant Veteres circa terram constanti motu circumagi, et per sequentia, *quæ suo careant motu*, planetas, qui rerum cælestium imperitis incerto cursu errare videntur. Ego contra puto ista sidera esse errantia, et hæc fixa. Hæc proprie dici possunt suo cursu carentia, quia non per se moveri, ut planetæ, videntur, sed cum toto cælo verti, eumdemque situm retinere. Cæterum hic omnes edd. veteres habent *incondita cura*. Gorallus recte dedit *cursu*, nec tamen, quo auctore, prodidit. Flor. legit: « quæ suos servent incondita motus », quæ lectio contra sensum auctoris esse videtur: *incondita* sunt, quæ non occidunt, vel Oceano conduntur, ut planetæ. Sic supra, v. 131, *incondita flumina* dixit, quæ non ante terra abscondita fuerunt.

232. *Vices signorum*, tempora ortus et occasus signorum Zodiaci. — *Tradita jura*, h. e. vim et efficaciam, quam iis tribuerunt veteres Astronomi, in vitam et fata hominum iis orientibus nascentium. Sic etiam appellat Manilius, lib. I, 804: « Signorumque canam fatalia

Digitized by Google

Nubila cur cælo terræ denuntiet imbres,
Quo rubeat Phœbe, quo frater palleat igne;
Tempora cur variant anni, ver, prima juventa,
Cur æstate perit, cur æstas ipsa senescit,
Autumnoque obrepit hiems et in orbe recurrit;
Axem scire Helices, et tristem nosse cometen,
Lucifer unde micet, quave Hesperus, unde Bootes;

carmine jura ». Post hunc versum codex Flor. alium, aliis omnibus incognitum, inserit: « Sex cum nocte rapi, totidem cum luce referri ». Puto eum ex alio poemate, glossematis caussa, huc intrusum.

233. *Nubila cur cælo*, i. e. quando cælo Phœbe apparet nubila et obscura. Idem Virg. Georg. I, 427, sic describit: « Luna revertentes quum primum colligit ignes, Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu, Maximus agricolis pelagoque parabitur imber ». Pro *terræ* Helmst. *terris*. Major variatio in cod. Flor. qui legit *Nubila cur Panope cælo*. Panope est nympha marina, ut adnotavimus aliis locis. — Vid. huj. nostræ ed. t. I, ad Mosell. Auson. 176, et ibid. parte II, p. 638. — Quæ quem locum in cælo habere possit, non video. Fortasse librarius nomen *Phœbe* ex sequente versu huc trahendum putavit, quod alius mutavit in *Panope*.—*Denuntiet*, ut Virgil. Georg. I, 452 de Sole: « Cæruleus pluviam denuntiat ».

235. *Tempore* Ven. Lugd. cæteri *Tempora: varient* Flor. idem porro *ver prima juventa Cur æstate perit*. Hæc lectio concinna magis et apta sequentibus *cur æstus ipsa senescit:* eamque juvat cod. Helmst. qui sequente versu idem habet *Cur æstate perit*. Cæteri omnes legunt *primaque juventa Ver præit æstatem*. Hagaenoensis tantum in altero hemistichio *Ver æstate præit*, atque illud *perit* confirmat, quod et Gorallus recepit. Ver *prima juventa*, sc. anni dicitur ob similitudinem, quæ est inter anni tempora et hominis ætates, quam inprimis exponit Pythagoras apud Ovidium, Metamorph. XV, 200 seqq.

237. *Obrepit:* accommodate hoc dictum ad hiemem quasi senectutem anni, quæ pigra et tarda est; quomodo de hominis senectute Juvenal. IX, 129: « obrepit non intellecta senectus »; et Ovid. Metam. XV, 212: « Inde senilis Hiems tremulo venit horrida passu ». Cæterum elegans hæc Lucilii descriptio vicissitudinum anni comparanda est cum illa Horatii Carm. IV, vs. 9: « Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit æstas Interitura, simul Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox Bruma recurrit iners ».

238. *Axem scire Helices*, id est, scire, quæ sit conversio, vel qui motus sideris, quod Helice, Ursa major, dicitur. Gorallus *axem* interpretatur polum Arcticum, quomodo eum alias vocari notum est. Sed hoc loco non regio cæli, in qua est Helice, sed ipsius sideris axis, sive motus, significatur, qui proprius est Helices, quia et Plaustrum dicitur, et diei noctisque spatio circa polum vertitur. Hinc Lucan.

Digitized by Google

Saturni cur stella tenax, cur Martia pugnax;
Quo rapiant nautæ, quo sidere lintea tendant,
Scire vias maris, et cæli prædicere cursus;
Quo volet Orion, quo Sirius incubet index;
Et quæcumque jacent tanto miracula mundo,
Non digesta pati, nec acervo condita rerum,

II, 237 : « Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes ».

240. Codex Florent. habet *Saturni quæ stella*, et *quæ Martia;* sic et Helmst. —*Tenax* stella Saturni dicitur, quia tenaces, morosos facere credebatur, sub eo nascentes. Eadem ratio in *Martia pugnax*. Sic Propert. IV, 1, 83 : « Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis, Et grave Saturni sidus in omne caput ». Juvenal. VI, 568 : « Quid sidus triste minetur Saturni, quo læta Venus se proferat astro ».

241. *Quo rapiant nautæ*, i. e. quo sidere deripiant vel contrahant vela, navigationem intermittant : pro *tendant* Flor. habet *pandant*.

243. *Qua vocet Orion* cod. Flor. *quo sævus incubet* Ven. et Hag. *sævus et incubet* Lugd. *quo secius incubet* Helmst. *quo Sirius incubet* Ald. Basil. Scalig. Pith. Luc. Scaliger τὸ *secius* probare videtur, id est, deterius, quia Orionis ortu maximæ tempestates cieri soleant. Mihi probabilius est, Sirium nominari, qui hoc aptius jungitur Orioni, quod eum Ὡρίωνος κύνα vocat Homerus, Il. XXII, 29.—*Quo volet*, i. e. quo effectu sui sideris ; et *volet* Orioni accommodatum, qui venator fuit, et citato gradu in astris properare fingitur. Unde Manilius de eo lib. V, 61 : « Solertes animos, velocia corpora finget, Atque agilem officio mentem, curasque per omnes Indelassato properantia corda vigore ».—*Quo Sirius incubet* intelligendum de gravi æstu et fervoribus flagrantissimis, quibus premere terras id sidus passim dicitur, et de quibus Manilius, V, 209 seq. Idem verbum de Sirii vehementia usurpat Valer. Flacc. lib. I, 683 : « sic quum stabulis et messibus ingens Ira Deum, et Calabri populator Sirius arvi Incubuit ». Cod. Flor. hic habet *excubet*, quod aptatum credo canis naturæ, cujus signo inest Sirius. Appositum *index*, nisi ad eamdem respiciat, quo referam, non habeo : nam ad reliquam Sirii vim nimis languidum est. Fortasse legendum *ardens* vel *Indis*, ad exemplum Virgilii, Georg. IV, 425 : « Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat ».

244. *Tanto miracula mundo*. Sic omnes legunt. Dousa filius voluit *toto*, idque recepit Gorallus. Ego retineo *tanto*. Nam eo significare auctor vult multitudinem rerum mirabilium, quæ notare et digerere divini animi voluptas sit. — *Jacent* interpretor præjacent, atque oculis animisque sunt proposita.

245. *Non digesta pati*. Sic omnes libri tenent, et tamen id adversum sententiæ auctoris videtur, qui potius vult, non indigesta et confusa pati. Scaliger vult negationem *non* hic esse repetendam, quod et alias fiat in *non solum*. Sed hæc ratio vix

Digitized by Google

Sed manifesta notis certa disponere sede
Singula, divina est animi ac jucunda voluptas.
Sed prior hæc hominis cura est dignoscere terram,
Et quæ hujus miranda tulit natura notare;
Hæc nobis magis affinis cælestibus astris.
Nam quæ, mortales, spes est, quæ amentia major,
In Jovis errantem regno perquirere velle,

transferri ad nostrum locum potest. Gorallus suspicatur legendum *disjecta*, quasi sparsa sine ordine. Contrarium exhibet cod. Flor. *congesta*, quasi temere congesta, vel confusa: quod ipsum tamen a manu correctoris esse videtur, qui sensum νοῦ *digesta* non capiebat. Scilicet vulgata lectio retinenda est, et *digesta* h. l. idem est ac disjecta, dissipata, disjuncta. Quo sensu usurpavit Lucilii æqualis Lucanus, VI, 88: « Corpora tum solvit tabes, et digerit artus »: nec alio sensu apud Virgil. Georg. II, 267, accipienda *arborum seges digesta* videtur, nempe disjuncta et separatim posita sine respectu ordinis. — *Acervum* hic bene Gorallus intelligit de rerum universitate indistincte nota, quomodo ipsum Chaos appellat Ovidius, Met. I, 24: « Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo, Dissociata locis concordi pace ligavit ». Confer. supra versus 104 et seq.

246. *Manifesta notis*, h. e. suis notis, affectionibus, signis descripta et definita, quibus manifesta fiat earum natura. Sic Gratius, Cyneg. 289 *percensere notis*, et v. 497 *finire notis* dixit. — *Certa disponere sede*, certis locis, generibus, classibus adsignare.

247. *Divina est animi.* Conferendi cum hoc pronuntiato præclari versus Ovidii, quibus Astronomorum studium extollit, Fast. I, 297 seqq. « Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis, Inque domos superas scandere cura fuit, etc. »

248. *Cura est cognoscere* legunt antiquæ, et nihilo melius est, quod Gorallus posuit, *dignoscere*. Flor. pro *hominis* habet *omni*.

249. Omnes antiquæ legunt *Et quæ nunc miranda;* sed Gorallus bene mutasse videtur *Et quæ hujus*, sicut in sequente *Hæc nobis magis affinis* pro *magna affinis*, quod vetustæ habent. Florent. exhibet *Quæque in ea miranda.*

251. *Nam quæ mortalis spes* MS Helmst. ed. Ven. et Luc. *quæ mortali* Hag. et Basil. *quæ mortalis species* Lugd. quod defendit Scaliger. *quæ, mortales, spes est* Scaliger edidit, Pithœus et Gorallus. Cod. Flor. *Nam quæ mortali cuiquam est.* Lindenbruchius suadet *nam quæ, mortales, res est*, ut sæpissime apud Comicos. Ego prætulerim illud primo loco positum.

252. *In Jovis regno*, i. e. in cælo astrifero. — *Errantem* omnes mei scripti et excusi habent, et nescio unde Gorall. *errantes* ceperit. Intelligo autem stellam errantem. Flor. legit *perquirere Divos*. — Gorallus *perquirere* absoluto sensu accipit pro *inquirere*, quamobrem *errantes* ad *mortales* referre sane potuit. En.

Digitized by Google

Tantum opus ante pedes transire et perdere segnes?
Torquemur miseri in parvis, premimurque, labores
Ut sese pretio redimant, verumque professæ,
Turpe! silent artes, viles inopesque relictæ.
Noctes atque dies festinant arva coloni,
Callent rure manus, glebarum expendimus usum;
Fertilis hæc segetique feracior, altera viti,

253. *Tantum opus*, quale est Ætna: vide inf. v. 595. — *Ante pedes*, quod in conspectu obvium adeo est, ut, nisi velimus videre, offendamus. — *Perdere* opponitur τῷ *perquirere*, quod præcessit; nam perditur, quod non quæritur. Denique *segne est* Florent. legit pro *segnes*. Cæterum sententia hæc Lucilii et aliis frequentata est, et Lindenbruchius adnotat, auctorem veterem apud Donatum in Adelphos dicere: «quod ante pedes est, non videt: cæli scrutatur plagas». Quod joculanter dictum fuit in Thaletem, qui quum siderum cursum contemplaretur, in puteum decidit, ut videndum apud Diog. Laertium. Nec longe ab his abit illud Minucii Felicis, in Octav. cap. 12: «Desinite cæli plagas et mundi fata et secreta rimari, satis est pro pedibus adspicere». Cicero de Divin. II, 13, dictum hoc Democriti Physici esse ait: «Quod est ante pedes, nemo spectat: cæli scrutantur plagas».

254. *Torquemur miseri in parvis*, h. e. misere fatigamur laboribus, excruciamur animo, ob res exigui momenti. — *Premimurque labantes* omnes edd. vet. Sed cod. Helmst. *laborem*, et Scaliger e membrana sua *labores* protulit.

255. Scalig. ex eadem membrana *Ut sese pretio redimant*, sed Helmst. et omnes edd. meæ *Dum sese pretio*, quod cur rejiciatur, non video. Sensus est: Labores graves exercemus, usque dum fructus vel pecunia ex iis comparanda impensas vel sumptus vitæ æquet, compenset. Porro *verumque professa est* perperam legunt Helmst. Hag. Basil. sed *professæ* Ven. Lugd. Luc. quod rectum est: *verum professæ artes* sunt, quæ omnis veri indagationem docent, philosophicæ.

256. *Turpe! silent artes, viles.* Hanc lectionem Scaliger e membrana sua dedit, commodam sane et elegantem, nescio tamen, an valde accommodatam scripturæ veterum librorum. Nam omnes mei legunt: «Tum demum viles taceant, inopesque relictæ». *Turpe*, exclamatio, sæpe interjicitur. Horat. Epod. IX, 16: «Interque signa, turpe! militaria Sol adspicit conopeum».

257. *Festinant arva*, magna contentione fodiunt, arant. Sic *festinare vestes* Ovid. Metam. XI, 576, ut Horatius *deproperare coronas* dixit.

258. *Glebarum expellimur usu* MS Helmst. Hag. Basil. *experimur usu* Ven. *glebarum usu experiuntur* Lugd. Luc. Scal. unde Gorallus *glebas usu experiuntur*. Sed cod. Florent. *glebarum expendimus usum*. Ego malim, ut dictio præcedentibus magis aptetur, *expenditur usus*.

259. *Fertilis hæc*. Hoc et sequente

Digitized by Google

Hæc platanis humus, hæc herbis dignissima tellus,
Hæc dura et melior pecori, silvisque fidelis,
Aridiora tenent oleæ, succosior ulmis
Grata: leves cruciant animos et corpora caussæ,
Horrea uti saturent, tumeant et dolia musto,
Plenaque desecto surgant fenilia campo.
Sic avidi semper, qua visum est carius istis,
Scrutamur rimas, et vertimus omne profundum,

versu pene exscripsit Virgilium, Georg. I, 54: « Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ: Arborei fetus alibi, atque injussa virescunt Gramina ».

260. *Hæc platanis.* Terræ feraci et frugiferæ subjungit humum sterilibus et soli voluptati aptam, ambulationes et prata. Pro *platanis* Flor. *plantis*, male: pro *herbis* Scaliger e membrana sua substituere voluit *ederis:* sed hoc in nullo inveni. — De platanis vide adnotata nostra, ad Pentadii Elegias, hujus ed. t. II, p. 323. Ed.

261. Hic omnes mei tenent *Hæc diti melior pecori.* Sed Scaliger optime correxit e membrana: *Hæc dura et melior pecori;* cui respondet Flor. *Hæc duro mel. pec.* Intelligit enim eam, quæ pastionibus aptior est, quæ durior et sterilior. Calles, saltus, silvas vocabant Veteres. Vid. Varro de Re Rust. lib. I, cap. 6. — *Silvisque fidelis*, h. e. quæ proventu silvarum utilis spem domini non decipit. Vim vocis uberius declaravit Gorall. Huc pertinet Horatii Carm. III, 16, 30: *segetis certa fides meæ*, et contra *fundus mendax* C. III, 1, 30.

262. *Aridiora tenent oleæ.* Adsentit Virgil. Georg. II, 179: « Difficiles primum terræ, collesque maligni..... Palladia gaudent silva vivacis olivæ ». Pro *succosior* Ven. et Lugd. vitiose legunt *successior.*

264. *Horrea uti saturent*, h. e. ut plena horrea ad satietatem usque alant; quamquam et ipsa horrea dici possunt satura, ut *satura præsepia* Virgil. Georg. III, 214. Vide notata ad v. 12 supra.

265. *Surgant fenilia*, i. e. accumulentur, construantur. De fenilibus confer Calpurn. V, 102.

266. *Qua visum est carius istis*, h. e. quatenus vel quando alia quædam cariora et pretiosiora istis memoratis visa sunt: *quod visum est* habent Ven. et Lugd.

267. *Scrutamur rimas.* Hunc et duos sequentes versus omnes scripti et editi versui 275 subjiciunt, quem locum plane iniquum et alienum esse, nemo dubitabit. Gorallus primus, quantum scio, huc transtulit; et plane aptum hunc locum esse, neque meliore potuisse reponi, tota series et connexio versuum, inde enascens, docet. Scaliger illos ante vers. 257 ponendos censebat, parum εὐστόχως. Mirum tamen, quomodo hæc labes omnia invadere exemplaria potuerit, quasi omnia ex uno codice provenissent. — *Evertimus omne* quædam antiquæ, sed melius videtur *et vertimus.* — *Rimas* intelligamus terræ, *profun-*

Digitized by Google

Quæritur argenti semen, nunc aurea vena,
Torquentur flamma terræ, ferroque domantur.
Implendus sibi quisque bonis est artibus; illæ
Sunt animi fruges; hæc rerum maxima merces,
Scire quid occulto terræ natura coercet,
Nullum fallere opus, non mutos cernere sacros
Ætnæi montis fremitus, animosque furentis,
Non subito pallere sono, nec credere subter

dum maris, quia in hoc margaritæ, uniones, purpuræ, aliaque pretiosa leguntur, et poetis hoc fere proprie *profundum* dicitur; vid. v. 317. Fortasse hic legendum *et verrimus*, quod de piscatione inprimis usurpatur. Vid. Mosel. Auson. 244.

268. Scaliger in veteri membrana sic se invenisse dicit: « Semen ut argenti quæratur, et aurea vena », quod elegantius vulgatis putat. Ego vero nullo in libro aliam, ac vulgatam lectionem inveni. Anton. *de Rooy* conjicit *argenti sedes*, nec tamen urget. *Argenti semen* sunt tenues particulæ, venæ vel segmenta. Pariter Ovid. Trist. I, 8, 42, *silicum venas et ferri semina* conjungit.

270. *Implendus sibi quisque*, h. e. satiandus alendusque. Commendat quasi famem vel sitim bonarum artium, quam opponat aviditati ante memoratæ opum terræ et divitiarum.—*Sunt artibus illis.* Helmst. Ven. Lugd. sed *illæ*, Basil. et Luc. quod rectum est.

271. *Sunt animi fruges.* Geminum huic, quod Persius ait, Satir. V, 64: « purgatas inseris aures Fruge Cleanthea », h. e. animum instruis præceptis philosophiæ moralis.

272. *Naturæ terra*, vulg. sed cod. Florent. *terræ natura*, quod recepi. Hi versus comparandi cum loco Virgilii, Georg. II, 490 seqq. *Felix qui potuit*, etc. Ed.

273. *Nullum fallere opus*, subaudi *nos*, h. e. nullum naturæ opus vel effectum nobis ignotum esse, quin omnium caussas reddere possimus. Porro *non multo* habet cod. Helmst. *multum* Flor. *multos* quædam edd. vet. *multis* aliæ. Scaliger optime emendat *non mutos*, i. e. præ stupore obmutescentes, non quidem ex novitate rei, ut Scaliger intelligit, nec ob metum, qui mutos facit, ut Gorallus, sed ex defectu et ignorantia rationis, quasi mutum pecus. Idem enim vult poeta, quod supra v. 221 dixerat: « Non oculis solum pecudum miranda tueri More ». Horat. Sat. I, 3, 100: « Mutum et turpe pecus ». Et pecoribus similes homines Sulpicia v. 15 dicit *tacitos et jam rationis egenos.*—*Sacros fremitus* dicit, quasi divinitus excitatos, arcanos et ab hominum cognitione remotos. Sic etiam appellat infra v. 461 et 552.

274. *Animumque furentis*, sic edd. antiquæ; sed cod. Helmst. et Flor. *animosque*, quod præfero. Nam pluralis hoc sensu ponitur plerumque; conf. v. 279.

275. *Nec credere subter* dedit Gorallus e sententia Scaligeri: sed omnes libri habent *non credere*, quod

Digitized by Google

Cælestes migrasse minas ad Tartara mundi;
Nosse quid impediat ventos, quid nutriat ignes,
Unde repente quies et multo fœdere pax sit;
Cur crescant animi penitus, seu forte cavernæ
Introitusque ipsi fervent, seu terra minutis
Rara foraminibus tenues in se abstrahit auras.
Planius hoc etiam, rigido qua vertice surgit,
Illinc infestus, atque hinc obnoxius, intus
Undique diversas admittere cogitat auras;

tamen mutare nulla necessitas est.

276. *Cælesti* legunt omnes vetustæ. Hoc inde est, quod librarii connectere cum verbis *ferroque domantur* voluerunt, quæ sunt extrema trium versuum, quos hoc loco exemptos, et in suam sedem restitutos diximus ad v. 267. *Cælestes minas*, i. e. tonitrua et fulmina —*Ad Tartara mundi* omnes impressi, sed MS Flor. *aut Tartara rumpi*, quod e correctione esse videtur.

277. Pro *impediat* Flor. *intendat* contra omnes reliquos.

278. Flor. *Unde reperta quies.* Gorallum, qui pro *et multo* legere *et inito* voluit, ob errorem castigat Menckenius l. c. qui aut in vulgata acquiescendum, aut *juncto* legendum censet. Fortasse *et muto* hic legendum, ut *mutam quietem* dixit Ovid. Metam. XI, 602. Cæterum hic revertit auctor ad argumentum, de subita quiete et silentio montis, unde deverterat v. 218.

279. *Concrescant animi* habent libri veteres. Scaliger et Gorallus inde fecerunt *Cur crescant*. Totus hic locus obscurus difficile explicatur.

280. *Servent* cod. Helmst. et Flor. et edd. vet. *fervent* Scaliger et Pithœus ediderunt, quod præfero; sed non de fervore vel æstu ignis, sed de turbine venti furentis intelligo, ut v. 167 occurrit, et Olympius, Cyneg. 276 de Borea: « Ille super fluctus spumanti murmure fervens ».

281. *Neve in se abstrahat* Helmst. et Ven. *neve in se distrahat* Hag. *sive in se abstrahat* Lugd. *ne venis abstrahat* aliæ; unde Gorallus mutavit *in venas abstrahat*. Proxime ad scripturam corruptam cod. Flor. *tennes in se abstrahit*, quod prætuli. Tenues auræ aptæ minutis foraminibus, ut ferventes venti cavernis patentibus.

282. *Planius hoc etiam*, subaudi cernitur, vel intelligitur. *Plenius* habent omnes veteres; et quædam *hæc etiam, rigido qua vertice surgit*, h. e. in summo monte, qua rupes adsurgunt.

283. *Illinc infestus, atque hinc obnoxius.* Gorallus explicat, hinc admittens auram, illinc emittens, resistit, aut cedit vento: quem sensum verborum non satis capio. Emendatius videtur cod. Flor. cujus variatio utinam non in hoc versu cessaret: « Illinc insessa est, atque hinc obnoxia ventis »: nec tamen *intus* vulgatæ, ad *admittere* pertinens, abesse posse videtur.—Scal. *infestus* et *obnoxius* opposita esse dicit. Ed.

Digitized by Google

Et conjuratis addit concordia vires;
Sive introrsus agunt nubes et nubilus Auster,
Seu forsan flexere caput, tergoque feruntur.
Præcipiti delata sono premit unda, fugatque
Torrentes auras, pulsataque corpora densat.
Nam veluti, resonante diu Tritone canoro,

285. *Et conjuratis*, sic omnes. Gorallus ponendum censuit *At conjuratis*, quia *conjuratæ auræ* hoc loco opponantur *diversis* præcedentis versus. At diverso a latere ingruentes auræ tamen conspirare in unum effectum, adeoque conjuratæ esse possunt. Claudianus pariter dixit, de III Cons. Hon. 98 : « Et conjurati veniunt ad classica venti ».

286. *Introrsus agunt*, scil. se, vel agitantur, feruntur. De Austro vid. v. 167.

287. *Flexere caput*, i. e. retro eunt, *tergoque feruntur*, i. e. terga vertunt, aut retrorsum recedunt. Sic Scaliger et Gorallus explicant, plane falso : *tergo ferri* pro *terga vertere* dici posse nego ; neque hic de capite et tergo ventorum, sed Ætnæ montis, sermo est, quemadmodum Noster infra, v. 447, *Ætnæ latera ;* Silius Italicus, I, 205 seq. Atlanti *caput, cervicem, tempora, rictum ;* Valer. Flaccus, V, 413, eidem *terga* tribuit. Lucilius h. l. caput et tergum dicit exteriora montis, eaque opponit τῷ *introrsus*, quod in præcedente versu est. Venti *flexere caput* montis, i. e. venti cursum vel impetum suum exterius flexere in, vel circa caput montis, et deorsum per tergum montis feruntur. Sic Cicero de Divin. II, 45, *flectere promontoria* nautas dicit, qui cursum circa promontoria dirigunt : *Quod*, inquit, *qui navigant, maxime animadvertunt, quum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas sæpe sentiant.*

288. *Præcipites* legunt quædam antiquæ, et cum *feruntur* jungunt : *delecta sono* scriptus Helmst. et plerique excusi ; *delata* Basil. Scal. et Luc. quod recepit Gorallus. Scaliger legendum censet *dejecta*, quod mihi præplacet. At Lindenbruchius defendit *delecta*, et *deligere* antique dictum pro dejicere, locis quibusdam Plauti et Terentii probat. Præterea male in vetustis *una* legitur pro *unda*. Scilicet probare nunc vult auctor, ventum illum, qui ignem Ætnæum animat, excitari æquoris vicini per fistulosos meatus illapsu in imum Siciliæ fundum, ubi raptum secum spiritum tam diu suffocatum tenet, donec per spiramenta terræ diffusus nutrimenta ignis accendat. Hanc incendii causam præter Justinum historicum etiam poetæ Lucretius, VI, 694 seqq. et Claudianus Rapt. Proserp. I, 175, memorant.

289. *Torrentes auras*, h. e. rapidas, cum impetu ruentes. Anton. *de Rooy* mavult *torpentes ;* quædam veteres *curas*, vitiose : *corpora densat*, comprimit, coarctat ; Helmst. *denset*.

290. *Nam veluti sonat ora diu* MS Helmst. *sonitura* Ven. Lugd. Hag. *sonat ore* Ald. et Basil. quæ in margine *sonat unda :* denique *resonante*

Digitized by Google

Pellit opes collectus aquæ, victusque movetur
Spiritus, et longas emugit buccina voces;
Carmineque irriguo magni cortina theatri

dederunt Scaliger, Pith. et Goralus. Scaliger tamen *sonit aura*, antique, subintellecto *cum* putat legendum. Sub *Tritone* hoc loco intelligitur machina hydraulica in naumachiæ spectaculo ad signum buccina dandum, Claudii maxime ævo inventa, ut ex Suetonii loco, Claud. c. 21, apparet: « Hoc spectaculo classis Sicula et Rhodia concurrerunt, exciente buccina Tritone argenteo, qui e medio lacu per machinam emerserat ». Plura de hoc Tritone diximus in prœmio.—Cæterum Tritonum et Nympharum statuas Romæ in lacubus et cisternis aquæductuum fuisse positas, quæ aquas effunderent concha, probat locus Propertii, II, 23, 50: « Et leviter Nymphis tota crepitantibus Urbe, Quum subito Triton ore refundit aquam » (vel *refundit*, ut legit Burm. ad Sueton. Aug. c. 78). Ed.

291. *Pellit opes collectus aquæ*, h. e. vim aquæ collectus spiritus pellit, et vicissim aquæ pondere victus, et cedere coactus erumpit per foramina, quale est os buccinæ Tritonis. Sed dissimulare nequeo, probabilius mihi videri, si legatur *Pellit opus collectus aquæ*, quomodo scriptus Helmst. a prima manu habet, et Casaubonus in comment. ad Suet. l. c. scripsit. Ut Lucilius motum et actionem interiorem Ætnæ vocare *opus* solet, ita et motum vel concitationem spiritus in Tritone: hic *pellitur* collectu aquæ, vt versu 29, *impelli anima* dicitur: *collectus* aquæ pro concursu vel collectione est vox Lucretiana, lib. IV, 416. Porro *victusque movere* omnes libri exhibent, neque tamen dubium, quin mutandum sit in *movetur*, quemadmodum jam Turnebus legit, hunc locum adscribens Advers. lib. II, cap. 21.

293. *Carmineque irriguo*, hoc est, ope aquæ irriguæ edito. Falso hæc ab interpretibus, in ipsaque editione Goralli, trahuntur ad superiora, quasi buccinæ Tritonis voces audirentur in cortina, hoc est, fornice theatri. Sed *cortinam theatri* hoc loco vocari organon hydraulicum, a Tritone distinctum, totamque instrumenti ejus musici antiquitatem, affatim exposui in prœmio ad Organon Porphyrii (t. I, p. 697. Ed.), ut hoc loco plura dicere non necesse sit. Codex scriptus Helmst. clare perscriptum habet *magnis cortina theatris*, eoque clare probat, cortinam distinctam a theatro, nec ejus partem fuisse. Locis et testimoniis in prœmio isto adductis hic addo duo Senecæ. Unum, qui organorum usum in theatris maxime fuisse probet, Epist. 84, pag. 351 edit. Gron. « Quum omnes vias ordo canentium implevit, et cavea æneatoribus cincta est, et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis ». Alter Senecæ locus Natur. Quæst. II, 6, breviter describit hydraulici organi proprietatem: « Quis, inquit, sine intensione spiritus cantus est? Cornua et tubæ, et ea quæ aquarum pressura majorem sonitum reddunt, quam qui ore

Digitized by Google

Imparibus numerosa modis canit arte regentis,
Quæ tenuem impellens animam subremigat undam:
Haud aliter submota furens torrentibus aura
Pugnat in angusto, et magnum commurmurat Ætna.
Credendum est etiam ventorum exsistere caussas
Sub terris similes harum, quas cernimus extra;
Ut quum densa premunt inter se corpora, turba
Elisa in vacuum fugiant, et proxima secum
Momine tota trahant, tutaque in sede resistant.
Quod si forte mihi quædam discordia tecum est,

reddi potest, nonne aeris intensione partes suas explicant? » His locis simul ætas probatur, qua hydraulica frequentari cœperunt; et Senecæ æqualis est auctor Ætnæ.

294. *Imparibus numerosa modis*, i. e. quæ numeros imparium modorum et vocum edere valet.

295. *Tenuem impellens animam*, h. e. tactu vel impulsu canorum excitans spiritum per tenuia foramina transeuntem.—*Subremigat undam*, occulte quasi remis subagitat. Virgil. Æn. X, 227: « læva tacitis subremigat undis ».

296. *Torrentibus aura*, sc. aquis magno impetu in subterranea Ætnæ antra illapsis, aura impulsa et in angustum coacta furit, et pugnat sibi viam aperire.

299. *Sub terra* MS Helmst.

300. *Ut condensa* Ven. Lugd. Hag. *cremant inter se corpora*, hoc est, ignita vel accensa invicem se urunt, et flammam rapiunt: sic quidem omnes libri legunt. Sed in alia hic abit J. F. Gronovius, Epistola ad Heins. tomo III Syll. Burm. p. 74. Legendum censet *quum densa premunt*, et nihil hic de igne agi, sed caussam tradi eamdem impulsus ventorum sub terra, quæ sit corporum supra terram. Ut quum densa corpora inter se premunt mutuo, quædam ex his e turba elisa evadunt in vacuum; quia vero et premunt et premuntur, suo *momine* trahunt proxima, quæ perurgent, donec in vacuo et tuto, ubi non premuntur, restiterunt. Et fateor, hanc interpretationem admodum planam et liquidam esse, cui reliquæ voces *elisa*, *fugiunt*, *resistunt* apprime favent; tum vero alienam plane ab hoc loco videri ignis et exustorum corporum mentionem, quam verbum *cremant* ingerit. Itaque non dubitavi Gronovii emendationem in textu sequi.

301. *Turba elisa*, i. e. multitudine et densitate aliorum corporum pressa et impulsa, *in vacuum fugiant*, ferantur in eas partes, ubi nullum obstaculum vel fulcrum est.

302. *Nomina* quidem omnes veteres habent, sed *Momina* recte restituit Scaliger, ut versu 210. Sunt autem *momina* nutantia in se pondera et proclives in ruinam partes; nam *momen* proprie est ῥοπὴ in libra. *Momine* hic Gronovium legere, jam monui ad versum 300.—*Tutaque in sede*, eo loco demum, in quo consistere, requiescere possint.

Digitized by Google

Principiisque aliis credas consurgere ventos,
Non dubium rupes aliquas, penitusque cavernas
Proruere ingenti sonitu, casuque propinquas
Diffugere impellique animas; hinc cernere ventos,
Aut humore etiam nebulas effundere largo,
Ut campis agrisque solent, quos obruit amnis.
Vallibus exoriens caligat nubilus aer,
Flumina parva ferunt auras, vis proxima vento est,

304. *Principiis quod ab his credas* Ven. Lugd. et Hag. edd. legunt quod Scaliger difficulter defendit. Rectius cæteræ *Principiisque aliis*, idque sensus postulat.

305. Pro *penitus* Gronovius l. c. legit *penitasque cavernas*, ut *penitas fauces* dixit Plautus, Asin. I, 1, 28. Parum abest, quin pro eo legendum putem *quin et cataractas*. Nam *cavernas* parum aptum sequenti *proruere*, et latere jam in *rupes* videtur, et cataractas fluviorum cum ingenti sonitu flatum magnum et nebulas humidas, quæ postea dicuntur, excitare, norunt, qui viderunt. Cataractarum Nili meminit Lucanus, X, 318; et de Peneo, fluvio Thessaliæ, Ovid. Metam. I, 571: « Dejectuque gravi tenues agitantia fumos Nubila conducit, summasque aspergine silvas Impluit, et sonitu plus quam vicina fatigat ». —Vid. nost. Ovid. t. III, p. 114. Ed.

306. *Proruere*, procumbere et collabi. Ven. Lugd. et Hag. habent *Provehere*, quod sensui non est congruum, licet Scaliger velit.

307. *Impellique animas*, vel auras, ut versu 296 dixit. Perperam hic Scaliger *minas* reponendum censet, et minas vocari ait, quæ paullo ante *momina*. Nam de concitatione venti sermo est. Cui rei intelligendæ inservit locus Plin. lib. XXXIII, c. 4: « Mons fractus cadit ab sese longe, fragore, qui concipi humana mente non possit, et flatu incredibili ». — *Hinc cernere ventos* omnes quidem libri veteres legunt, sed tam coacta est eorum verborum, quam Scaliger et Gorallus dat, interpretatio, ut ultro amplectar facillimam emendationem Gronovii: « hinc carcere ventos, Aut humore etiam, etc. » h. e. hinc diffugientes illas impulsasque animas, aut carcere effundere ventos, aut humidas nebulas exhalare.

308. *Aut humore* legunt omnes antiqui. Gorallus sententiæ suæ serviens mutavit in *haud*, sed Gronovius revocavit.

309. *Ut campis agrisque solent*, sc. *impulsæ* illæ *animæ* v. 307.

310. *Caligat*, densus et obscurus est, ut habet Virgil. Æn. II, 607: « quæque humida circum Caligat, nubem eripiam ». Helmst. *caligat nubibus*.

311. *Ferunt auras*, emittunt et secum vehunt; vid. not. ad v. 183. —*Vis proxima vento est*, i. e. vis auræ fere par et similis vento est, vel ex aura tenui facile ventus nascitur. Scaligero, qui *venti* legit et aliter exponit, non adsentio. Confer. Seneca Natur. Quæst. V, 3: « Adjice nunc, quod circa flumina et lacus frequens nebula est, arctatis con-

Digitized by Google

Eminus adspirat fortes et verberat humor.
Atque hæc in vacuo si tanta potentia eorum est,
Hoc plura efficiant intra, clausique necesse est.
His igitur caussis extra, penitusque coactus
Exagitat ventus, pugnans in faucibus, alter
Pugnantis suffocat iter; velut unda profundo
Terque quaterque exhausta graves ubi perbibit Euros,
Ingeminant fluctus et primos ultimus urget,
Haud secus adstrictus certamine tangitur ictu

junctisque corporibus, nec tamen ventus est ».

312. *Eminus adspirat*, h. e. humor e longinquo delatus quum adspirat, *fortes* efficit auras, et *verberat*, impellit.

313. *Atque hoc in vacuos* Helmst. Ven. Lugd. Hag. *hæc in vacuo* Basil, Luc. Scal. *potentia rerum est* omnes. Gorallus substituit *eorum est*. Facilius pro *rerum* legas *rure est*: et præcedit *in vacuo*.

314. *Efficiant intra, clausique*: sic Gorallus edidit. Sed scribendum erat *infra clausique*, quomodo et Helmst. Scal. et Luc. habet. Nam hic auctor a caussis ventorum supra terram ad eas, quæ infra terram, argumentatur, ut versu 299 promiserat. Veteres edd. vitiose *introclusique*, vel *introclusaque*.

315. *His igitur caussis..... coacti exagitant venti*. Sic Gorallus edidit, quum veteres pleræque haberent *His agitur*, et *coactis ventis, exagitant* et *exagitat, ventos* et *ventus*: quæ et sequentium versuum singulis fere in vocibus variant.

316. Gorallus dedit *Exagitat ventus, pugnantque in faucibus, arcte Pugnantes et suffocat intus, ut unda profundo*, etc. Quæ præter vitium in quantitate *suffocat* admissum, quum veteres habeant *pugnantes suffocat et intus*, aspera sunt et coacta. Emendavi eum locum ita, ut nullum fere verbum sine alicujus auctoritate posuerim, auxiliante potissimum mspto Helmst. qui sic: « His agitur causis extra, penitusque coactus Exagitant ventos, pugnant in faucibus arte Pugnantis suffocat inter velut unda profundo ». Sententia loci, quæ emendatione mea efficitur, satis confirmatur similitudine fluctuum maris, quæ sequitur versu 319.

318. *Terque quaterque*, aliquoties, *exhausta* exagitata, elata. — *Perbibit Euros*, tota vim Euri recepit.

319. *Ingeminant fluctus*, increbrescunt, augentur, unus alterum insequitur; ut Virgil. Georg. I, 333: « Ingeminant Austri, et densissimus imber »; et Noster supra versu 56: « geminantque faventes venti ». Antiquæ legunt *ingeminat*, minus bene. *Gemina* habet Noster infra, v. 488. — Similis dictio Horatii, Epist. II, 2, 176: « et hæres Hæredem alterius velut unda supervenit undam ».

320. *Adstrictus certamine*, loco arcto adactus ad certandum. Male interpretatur Gorallus, certat in loco arcto. — *Tangitur ictu*, impulsu alicujus corporis excitatur.

Digitized by Google

Spiritus, involvensque suo sibi pondere vires,
Densa per ardentes exercet corpora venas,
Et quacumque iter est, properat, transitque morantem,
Donec confluvio revolutis æstibus amnis
Exsilit, atque furens tota vomit igneus Ætna.
Quod si forte putas iisdem decurrere ventos
Faucibus, atque iisdem pulsos remeare, notandas
Res oculis locus ipse dabit, cogetque negare.
Quamvis cæruleo siccus Jove frigeat æther,
Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro,

321. *Involvensque suo pondere;* et, dum graviter rotatur, suas vires colligens.

322. *Exercet corpora,* agitat et jaculatur, ut Jupiter apud Claud. Laud. Stil. II, 29: OEtæis exercet fulmina silvis ». Quædam antiquæ habent *exercent*, vitiose.—*Per ardentes nervos* Ven. Lugd. Hag. sed *venas* Basil. Luc. rectius.

323. *Transitque morantem*, pertransit, prosternit, quidquid objicitur et moratur. Infra versu 378: « Quidquid in obliquum est frangunt iter ». Hinc etiam confirmatur correctio mea versus 317.

324. *Confluvio*, confluxu, vel colluvie materiæ adustæ, in liquorem redactæ; vid. v. 119. — *Revolvens* Ven. mendose: *revolutus et æstibus* Lugd. *revolutis æstibus* Hag. Bas. Luc. Hanc lectionem rejiciens Gorallus *resolutis æstibus* scribit, idque intelligit de æstuante materia in liquorem resoluta. In qua sententia eum refutat Mencken. Misc. Lips. nov. vol. V, p. 335, et *revolutis* defendens, pro *volutis*, aut huc et illuc volutis, positum, id de æstu atque igne inprimis dici, multis poetarum locis probat. Aptus in primis Nostro est locus Senecæ, Agam. III, 489: « Vento resistit æstus, et ventus retro Ætnum revolvit »; et Virg. Æn. II, 707: « propiusque æstus incendia volvunt ». Per *amnem*, qui *exsilit*, i. e. summo montis vertice erumpit, intelligendi sunt fluctus igniti, petræ in monte liquefactæ, et cacumini superfusæ: hodie dicitur Gallice *la lave*. Ed.

326. Pro *decurrere* sola Basil. habet *decernere*, quod fortasse accipere possis de pugna ventorum, quam sæpius dixit; sed *decurrere* clarius est, et pluribus firmatur.

327. *Pulsis remeare*, legunt plerique veteres; *pulsibus* Helmst. sed *pulsos* Lugd. idque sensus poscit.

329. *Cæruleo siccus Jove*, sudo et sereno cælo; Hor. I, 1, 25: « manet sub Jove frigido Venator ». *Siccus sic* habent quidam excusi, sed *Jove* exprimit Helmst. Basil. Luc.

330. *Jubar aureus*, sol purus. *Jubar* sæpe masculinum proferri observavit Priscianus lib. V, p. 658. De ortu solis, et quidem sereni, usurpari præcipue, docuit Barthius ad hunc locum Statii Theb. I, 343: « Sed nec puniceo rediturum nubila cælo Promisere jubar ». Nemesia-

Digitized by Google

Illinc obscura semper caligine nubes
Pigraque defuso circumstupet humida vultu;
Prospectat sublimis opus, vastosque recessus,
Non illam fugat Ætna, nec ullo intercipit æstu,
Obsequitur quacumque jubet levis aura reditque.
Placantes etiam cælestia numina ture
Summo cerne jugo, vel qua liberrimus Ætna
Improspectus hiat, tantarum semina rerum
Si nihil irritet flammas, stupeatque profundum,

nus, Cyneg. 143 : « Luciferum videre jubar ».

331. *Caligine nubes.* Testatur hoc Strabo, lib. VI, plerumque nubem erectam et quiescentem, cælo sereno, stare super montem; quem locum una cum alio Aristotelis, hic adduxit Scalig. Addo, hanc nubem erectam potissimum respici, ubi Ætna κίων οὐρανία vocatur a Pindaro, Pyth. od. I.

332. *Circum strepat* fere omnes excusi, *circum stupet* Helmst. et ed. Luc. quod rectum est. Nam Strabo dicit νέφος ἠρεμεῖν, et Noster repetit v. 339. — *Defuso circumstupet vultu* geminum est illi, quod de Narcisso Ovid. Met. III, 418 : « Adstupet ipse sibi, vultuque immotus eodem Hæret ». Pro *defuso* fortasse rectius *defixo*. Duo epitheta *pigra* et *humida* possunt offendere, nec, quem humida locum habere possit, video. Nihil tamen variant libri, et difficile est verum exquirere, nisi fortasse velis : *circumstat culmina* sc. montis, vel *circumstupet agmine.*

333. *Opus*, i e. ardores et motus interiores montis.

334. *Non illam fugat Ætna* : sic edidit Gorallus, quamvis omnes libri habeant *Non illum videt;* quod ei absurdum, et naturæ rei testimonioque ipsius poetæ contrarium est visum. Fortasse propius scripturæ sit *Non illam ferit.* Et *ferire* commutatum cum *videre*, exemplo probat locus Propertii, I, 1, 12, ad quem vid. Brouckhusius.

336. *Placantesque etiam.* Sic Gorallus; plerique tamen antiqui rectius *Placantes etiam*, sine copula. Strabo etiam memorat, lib. VI, quando resederit tempestas Ætnæ, incolas solitos ad summum montis ascendere, et sacrificiis placare Deos.

337. *Qua liberrimus*, ubi maxime apertus et patens, nulla re conspectum impedit. Sic *liberior campus* Ovid. Fast. IV, 292, et *liberius cælum* Met. XV, 301.

338. *Improspectus hiat*, h. e. tam profundos hiatus aperit, ut e superiore loco prospici non possit. Statius, Silv. I, 1, 88 : « Vix lumine fesso Explores, quam longus in hunc despectus ab illo ». — Similiter Lucanus, VI, 749 : « Indespecta tenet vobis qui Tartara ». Ed. — *Tantarum semina rerum* caussas recte interpretatur Gorallus.

339. *Stupeatque profundum* h. e. quiescat, non moveatur : ut *stupere* aqua dicitur, quæ non movetur, no-

Digitized by Google

Hinc igitur cernis, torrens ut spiritus ille,
Qui rupes terramque vorat, qui fulminat ignes,
Correxit vires, et præceps flexit habenas.
Præsertim ipsa suo declivia pondere nunquam
Corpora deripiat, validoque absolverit arcu;
Quod nisi fallor, adest species, tantusque ruinis

tante Gorallo ex Martial. IX, 100: « Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur Quæ fluit, an pigro quæ stupet unda, lacu ».

340. *Hinc igitur cernis.* Antiquæ habent: *Huic igitur credis, torrens ut spiritus illi*, vel *ille*. Gorallus ex emendatione Scaligeri edidit: *Hinc igitur quæris torrens vi spiritus ille, Qui rupes ... Cur egit vires.* Mihi hæc abire nimium a scriptura codicum et sensu auctoris videntur. Et *cernis* propius abest a *credis*, respicitque ad ea, quæ poeta versu 328 dicebat: *res oculis locus ipse dabit;* et v. 337, *Summo cerne jugo.* Continuat nempe ostendere, quod ante cœperat, Ætnam, ubi profundum quievit, non externo a vento agitari.

341. *Terramque vorat.* Sic Petron. Bell. civ. 135: « Ætna voratur Ignibus insolitis, et in æthera fulmina mittit ». Horat. Carm. III, 4, 75: » nec peredit Impositam celer ignis Ætnam ».

342. Plures vetustiores cum cod. Helmst. legunt *Cur exit;* aliæ *Cur egit.* Scaliger *exit* probat, Gorallus *egit*, pro *retro egit.* Ex scholiis Ascensii intelligo, hunc legisse *correxit*, quod verum puto, et eo sensu positum, quo versu 180 adfuit, pro contraxit, vel retraxit, reposuit: quocum convenit sequens *et præceps flexit habenas*, h. e. impetum avertit.

343. *Præsertim ipsa.* Sensus est: Hoc præsertim nunquam acciderit, ut spiritus Ætnæ corpora, etiam pondere suo declivia in profundum deripiat, et dissolvat a suo arcu vel fornice.

344. *Corpora deripiat, validoque absolverit arcu.* Sic castigavit Scaliger. Veteres edd. legunt *Corpora diripiant, validoque absolveret arcu.* Ven. et Lugd. *varioque absolverit.* Fortasse melius: *validoque absorpserit actu* vel *æstu.*

345. *Quod nisi fallor.* Hæc quamquam in omnibus edd. sic leguntur, tamen corrupta, nec facile sananda, ipsi Gorallo videntur. Sententiam hanc reddit: *adest species*, speciosa ejus rei ratio proferri potest; nimirum tanta celeritate flamma ruit, ut motum ejus vix possimus animadvertere, si intima montis introspicere liceret: tanta ejus est levitas! Mea alio abit sententia, et verba *Quod nisi fallor* conjungenda cum superioribus arbitror: Quod spiritus nunquam pessum dat cavernosa et dissolvit a suo arcu, hoc inde est, *quod nisi fallor, obest spatium* (sic enim lego), et impetus ruentis spiritus tam rapidus est, ut ipsum oculorum conjectum superet. Mihi verba *oculorum transfugit ictus* nihil aliud, quam summam celeritatem indicare videntur, quæ ab aliis aliter significari solet. Gratius, Cyneg. 204: « Ocior affectu

Digitized by Google

Impetus attentos oculorum transfugit ictus;
Nec levitas tanta est : igitur ferit aura, movetque.
Sparsa liquore manus sacros ubi ventilat ignes,
Verberat ora tamen, pulsataque corpora nostra
Incursant; adeo tenuis vim caussa repellit!
Non cinerem, stipulamve levem, non arida sorbet
Gramina, non plantis exuritur humor apricis.

mentis pinnaque cucurrit ». Claud. Raptu Proserp. II, 200 : « Quantum non jaculum Parthi, non impetus Austri, Non leve sollicitæ mentis discurrit acumen ».

347. Helmst. et edd. antiquæ : *Nec levitas tantos igitur ferit.* Scaliger sic corrigit : *Hæc levitas, tanta est; igitur ferit aura movetque*, ut hoc sit epiphonema, cum conclusione vel epilogo. Gorallus idem tenet, sed posterius hemistichion *Igitur ferit* adjungit versui sequenti. Ego malim *Nec levitas tanta est*, scil. corporum eorum, ut facile auferantur. In reliquo ratio Scaligeri præplacet.

348. *Sacros ubi ventilat* omnes edd. legunt. Gorallus *sacros uti ventilat* scribit, et connectit cum superioribus *ferit aura movetque :* sed hoc fieri nequit, et *uti* ultimam non corripit. Incipit hoc versu nova oratio, et additur comparatio cum face lustrali, qua ostendatur, per miram ignis et spiritus rapiditatem fieri, quod suspensi fornices et saxa proclivia non diruantur. Quum sacerdos in lustrationibus facem quatit, tantus inde excitatur flatus, ut ex eo repercutiantur ora et corpora nostra, neque tamen adurantur stipulæ, gramina, et quæ alia proxima sunt. Apposite hoc illustravit Scaliger loco Claudiani, VI Cons. Hon. v. 324 seqq. ubi totus lustrationis per ignem actus describitur. Conferri etiam potest Tibull. I, 2, 61 ; Calpurn. XI, 63 seqq. — *Sparsa liquore*, i. e. aqua lustrali, qua prius spargebantur, quam purgarentur igne. Claudianus l. c. « Rore pio spargens ». — *Ventilat*, rotatione facis excitat. Claud. l. c. « Circum membra rotat doctus purganda sacerdos ». Sic Propertius, IV, 3, 50 : « Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem ! »

349. *Ore* pro *ora* omnes quidem vett. habent, sed vitium apertum est.

350. *Incursant* omnes legunt, et Scaliger explicat : cogit incursare corpora eorum, ad quos accidit facis agitatæ aura. Gorallus ut *incursat* reponeret, non satis caussæ habuit. — *Tenuis caussa* vix aliter potest accipi, quam de celeritate agitatæ facis. Gorallus intellexit de tenui vel tenero corpore.

352. Vetustæ hic legunt : *non tenuis plantis humor exit iisdem.* Pro *humor*, quod metrum non patitur, Scaliger et Pith. ediderunt *liquor*. In commentario tamen ille *honor* legendum docet, quod recepit Gorallus, qui simul *nam tenuis* dedit, errore, ut puto, operarum. Abire ab his videtur Cod. Helmst. qui, quamvis corrupte, *non tenuis plantis exit humus apredas*. Unde legendum puto : *non plantis exuritur humor apricis* vel *apertis*. Vox *tenuis*, quæ modo adfuit, huc importune irre-

Digitized by Google

Surgit odoratis sublimis fumus ab aris;
Tanta quies illi est, et fax innoxia rapti.
Sive peregrinis igitur, propriisve potentes
Conjurant animæ caussis; ille impetus ignis,
Et montis partes atra subvertit arena,
Vastaque concursu trepidantia saxa fragoris
Ardentesque simul flammas et fulmina rumpunt.
Haud aliter, quam quum prono jacuere sub Austro,

posse videtur. — *Exuritur* in emendatione nostra recte servatum esse, probare possunt loca a P. Wesselingio, Observat. variarum lib. II, cap. 28, p. 270, adducta, quibus probat, *exurere* usurpari, quum de humoribus vi caloris extractis sermo est. Ed.

353. Plerique habent *adoratis*, sed Helmst. et Basil. *odoratis*. Vult, ignem aræ libere sursum efferri, nec tamen arborum frondes ullas adurere.

354. *Et pax innoxia parti* Scaliger et Pith. ediderunt; sed *pax innoxia rapti* præferunt cod. Helmst. Ven. Lugd. Luc. *fax innoxia rapti* Hag. et Basil. quod magis placet Scaligero: *innoxia rapti* est, quæ, quod attingit, non urit vel destruit.

355. *Sive peregrinis*. Sive igitur ille spiritus ex ipso fundo Ætnæ, sive ab externis caussis excitatur, hoc certum est, inde impetum et violentiam ignis oriri. Nempe a spiritu et ventis, qui caussæ sunt ignis in Ætna excitati, transit ad ipsius vim ignis considerandam. Vetustæ edd. *agitur* legunt pro *igitur*, et *potentis* pro *potentes*.

356. *Ille impetus*. Scribam libenter; *impetus ignis*.

357. *Atras* antiquæ eddit. vitiose. *Subrectat arena* cod. Helmst.

358. *Vastaque*. Malo hic legere: *Vastaque concursu trepident jam saxa fragoris*; h. e. saxa ingentia magno sonitu avulsa jam concurrunt et colliduntur; eoque ignes excudunt et *fulmina rumpunt*, quomodo omnes veteres legunt: *rumpit* Gorallus edidit, quia hoc referendum credidit ad *impetum ignis*.

360. *Haud aliter*. Ut saxa Ætnæ vento inter se collisa, ignem extundunt, sic etiam in silvis rami arborum vi ventorum colluctantes, assiduo attritu ignem concipiunt. — *Jacuere sub Austro*, h. e. plane succubuere, vi Austri subactæ, ut ei obsequi et assidue agitari necesse sit. Sic apud Horat. Carm. II, 9, 7: « Aquilonibus Quercetæ Gargani laborant », h. e. ita agitantur, ut vix resistere queant. De incendio silvarum ex attritu ramorum Scaliger loca aliquot Veterum excitavit, e quibus hunc Lucretii subjungimus, lib. I, 896: « At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis Arboribus vicina cacumina summa terantur Inter se, validis facere id cogentibus Austris, Donec fulserunt flammæ fulgore coorto ». — Ejusdem nota quod ait Plin. XVI, 40: « Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis ».

Digitized by Google

Aut Aquilone fremunt silvæ, dant brachia nodo
Implicitæ, ac serpunt junctis incendia ramis.
Nec te decipiant stolidi mendacia vulgi,
Exhaustos cessare sinus; dare tempora rursus,
Ut reparent vires, repetantque in prælia victi.
Pelle nefas animo, mendacemque exsue famam,
Non est divinis tam sordida rebus egestas,
Nec parvas mendicat opes, nec corrogat auras;
Præsto sunt operæ ventorum examina semper.

362. *Hæc serpunt* libri veteres. Scaliger vult *et serpunt*. Gorallus *hac* dedit : mihi placet *ac serpunt*. Pro *junctis* Helmst. legit *vinctis*, quod aptius est præcedenti *nodo*.

363. *Nec te decipiant*. Refutat opinionem vulgi, qua putat, exhaustas esse cavernas Ætnæ, quia jam minus flagrare, et fere subsidere videatur. Eamdem quæstionem Lucilio ingerit Seneca Epist. LXXIX, atque, ut propterea Ætnam diligentius observet, monet. Respondet hic Lucilius, ad sensum Stoicorum, quibus favere videtur, materiam quidem et alimenta nunquam deesse posse divino operi, sed esse tamen caussas, quamvis incompertas homini, quæ æstum et eruptionem impediant. Sed sententiam, quam hic refutat Lucilius, firmare Pythagoras videtur apud Ovid. Met. XV, 340, præcipiens, Ætnæa incendia non usque quaque duratura. — Contra Christiani Scriptores Ætnæ ignes nunquam deficere contendunt, eosque in exemplum trahunt æterni ignis, qui damnatos apud Inferos manet. Tertullianus, Apol. c. 48 : «Non absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat. Adeo manent montes semper ardentes; et hoc erit testimonium ignis æterni pœnam nutrientis». Tertullianum imitatur Minucius in Octaviano, cap. 35. Ed.

364. *Dare tempora;* h. e. moram atque tempus interpositum dare, efficere hoc.

365. *Ut reparent vires* legunt Scaliger et Gorallus; *rapiant* habent libri antiqui, quod spernendum non erat. Nam notio reparandi jam in sequenti verbo *repetant*, sc. vires, latet.

366. *Pelle nefas*, nefarias cogitationes de rebus divinis. — *Exsue famam*, abjice opinionem, e falso vulgi sermone haustam.

368. *Nec parvas mendicat* habent vulgatæ : *nec parvo* Helmst. Ven. Lugd. quod præfert Scaliger : *nec congregat* Ven. Lugd. Hag. Bas. sed *corrogat*, quod Helmst. et reliquæ habent, rectius est, et τῷ *mendicat* bene convenit.

369. *Præsto sunt operi* legunt recentiores ex meis edd. Basil. Scal. Luc. idque ex correctione positum videtur, quia *opus* vocare auctor incendium Ætnæ solet. Sed omnes vetusti Helmst. Ven. Lugd. Hag. præferunt *operas;* qua voce sentio cum Scaligero eleganter vocari ventorum examina, tamquam fabriles operas, incendio Ætnæ ministrantes.

Digitized by Google

Caussa latet, quæ rumpat iter, cogatque morari.
Sæpe premit fauces magnis exstructa ruinis
Congeries, clauditque vias, luctamine ab imo,
Et scisso veluti tecto, sub pondere restat.
Haud secus ac tenero tum sub Jove frigida monti
Desidia est, retroque liquet discedere ventos.

370. Omnes antiquitus excusi hic corruptissime legebant : *Caussa latet, quærunt pariter, coguntque morari.* Divine Scaliger correxit *Caussa latet, quæ rumpat iter;* et quod huic respondeat, *cogatque morari* adhuc superest in Mspto Helmst. — *Rumpere iter* est abrumpere, impedire. Probat Horatii locus a Scaligero adductus, Carm. III, 27, 5 : « Rumpat et serpens iter institutum ». Addo Ovid. Am. III, 6, 88, qui de flumine viæ objecto : « quid mutua differs Gaudia, quid cœptum, rustice, rumpis iter ». — Et Rutil. Itin. I, 108 : « Gurges aquarum Rupit Tarpeias, hoste premente, vias ». Ed.

371. *Magnis exstructa ruinis.* Omnes meæ antiquæ habent *exhausta*, sed *exstructa* cod. Helmst. et ed. Scal. quod sine dubio melius.

372. *Luctamine ab imo*, ab imo sinu, meatu, in quo luctantur venti : sic et *certamine* usurpavit supra vs. 320.

373. *Scisso veluti tecto*, ruptis fornacibus, tamquam tecto domus delapso. — *Sub pondere præsto est* habent omnes antiquæ ; *præstat* cod. Helmst. quo confirmatur emendatio Scaligeri, qui *restat* rescripsit : hoc idem est ac *resistant* supra, v. 302. Ant. *de Rooy* legit *cessat.*

374. Plerique editi hic legunt : *Haud secus ac teneros quum sicco frigida monti Desudat.* Pro hoc aliæ *Desidiam.* Paullo recentiores, ut Basil. Scal. Luc. exhibent *quum secum frigida monti Desidia est.* Cod. Helmst. sic : *Haud similis teneros cur secum.* Scaliger legendum censuit : *Haud secus ac cernens, quum sicco frigida monti Desudat.* Cujus emendationis sensum, quamvis verum esse ipse affirmet, ego me fateor non adsequi. Facilior est lectio Goralli : *Haud secus ac tenero, tum secum frigida monti Desidia est*, ubi *tenerum montem* dici arbitratur, qui quasi fessus quiescit, ut teneri, h. e. molles et desidiosi homines solent. Sed quam durum et longe arcessitum hoc sit, unusquisque videt. Igitur malo : *Haud secus ac tenero tum sub Jove frigida monti Desidia est.* Sensus intelligendus ex supra dictis v. 329 seqq. et *tener aer* vel *Jupiter* poetis tenuis, serenus et tranquillus est : quomodo Ovidius usurpat Met. IV, 615 : « Aera carpebat tenerum stridentibus alis », item Trist. V, 2, 26. Plura ejus notionis exempla dabit Burmannus ad Ovid. Amor. III, 2, 37. Noster sæpius sic loquitur ; versu 329 dicit *cæruleo Jove*, et v. 603 *sævo Jove.*

375. Omnes veteres scribunt *tutoque licet discedere montes.* Scaliger de ventis agi existimans, legit : *tutoque licet discedere ovantes.* Gorallus putat eum sensum poetæ esse, ut dicat, quum quiescat mons, tum licere tuto adscendere montem. Igitur legit *tutoque licet adscendere*

Digitized by Google

Post ubi continuere moram, velocius urgent,
Pellunt oppositas moles ac vincula rumpunt,
Quidquid in obliquum est frangunt iter; acrior ictu
Impetus exoritur, magnis operata rapinis
Flamma micat, latosque ruens exundat in agros,
Si cessant a jure, ferunt spectacula venti.
Nunc superant, quæcumque regant incendia, silvæ,
Quæ flammis alimenta vacent, quid nutriat Ætnam.
Incendî patiens illis vernacula caulis

montem. Contra quam mutationem fuse disputat Menckenius libro cit. p. 340 seq. atque ostendere laborat, *discedere montes* a poeta pro *discedere in montes*, idque pro *abire in montem* dictum esse, atque adeo vulgatam lectionem idem significare, quod Gorallus velit. Mihi hanc disputationem non plane satisfacere fateor. Ambigua manet dictio, si id voluit poeta. Tum eadem verba *monti* et *montes* in fine versuum repetita offendunt. Anton. *de Rooy* igitur reponit *adscendere rupem* vel *molem*. Mihi, dum melius suppetat, hoc placet: *retroque liquet discedere ventos*, h. e. palam est, manifestum est, tum retro cedere ventos, ubi via ruinis montis obstructa est. Antecedentia hanc lectionem poscunt, sequentia egregie confirmant.

376. *Ubi continuere moram* Gorallus explicat, ubi se morantes aliquando continuerunt. Anton. *de Rooy* conjicit *corripuere*.

378. *Quidquid in obliquum est iter*, i. e. quidquid ruentibus occurrit obliquum, id perrumpunt.

379. *Magnis operata rapinis*, postquam flamma multam magnamque materiam depopulata est, et incensam secum rapuit.

381. *Si cessant a jure*, sc. suo, si remittunt vim suam, vel si quiescunt. Sic loquutum etiam Senecam, Scaliger hoc ejus loco probat, Nat. Quæst. lib. VI, c. 18: « ventus indomita naturæ potentia liber, utique concitatus, sibi jus suum vindicat ». Veteres *a rure*; male. — *Ferunt spectacula venti*, h. e. auferunt simul spectacula, vel ignes illos, quos mirabundi spectamus.

382. *Nunc superant, quæcumque regant*. Sic libri antiquitus excusi legunt, et sensus est: Nunc supersunt dicenda, vel, nunc superest ut dicamus de omni materia, quæ ignem in Ætna rapit, alit, dirigit. Nimirum hoc versu transgressio, vel nova propositio auctoris continetur. Scaliger et Gorallus legerunt *Nunc superent*, idque cum sequentibus connectentes, inde alienam verborum sententiam coegerunt, qua nunc recte caremus.

383. *Quæ flammas alimenta vocent* ediderunt Scaliger et Gorallus. Veteres excusi legunt *Quæ flammis*; unde Scaligero placet pro *vocent* ponere *vacent*: quod et ego summopere probo. Quæ *flammis vacant* sunt, quæ flammæ rapiendæ aptæ, paratæ sunt. — *Quid nutriat Ætnam*. Rectius, puto, vulgato *Ætna*.

384. *Incendî poterunt: illis verna-*

Digitized by Google

Materia, appositumque igni genus utile terræ est.
Uritur assidue calidus nunc sulfuris humor,
Nunc spissas crebro præbetur flumine succus,
Pingue bitumen adest, et quidquid cominus acres
Irritat flammas; illius corporis Ætna est.
Atque hanc materiam penitus discurrere, fontes
Infectæ erumpunt et aquæ radice sub ipsa.

cula. Sic editi omnes: quod difficilius quidem, potest tamen sic explicari: Si qua sunt, quæ, vel quæcumque incendi poterunt, hæc sunt materia illis caulis, vel cavernis, Ætnæ vernacula, i. e. propria et nativa. Sed multo liquidior erit oratio, si legamus: « Incendi patiens illis vernacula caulis Materia »; ut *patiens ignis* lapis dicitur infra v. 418.

385. *Oppositum* habent pleræque vetustiores, sed *appositum* Helmst. Hag. Bas. recte.—*Torrent*, pro quo veteres *terrent*, Gorallus accipit neutro significatu, pro *torrentur*. Nec sic tamen locus satis liquidus. Ego malim *terræ est*, h. e. genus terræ utile igni appositum, adnatum est; ut v. 425 dicitur: « Quod nullas adjunxit opes, et languet in ignes »; et v. 433: « lapis adcretus regerendis ignibus aptus ».

386. *Uritur assidue*; h. e. invenitur hic, exempli causa, sulfur perpetuo ardens.

387. *Flumine succus*. Etsi omnes vetusti libri legunt *vimine*, hæc tamen lectio, ut inepta et obscura, deserenda videtur, et recipienda Vlitii emendatio, qui ad Gratii versum 430 scripsit *flumine*. Nisi velis, poetam indicare, multa vimina fruticesque, succi lenti et bituminosi feraces, in Ætna inveniri. Scaligeri interpretatio, qui *præbetur vimine* eleganter dictum, pro *percolatur* quasi textu vimineo, putat, coactior est, quam ut multis placere possit.

388. *Cominus acres*. Omnes mei impressi habent *utras*, solus MS Helmst. *acres*, unde lectio, quam Gorallus dedit, confirmatur.

389. *Illius corporis Ætna est*, ex ea materia constat Ætna.

391. *Infectæ evincunt et aquæ*. Sic Gorallus dedit ex emendatione Vlitii ad Grat. v. 430. Vulgata veterum editionum est *Infectæ erumpunt*; et Helmst. « Infectæ eripiuntur aquæ ». Sane in vulgata non apparet, quo referendus sit infinitivus *discurrere* antecedentis versus. Quam difficultatem alia emendatione tollit Vlitius ad Grat. vers. 432: « Atque hanc materiam proni decurrere fontes, Infectæ eructant et aquæ radice sub ipsa ». Mihi videtur *erumpunt* in vulgata positum pro *erumpendo probant*, tropo poetis familiari, ut quum Ovidius, Am. II, 19, 40: « Quid latrent nocte silente canes », h. e. latrando significent; et Horat. Carm. III, 10, 3: « Porrectum ante fores objicere incolis Plorares Aquilonibus », id est, plorando demonstrares te dolere, quod objiceres Aquilonibus. — Et plane sic verbo *erumpere* usum esse reperio Minucium, in Octav. cap. 16: « Et quoniam, inquit, meus frater *erupit*,

Digitized by Google

Pars oculis manifesta jacet, quæ corpore duro est,
Ac lapis; in pingui fervent incendia succo.
Quin etiam vario quædam sub nomine saxa
Toto monte liquant; illis custodia flammæ
Vera tenaxque data est; sed maxima caussa molaris
Illius incendî lapis, is sibi vindicat Ætnam.
Quem si forte manu teneas et robora cernas,
Nec servare putes ignem, nec spargere posse.
Sed simul ac ferro quæres, respondet, et ictu
Scintillat calor: hunc multis circumdato flammis,
Et potes extorquere animos; atque exsue robur,
Fundetur ferro citius: nam mobilis illi

ægre se ferre », i. e. erumpendo dixit. Ed. — Cæterum fontis bituminosi in radicibus Ætnæ meminit Gratius, v. 430: « Est in Trinacria specus ingens rupe, etc. » Et de aquis Plinius, lib. II, c. 103: « Quum omnis aqua deorsum feratur, exsilire fontes, atque etiam in Ætnæ radicibus, flagrantis in tantum, ut per CL millia passuum arenas flammarum globus eructet ».

392. *Quæ corpore dura est* pleræque veteres legunt. Lugdun. *rubet ipsaque dura est.* Helmst. videtur scripsisse *quæ robore dura est.*

394. *Vario quædam sine nomine saxa:* sic Basil. Luc. Scalig. *variæ quædam sunt vimine* Ven. Lugd. Hag. unde Scaliger vult *sub vimine saxa*, iterum de percolatione saxorum liquefactorum cogitans. Ego lego: « Quin etiam vario quædam sub nomine saxa ».

395. *Illis custodia flammæ*, hæc ignem tenacissime servant.

396. *Sed maxima caussa molaris:* sic pleræque veteres, quæ lectio confirmatur versu 413: aliæ habent *sed maxima quippe molaris.* Similiter de molari lapide Plinius, lib. XXXVI, c. 19: « Molarem quidam pyriten vocant, quoniam sit plurimus ignis illi ».

397. Scriptura omnium mearum edd. est, *lapidis sic vindicat Ætnam.* Bene hanc correxit Gorallus, quem sequutus sum.

398. *Et robore cernas*, habent omnes, mendose, ut puto: per *robora* intelligo rigorem et densitatem.

400. *Simul ac ferro quæres*, h. e. ferro tundes, ut experiaris, an ignis insit: pleræque veteres *quæras* legunt.

401. *Circumdato flammis* Gorall. nescio unde, dedit; nam omnes mei habent *circumdare*, neque aliter necesse est; tamen prius tueor. Ed.

402. *Atque exsue robur*, h. e. et simul ac ejus robur exsueris: *extorquere animos*, et *exsuere robur* notat domare ejus duritiem et mollire igne. Postea etiam *opes* et *vires* vocat. Conf. vers. 476 et 537. Helmst. legit *Et patere extorquere animos.* — Ut Noster dixit *robur lapidis*, sic Lucretius *ferri potestas.* Ed.

Digitized by Google

Et metuens natura mali est, ubi cogitur igni.
Sed simul atque hausit flammas, non tutior haustis
Ulla domus, servans aciem, duransque tenaci
Septa fide: tanta est illi patientia victo!
Vix unquam redit in vires, atque evomit ignem.
Totus enim denso stipatus robore tarda,
Per tenues admissa vias, incendia nutrit,
Cunctanterque eadem pigreque accepta remittit.

403. *Metuens natura mali*, i. e. cedens malo, et noxa facile afficienda.

405. *Non tutior haustis*, sc. flammis *Ulla domus*, h. e. nulla domus aut custodia fidelior, nullum receptaculum æque tutum igni recepto est, quam ille lapis. Veteres edd. habent *hausti* aut *haustu*, e quo Scaliger recte fecit *haustis*.

406. *Servans aciem*. Per eam Scaliger intelligit duritiem et rigorem ferri, τὸ στόμωμα. Nimirum στομῶσαι est indurare; unde στόμωμα ferrum durissimum, quod *aciarium* vocabant, ut observat Salmas. ad Solin. p. 407. At ferrum inesse lapidi, non dixit poeta, sed flammam. Unde vix aliud, quam ignem, puto intelligi, vel vim ejus micantem juxta, ac alia corpora consumentem. Hæc enim vis quia et igni et ferro acuto communis est, hinc aciem de utroque dici arbitror. Hinc Virgilio *acies Vulcania* dicitur Æn. X, 408, et *sidereæ acies* apud Claud. Cons. Prob. versu 23. Possis tamen et hoc loco *faciem* legere. — *Duransque tenaci Septa fide*, h. e. durare faciens et permanere, quæ intus conclusa tenet. Veteres edd. legunt *duramque tenaci*.

407. *Tanta est illi patientia victo*, tam diu sufferre et retinere ignem potest liquidus. Veteres mendose: « tutum est illi patientia victo ».

408. *Vix unquam redit in vires*. Sic omnes libri constanter legunt. Perperam Scaliger et Gorallus mutant: *Vix unquam perdit vires*, quod contrarium sensui poetæ est. Hic enim dixit antea, lapidem eum diutissime ignem, quem semel hauserit, servare, ideoque mollem liquidumque manere. Nunc addit, hinc eum vix unquam, id est, sero admodum *redire in vires*, atque *ignem evomere*, hoc est, sero recipere duritiem, quæ scilicet redit, ubi ignem dimiserit. Manifestum est *vires* auctori esse, quod ante *animos* et *robur* lapidis appellaverat, quæ ut *extorqueri* vel *cogi* igne dixit v. 402 et 404, sic eo cessante nunc *redire* et reparari affirmat.

409. Pleræque veteres legunt *stipatur*, præterea *tardam* habent, aliæ *tardans*, aliæ *tarda* ut Ven. et Lugd. quod sequutus est Scaliger ac Gorallus. Sed MS Helmst. *tarde*; quod ego rectum puto. Nam, quod sequente versu 411 dicit *pigre accepta*, quum huc se referat, patet, hic etiam adverbio *tarde* usum esse auctorem, ut ibi *pigre*. *Stipatus* est condensatus, ut Lucret. II, 66: « Nam certe non inter se stipata cohæret Materies ».

411. Omnes libri mei legunt *accepta remittit*; unde nescio cur Gorallus *admissa* hic repetierit e versu

Digitized by Google

Nec tamen hoc uno, quod montis plurima pars est,
Vincit, et incendî caussam tenet ille; profecto
Miranda est lapidum vivax, animosaque virtus.
Cætera materies, quæcumque est fertilis igni,
Ut semel accensa est, moritur; nec restat in illa,
Quod repetas, tantum cinis et sine semine terra est.
Hic semel atque iterum patiens, ac mille perhaustis
Ignibus, instaurat vires, nec desinit ante,
Quam levis excocto defecit robore pumex.
In cinerem putresque jacet dilapsus arenas.

præcedente. Pleræque habent *et pigre* vel *et pigra accepta*, sed Scalig. Pith. et Luc. *pigreque accepta*.

413. *Vincit, et incendî caussam tenet*, h. e. pro præcipua incendii Ætnæi caussa habendus est. — *Illa profecto* habent omnes mei impressi; sed *tenet ille* MS Helmst. quod et in Aldina esse testatur Gorallus.

414. Omnes quidem libri hic legunt *lapidum*, sed vix dubitem *lapidis* scribendum esse, quum hactenus in singulari, ut de lapide loquutus sit, et deinceps versu 418 loquatur. Sic censet etiam Anton. *de Rooy*.

415. *Fertilis igni* ἀρχαϊκῶς dictum putat Scaliger, pro *ignis*: quamquam videri potest præpositio *a* omissa, quæ exprimitur inf. v. 552: « a sacro nunquam non fertilis igne ».

417. *Sine semine terra est*, sine vena vel particulis materiæ, ignem concipientis, ut supra v. 268 *argenti semen* et *aurea vena* jungunter: contrariam dicebat *fertilem igni*. Bene observat Gorallus ita *semen ignis* vocari Virgilio particulas sulfureas silicum, quæ tusione excussæ ignem concipiunt, Æn. VI, 6: « quærit pars semina flammæ Abstrusa in silicis venis ». Ad quem locum Servius annotat Homero dici σπέρμα πυρός. — Nemesianus quoque, in Cyneg. versu 218, de æstu canum in rabie: « Torrida per venas concrescunt semina flammæ ». Ed.

418. *Hic semel*. Plurimæ edd. vet. falso exhibent *Sic semel*; Lugd. Scal. et Pith. *Hic*. In fine Lugd. *perhaustus*, aliæ *peraustis*, unde possis *perustus* legere. Sed illud rectius. Conf. v. 405. Cæterum monet hic Scaliger, ea lege semel atque iterum patientem ignis dici, si modo affusa aqua exstinguatur, ut in carbone fossili fit.

419. *Instaurat vires*, ut supra v. 408 *redit ad vires*, i. e. soliditatem et densitatem recipit.

420. *Excocto* legitur in plurimis; *exhausto* in margine Basil. et Pith. notatur, idque in textu sistit Luc. Heinsius volebat *exeso*; Burmannus *exusto*, ad Anthologiam Latinam, t. II, p. 507.

421. *Dilapsus*, hoc recte positum pro *delapsus*, quod veteres impressi habent; Horat. Carm. IV, 13, 28, *dilapsam in cineres faxem*.

Digitized by Google

Cerne locis etiam similes arsisse cavernas,
Illic materiæ nascentis copia major.
Sed genus hoc lapidis, certissima signa coloris,
Quod nullas adjunxit opes et languet in ignes.
Dicitur insignis flagrasse Ænaria quondam,
Nunc exstincta stupet; testisque Neapolin inter
Et Cumas locus est, multis jam frigidus annis,
Quamvis æternum pinguescat ab ubere sulfur,

422. *Cerne locis*, scil. aliis quibusdam, quos deinceps nominat.

423. *Materiæ nascentis.* Scaliger putat τὸ γόνιμον *nascens* dixisse, quod sc. semina ignis habet. Gorallus *nascentem* accipit pro renascente, postquam prior materia absumpta est. Ego *nascentem* simpliciter accipio de oriente vel proveniente in illis locis, materiam autem intelligi puto, qualem contextus vult, nempe igni concipiendo aptam. Sic etiam interpretatus est cl. Schmid.

424. *Sed genus hoc lapidis.* Scaliger hoc intelligit de pumice Ætnæo, qui diversus sit a molari. Ego sermonem esse arbitror de genere lapidis, qui inveniatur in locis ante memoratis, diversi ab Ætnæo molari.—*Certissima signa coloris*, h. e. color certissimo argumento est. Fortasse *coloris*.

425. *Quod nullas adjunxit opes*, quod nullam habet densiorem materiam ad ignem diutius nutriendum: et *languet in ignes* edidit Gorallus, nescio cujus libri auctoritate: nam omnes mei legunt et *languit ignis*, quod sane non respuendum.

426. Pro *insignis* Gorallus dat *indiciis*; alii scribunt *insidiis*; male. Ed.

427. *Nunc exstincta stupet*, h. e. hactenus quiescit, ut vers. 332 et 339; et superius *languet in ignes*. In veteribus est *Nunc exstincta super tectisque*. Vid. Excursus tertius.

428. *Et Cumas locus est.* Possis *lacus* legere, et Avernum intelligere, de quo Lucret. VI, 747: « Qualis apud Cumas lacus est montemque Vesevum ». Verisimilius est, campum ad Puteolos intelligi, quem Strabo Ἡφαίστου ἀγορὰν, forum Vulcani, nominat lib. V, pag. 246, et ignitis collibus circumdatum, plerumque sulfure tractili esse ait: Ὑπέρκειται τῆς πόλεως (Δικαιαρχίας) αὐθὶς ἡ τοῦ Ἡφαίστου ἀγορὰ, πεδίον περικεκλεισμένον διαπύροις ὀρρύσι, καμινώδεις ἐχούσαις ἀναπνοὰς πολλαχοῦ, καὶ βρομώδεις ἱκανῶς· τὸ δὲ πεδίον θείου πλῆρες ἔστι συρτεῦ. Similiter describitur hic locus a Petronio, Bello Civ. v. 67 seqq. Iidem videntur, quos Gorallus intelligit, campi Leucogæi, a Plinio, lib. XXXV, cap. 15, memorati: « In Italia quoque invenitur (*sulfur*) in Neapolitano Campanoque agro, collibus qui vocantur Leucogæi. Ibi e cuniculis effossum, perficitur igni ». Ab his tamen distinguendos putat campos Phlegræos Casaubonus in not. ad Strab. l. c.

429. Scaliger hic corrigit: « Cujus ab æterno pinguescens ubere sulfur Iu mercem legitur ». Sed vulgata lectio incorrupta.

Digitized by Google

In mercem legitur tantum. Fecundior Ætna
Insula, cui nomen facies dedit ipsa Rotundæ.
Sulfur enim solum, nec obesa cavamine terra est,
Et lapis adcretus regerendis ignibus aptus;
Sed raro fumat, quin vix, si accenditur, ardet,
In breve mortales flammas quod copia nutrit.

430. *In mercem legitur tantum.* Sequuti sumus cum Gorallo emendationem, quam dedit Jan. Vlitius ad Grat. Cyneg. 404. In veteribus legebatur: *tanto est fecundius* vel *fecundior Ætna*, quod nullum habet sensum. Quod Lucilius hic dicit sulfur in mercem legi, id Plinius loco ante prolato dicebat e cuniculis effodi.— *Fecundior*, scil. sulfure *Ætna*, i. e. quam ipsa Ætna est.

431. *Rotundæ* legendum Vlitius vidit pro *rotunda*, quod est in antiquis. Insulam ex Æoliis Strongylen intelligit, a figura rotunda sic vocatam, de qua Strabo, lib. VI, pag. 276: ἡ δὲ Στρογγύλη καλεῖται μὲν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ἔστι δὲ καὶ αὐτὴ διάπυρος, βίᾳ μὲν φλογὸς λειπομένη, τῷ δὲ φέγγει πλεονεκτοῦσα· ἐνταῦθα δὲ τὸν Αἴολον οἰκῆσαι φασίν. Eadem fere Plinius, lib. III, c. 9. *Strongylos* a Silio Italico dicitur, lib. XIV, 260. Vlitius l. c. opinatur, Strongylen ab auctore dictam innui non solum ob rotunditatem, sed etiam, quia multa in ea στρογγύλη, aluminis genus rotundum natura, de quo Plinius, lib. XXXV, c. 15, reperiatur. Hoc equidem in verbis poetæ non invenio.

432. Antiquæ edd. vitiose *obsessa* et *obesa cacumine terra* habent. Scaliger recte emendavit *obesa cavamine*, i. e. adesa, vel erosa et putris: *cavamen* autem non de cavernis interioribus ipsius insulæ, ut Gorallus accipere videtur, intelligendum, sed de natura terræ spongiosa et pumicis simili: quam quum terræ Strongyles inesse negat, hinc in prioribus legendum puto *Sulfur enim solidum* pro *solum*. Quis enim credat terram Strongyles ex solo sulfure constare? at sulfur solidum inest, quia non obesa cavamine est, et quia, ut versus sequens habet, ei lapis adcretus est.

433. Scriptus Helmst. hic legit: *Et lapis adjutat gerendis;* et pro *regerendis* Ven. Basil. Luc. habent *retegendis*. Lapis *adcretus* Scaligero est πυκνὸς, ναστὸς, concretus et pumici oppositus. Gorallus adcretum interpretatur, qui adcrevit illi insulæ, nativum. Ego existimaverim adcretum sulfuri, quod ante dixit, intelligi, qui venam sulfuris inclusam habeat, et unde ipsum sulfur solidum.—*Regerendis* Scaliger recte explicat excudendis, ut ex silice; nec aliter Gorallus, qui *reponendis* seu *referendis* exponit. Idem est, quod v. 399 *spargere ignem* et *respondere* dixit. Ignis *bis ter regestus* apud Senecam, in Thyest. 769, est reductus et repositus.

434. Ven. Lugd. et Hag. habent *qui vix succenditur*, Helmst. et Basil. *qui vix si accenditur*.

435. *Quod copia nutrit*, hoc est, quod ei tanta modo materiæ copia inest, quæ brevem flammam nutrire queat.

Digitized by Google

Insula durat adhuc, Vulcani nomine sacra,
Pars tamen incendî major refrixit, et alto
Jactatas recipit classes, portuque tuetur.
Quæ restat minor et dives satis ubere terra est,
Sed non, Ætnæis vires, quas conferat, illi.
Atque hæc ipsa tamen jam quondam exstincta fuisset,
Ni furtim adgeneret secretis callibus humor
Materiam, silvamque suam, pressaque canali
Huc illuc ageret ventos, et pasceret ignes.
Sed melius res ipsa nota est, spectataque veris
Occurrit signis, nec tentat fallere pestis;

436. *Insula durat adhuc*, hoc est, perstat, et ignem suffert. Sic bene restituit Scaliger. Veteres omnes *Insula durata*. Vulcaniam vel Hieram intelligit, de qua ita Plinius, lib. III, c. 9: « Inter hanc (Liparam), et Siciliam altera, antea Therasia appellata, nunc Hiera, quia sacra Vulcano est; colle in ea nocturnas evomente flammas ».

437. Helmst. Ven. et Lugd. legunt *major efrixit*, reliquæ *refrixit*. Conf. vers. 374 et 428.

439. *Minor et dives satis ubere*, sic recte Helmst. Basil. Luc. *minor est et dives ab ubere* aliæ. Falso hic Scaliger putat auctorem de Lipara loqui, non de altera parte Hieræ. Itaque legi vult *Quæ restat majorque, et dives et ubere terra est*.

440. *Ætnæis vires quas conferat, illi*. Sic Scaliger, Pithœus, Gorallus ediderunt: nec tamen spernenda lectio Venetæ, Lugd. Luc. « Sed non, Ætnæis vires quæ conferat illis », h. e. sed non ea est, quæ vires suas conferat illis Ætnæis.

442. *Ni furtim generet* offerunt Ven. Lugd. Hag. Basil. *adgeneret* Helmst. et reliquæ. Scaliger priorem lectionem præfert, et *generet* ab antiquo verbo *geno* esse dicit, alteram vero pro corruptione recentiorum habet, quod falsum esse codex Helmst. evincit. Atque ego τὸ *adgeneret* veram lectionem monstrare arbitror, pro eoque legendum *adgereret*, quod sequens *callibus* manifeste poscit. Conf. v. 387.

443. *Silvamque suam*, alimenta flammæ, ut versu 382. — *Pressaque canali* edidit Gorallus, feminino genere putans canalem ab auctore dici, ut vers. 126 et 148: sed hoc loco omnes libri mei perhibent *pressoque canali*, i. e. arcto.

444. *Posceret* omnes vetusti, verum mendose.

445. *Sed melius res ipsa nota est*: sic omnes mei. Anton. *de Rooy* vult *Sed melior res ipsa*. — *Nota* est argumentum, signum, ut Gratius usurpavit Cyneg. 289 et 497. Sæpius Noster ad ipsius rei, loci, oculorum testimonium provocat, v. 177, 189, 328, 392.

446. *Nec tentat fallere pestis*. Sic lego cum Scalig. et Gorallo: quamquam non temere rejicienda communis veterum edd. lectio *fallere*

Digitized by Google

Nam circa latera, atque imis radicibus Ætnæ
Candentes efflat lapides, disjectaque saxa
Intereunt venis, manifesto ut credere possis
Pabula et ardendi caussam lapidem esse molarem,
Cujus defectus jejunos colligit ignes.
Ille, ubi collegit flammas, jacit et simul ictu
Materiam accendit, cogitque liquescere secum.
Haud equidem mirum factu, quod cernimus extra,
Si lenitur opus reses; at magis uritur illic,
Sollicitatque magis vicina incendia saxum,

pestem, et Lucilius τὸ *fallere* accipere ea significatione videtur, quo tempus, curas fallere dicimus, pro præterire, omittere, inobservatum relinquere. Sicut usurpavit v. 273 : *Nullum fallere opus*, i. e. ignorare velle. — *Pestis* est vis occulta incendii.

447. *Radicibus Ætnæ :* sic plerique antiqui habent, et sequenti versu *Candentes efflant*. Scaliger, Pithœus, Gorallus *Ætna* et *efflat* dederunt. Sed quia minime dici potuit, Ætnam e lateribus et radicibus lapides efflare, qui non nisi e summis crateribus eructantur, apparet in *efflant* latere vitium, et pro eo scribo : « imis radicibus Ætnæ Candentes exstant lapides ».—Potest tamen admitti lectio Scaligeri, non quod Ætna e lateribus lapides emitteret, sed quia de summis crateribus per latera ad radices usque effluunt. Ed.

449. *Intereunt venis*. Recte hoc Gorallus interpretatur *eunt inter venas*, seu venis immiscentur. Glossæ veteres : *intereo* ὑπεισέρχομαι.

450. *Ardendi* legunt vetustiores edd. cum MS Helmst. aliæ quædam *ardenti*.

451. *Cujus defectus*. Gorallus explicat : Quum lapis molaris minore copia adest, jejuni sunt ignes, sive tenues. Veteres quidem plerœque legunt *jejunus colligit ignis ;* sed MS Helmst. et ed. Luc. *jejunos*.

452. *Ille, ubi collegit flammas*. Omnes quidem libri sic legunt, sed, quia *colligit* modo adfuit, rectius et elegantius feceris, si *concepit* scribas, quod et Antonio *de Rooy* visum est. Pro *jacit* Ven. et Lugd. *jaeet* legunt ; *facit* aliæ. — *Simul ictu*, h. e. in aliam quamdam rupem incidens, ipso ictu materiam vicinam accendit. Ad intellectum horum verborum facit locus Theophrasti a Scaligero adductus e libro de lapidibus : οἱ πυρομάχοι καὶ οἱ μυλίαι ῥέουσιν, οἷς ἐπιτιθέασι οἱ καίοντες· « pyromachi et molares liquefiunt una cum iis, quæ imponunt urentes ».

455. *Si lenitur opus reses*. Sic bene emendavit Scaliger, quum antea legeretur : *si lenitur opus, restat magis*. Sensus est : Quando tempestas Ætnæ resedit, tum magis uritur saxum *illic*, in interiore Ætna. De voce *reses* vid. versus 161.

456. *Sollicitatque vicina incendia*, h. e. præparat et commovet incendia mox exarsura.

Digitized by Google

Certaque venturæ præmittit pignora flammæ.
Nam simul atque movent Euri, turbamque minantur,
Diffugit, extemploque solum tremit, actaque rima
Et grave sub terra murmur demonstrat et ignes.
Tum pavidum fugere et sacris tum cedere rebus
Par erit; e tuto speculaberis omnia colli.
Nam subito effervent operosæ incendia rupis,
Accensæ subeunt moles, truncæque ruinæ

457. *Certaque..... pignora*, i. e. indicia et argumenta, ut v. 40 et 133.

458. Hunc et sequentes quinque versus cum Gorallo damus e felicissima correctione Jani Vlitii, ad Grat. v. 450. Nam in vulgatis corruptissime leguntur. Quod ne in singulis demonstrandum sit fusius, apponemus hic eosdem, ut in antiquis editionibus, parum discrepantibus, exstant: « Nam simul atque movet curis, turbamque minutus Diffugit, extemploque solum trahit, ictaque ramis, Et grave sub terra murmur demonstrat, et ignes, Tum pavidum fugere, et sacris tum credere rebus Parere, et tuto speculaberis omnia colli. Nam subito effervent onerosa incendia raptis ». In primo, propius ad scripturam credam accedere, si legatur *movet Corus turbamque minatur*. Scaliger voluit *movet curtus turbatque minutus*, sc. ignis, quod neque ipse satis interpretatus est, neque Gorallo probavit. In secundo, Vlitius voluit *ictaque rima*, Gorallus melius *actaque*; ego malim: « extemploque solum trahit atque ruinas, Fit grave sub terra murmur, demonstrat et ignes ».

461. *Sacris tum cedere rebus*. Hoc ante Vlitium jam edit. Luc. Plures vetustæ legunt *tum credere*, MS Helmst. *concedere*, Veneta *recedere* Lugd. *decedere*, quod fere ex omnibus malim, quia *decedere* est verbum reverentiæ, quæ sacris et honoratis debetur. Scal. tamen voluit *secedere*, idque verbis firmat Sulpiciæ, v. 3: « Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans Consilium ».— *Res sacras* vocat poeta, quod non sine Dei cura fieri putat in visceribus Ætnæ, quam sine arbitrio esse dixit versu 193. Opinionem Veterum tangit Tacitus, Germ. cap. 34: « Mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire ».

463. Omnes veteres editiones hic habent *onerosa incendia ruptis* vel *raptis*. Vlitii emendatio, *operosæ incendia rupis*, est e consueta poetæ dictione, qui passim Ætnæ vocem *opus* attribuit, et cui v. 379 dicitur magnis *operata rapinis flamma*. Scaligeri lectio multo minus probabilis, qui hic tentat *nervis incendia ruptis*, quia alibi nervos putat illi monti attribui: mox aliter censet scribendum *cameris incendia raptis*.

464. Ex errore forsan Gorallus hic scripsit: *Accensæ subeunt rupes*, nam *rupes* modo adfuit, et omnes aliæ edd. recte habent *moles*. Claudianus, Rapt. Proserp. lib. I, 162, de Ætna: « nunc molibus astra lacessit Terrificis », et ipse Noster v. 28: « eructat ab imo Ingenti so-

Digitized by Google

Provolvunt, atque atra sonant examina arenæ.
Nec recipit flammas mons hic, defessus anhelat,
Utque aperit se hostis, decrescit spiritus illi.
Haud aliter quam quum læto devicta tropæo,
Prona jacet campis acies, et castra sub ipsa.
Tum si quis lapidum summo pertabuit igni,
Asperior sopita et quædam sordida fæx est,
Qualem purgato cernis decedere ferro.
Verum ubi paullatim exsiluit sublata caduci

nitu moles. — *Truncæ ruinæ* sunt fragmenta ruentium rupium.

465. *Provolvunt*, i. e. provolvuntur: *evolvunt* aliæ.—*Atque astra sonant* habet Ven. et Lugd. *et sacra sonant* Hag. Pro *sonant* Ant. *de Rooy* tentat *volant*, ut Ovidius dixit Met. XIII, 604: « Atra favilla volat »; sed *sonant* fortasse posuit alludens ad examina apum.

466. *Nec recipit flammas*, i. e. non resorbet, nec recuperat, postquam evomuit. — *Defessus*, viribus exhaustus. — *Anhelat*, respirat quodammodo, et tenuiorem vaporem exhalat.

467. *Utque aperit se hostis*, i. e. ignis e cavernis in apertum aera erumpit. *Utque* reposuit Gorallus pro *Atque*, quod veteres habent, quæ omnes etiam legunt *illic* pro *illi*.

469. *Castra sub ipsa*. Castrorum instar habet craterem Ætnæ, vel supercilia montis, sub quæ rupes ejectæ, cineres, pumices, arenæ, quasi cæsi hostes conciderunt et jacent.

470. *Summo pertabuit igni*, i. e. maximo igne plane exesum, excoctum est.

471. *Asperior sopita est* et *fax est* pleræque veteres: sed Lugd. edit. *Asperior sobaris et quædam*. Id vocabulum plane Græcum intruserunt quidam editorum veterum. Domitius etiam explicat: « *sobaros* vehemens dicitur; unde sobaris, vehementibus ignibus ». Scaliger vult *Asperior scabres*, antiqua voce, quam reduxit in Ciri, v. 249. Gorallus defendit vulgatam *sopita*, ut dicat poeta, fæcem illam rerum ab Ætna emissarum, si exstincta sit, asperiorem esse, quam antea. Mihi tamen τὸ *asperior* requirere substantivum, et *sopita* abundare videtur ob præcedens *pertabuit*. Nisi me omnia fallunt, in *sopita* latet vox *robigo*: *Asperior robigo et quædam sordida fæx est*: eique conjecturæ favet altera lectio vitiosa *sobaris*. Scabra robigo apud poetas ubique obvia. *Aspera robigo* dicitur Ovidio, Fast. IV, 911.

472. Omnes vulgatæ habent *cernes discedere*. MS Helmst. *desidere*; sed Scaliger præcipit legendum: *Qualem purgato cernis decedere ferro*, quem sequutus est Gorallus.

473. *Verum ubi paullatim*. Hæc mire corrupta et turbata sunt. Codex Helmst. cum quibusdam edd, legit: *caducis Congeries saxis angusto vertice surgunt*. Aliæ quæ *caduce saxi* habent, reliquum versum interje-

Digitized by Google

Congeries saxi se angusto e vertice purgans;
Sic, veluti in fornace lapis, torretur, et omnis
Exsuitur penitus venis; subit altius humor,
Amissis opibus levis et sine pondere pumex
Excutitur, liquor ille magis fervere magisque,
Fluminis in speciem mitis procedere tandem

ctis particulis fulciunt : *Congeries saxi, angustoque e vertice surgunt;* aliæ edit. omisso *que*, antum habent *angusto e vertice* surgunt. Gorallus, quum merito offenderetur a verbo *surgunt*, quod nullum nominativum habet, quo referatur, id mutavit in *sursum*, et sic legit : *caduci Congeries saxi, angusto e vertice sursum*, qua in lectione et hiatum habet versus, et *sursum* plane otiosum est, in vocibus *exsiluit* et *sublata* jam satis expressum. Ego non aliter expediri sensum posse puto, nisi pro *surgunt* legatur *purgans*, eoque comparatio, quæ antecessit, cum ferro purgato, hic applicetur. Sic nimirum legendum arbitror: *Verum ubi paullatim exsiluit sublata caduci Congeries saxi se angusto vertice purgans :* h. e. verum postquam congeries illa saxorum paullatim sublata est, dum se fæcibus suis h. e. pumicibus purgat, qui e monte per angustum verticem ejecti per vicinos campos veluti e nubibus cadunt. — Et *purgans* explicari potest, quæ solvitur et dissipatur, ut in illo Virgil. Æneid. I, 587 : « Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum ». Ed. — Ne hanc lectionem, necessariam, ut puto, pluribus confirmem, angustia loci prohibeor. Confer adhuc versum 204 et seq.

475. *Sic veluti in fornace.* Gorall. hæc verba usque ad *Excoquitur* quod habet v. 478 parenthesi claudit, et continere rationem putat, qua pumices in Ætna fiant, eamque conferre cum ratione, qua silices in fornacibus excoquantur, ut ex iis calx fiat. Ego, si qua parenthesis statuenda sit, non eam ultra vocem *venis* versus sequentis procedere arbitror.

476. *Exsuitur penitus venis*, i. e. omni exsuitur succo vel liquore, cujus in eo venæ sunt. Helmst. habet *Exustus*, quod parum congruum. — *Subit altius humor*, magis magisque ascendit humor lapidibus excoctus. Hæc est apodosis et consecutio referenda ad versum 474. Nam nunc poeta ostendere vult, postquam ejecti sunt pumices e vertice montis, effundi molarem lapidem liquefactum.

477. *Amissis opibus*, perdita densitate et gravitate, excocto succo.

478. *Excoquitur* habent quædam edd. sed vetustiores, ut Ven. et Lugd. cum cod. Helmst. *Excutitur*, quod rectum et aptum est. Excutitur, separatur, ejicitur pumex, quando excoctus levior factus est. Deinde *liquor ille magis servare* omnes veteres habent, sed *fervere* necessario legendum vidit Scaliger et dedit Gorallus. Dorvillius, qui hunc locum Ætnæ ad versum usque 504 castigavit in Siculis, cap. 14, pag. 238, hic legit *sedare* i. e. quiescere, quod mihi contra mentem poetæ videtur : quiescere enim liquor non potest, qui mox *procedere* dicitur.

479. Quod hic quædam vulgatæ

Digitized by Google

Incipit, et primis demittit collibus undas.
Illæ paullatim bis sena in millia pergunt,
Quippe nihil revocat, certis nihil ignibus obstat,
Nulla tenet frustra moles; simul omnia purgant,
Nunc silvas rupesque vorant hæc tela, solumque
Ipsum adjutat opes, facilesque sibi induit amnis.

habent *Fulminis*, facilis error librariorum est.

480. *Primis demittit collibus*, per colles, qui primi occurrunt, i. e. summo de monte. Sine necessitate Scaliger mutat *privis callibus*. Defluxus, qui hic narratur, ῥύαξ a Strabone vocatus, apud eum legi potest descriptus libro VI, p. 269.

482. Omnes libri veteres legunt *curtis nihil ignibus obstat*. Scaliger tuetur *curtis*, sed parum probabiliter interpretatur: Dorvillius, qui idem probat, interpretatur, breves flammas emittentibus, simul tamen *curvis* vel *furvis* tentat. Gorallus *atris* reponit, quia atri coloris ignem defluentem fuisse Strabo testatur. Ego nihil certius puto, quam *certis ignibus* legendum esse. *Certi* dicuntur poetis, qui destinatum iter tenent, vel in consilio proficiscendi persistunt. Virgil. Æn. II, 212, de anguibus in Laocoontem irruentibus: « Illi agmine certo Laocoonta petunt ». Idem, Æn. V, 2: « medium Æneas jam classe tenebat Certus iter ».

483. *Nulla tenet* omnes antiquæ legunt. Dorvillius mutat *Multa*, quod ad sensum facilius. *Simul omnia pugnant* legit cod. Helmst. cum Basil. Luc. Scal. *Purgans*, reliquæ. Ex quo Gorallus facile dedit *purgant*, quod rectum videtur, ut *vorant* in sequenti. — *Omnia purgant* significat, omnia loca, sublatis et absumptis, quæ obstabant, vacua et vasta reddunt. Sic *purgare aream* apud historicos.

484. Pleræque vetustæ edd. dant *vorat*. Helmst. *notat*, unde fortassis *rotant* legas. Gorallus cum quibusdam aliis *vorant hæc tela*, i. e. hic impetus fluctuum ignitorum abripit. Alias *tela vorare* vix dici possit, sed hic tela ignes sunt, qui ipsum Ætnam dicuntur vorare.

485. Antiquæ edd. legunt *Ipsa adjutat* (vel *adjurat*) *opes, facilesque sibi induit annos*. Scaliger *Ipse adjutat opes, facilesque sibi induit annos*, et interpretatur: ipsemet ignis suopte ingenio sese adjuvat, ac reparat; hoc enim esse *annos induere*, quod ego cum Gorallo difficulter intelligo. Gorallus edidit: *solumque Ipsum adjutat opes, facilemque sibi induit amnem*. Dorvillius longius abit a scriptura vetustarum, emendans: *solumque Ipsum adjungit opes, fragilesque sibi induit amnes*, hoc est, tellus induit amnes hos saxosos, ex fragili friabilique lapide constantes, quæ penitus illis ceu vestitur et obtegitur. Ego, quia omnes libri habent *faciles* et cod. Helmst. *annis*, a lectione Goralli in tantum putavi recedendum esse, ut altero hemistichio scriberem *facilesque sibi induit amnis*, h. e. amnis ignitus, de quo postea pergit auctor, facile abripit vel excipit opes, quas ipsum solum *adjutat*, i. e. validiores facit.

Digitized by Google

Quod si forte cavis cunctatus vallibus hæsit,
Utpote inæquales volvens perpascitur agros,
Ingeminat fluctus et stantibus increpat undis :
Sicut quum curvo rapidum mare cernitur æstu,
Ac primum tenuis sinus exigit ulteriores,

Sic *adjutare* usurpat Gratius, Cyn. v. 405 : « et magicis adjutant cantibus herbas », ut primæ editiones legunt. Silius Ital. VII, 354 : « adjutæ pinguescere flammæ Cœpere », ad quem locum videndus Heinsius.

486. *Cunctatus vallibus*. Absurde legunt antiquæ *vasibus*, nam *valles cavæ* a poetis, ut hic, dicuntur. Virg. Georg. II, 390 : « Implentur vallesque cavæ saltusque profundi ». — *Cunctatus* i. e. retentus, et conclusus valle, usque dum impleverit. — Crusius in Probab. Crit. cap. 9, legit *Cunctatus faucibus*. Sed errat, quando hic *spiritus* subjectum esse putat. Nam de *amne* intelligendum est, qui præcedit. Ed.

487. *Perpascitur agros*, i. e. per agros pascitur, ut ap. Virg. Georg. II, 432, « pascuntur ignes nocturni », et Æn. II, 684, « flamma circum tempora pascitur ». Vide supra vers. 444. Anton. *de Rooy* hic malit *depascitur*, mox etiam *perlabitur*.

488. *Ingeminat fluctus*, i. e. augetur superveniente novo. Vid. ad vers. 56. — *Increpat undis*, incidens cum sonitu impellit antecedentes, et quasi indignans imperat, ut properent. Vid. vers. 62. — Sic Florus I, 1, 8 : « Cujus (valli) dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu ». Ubi Grævius : *increpare saltu* est transiliendo ostendere, reprehendi hoc vallum et contemni, licet nulla vocula contemptum præ se ferens emittatur. Venuste meliores apud scriptores, quæ sunt orationis, ea traducuntur ad res, seu facta. Ed.

489. *Curvo rapidum æstu*. Scal. *curvum æstum* vocari existimat, quum adhuc non κορύσσεται vel κορθύεται, sed curvi maris adhuc faciem retinet. Sed e sequentibus patet, a poeta æstum maris non tranquilli, sed inflati et fluctibus agitati describi. Gorallus *curvum* dici putat, quia curva litora alluit. A quo vehementer dissentit Menkenius Misc. Lips. nov. vol. V, p. 345, et ostendit, ita dici propterea, quod fluctus æstu maris excitati curvam oculis speciem præbent, et curvos habent sinus. In *cernitur* Gorallus putat metaphoram esse a cribro translatam, quia mare in alveo ventis pulsum litora hinc atque illinc verberat, ut, quæ cribrantur, agitantur in cribro. Ego hanc metaphoram in sequenti *subcernens* quidem video, hic autem sine necessitate quæri existimo. Dorvillius hoc *cernitur* nihili esse pronuntiat, illique *traditur* substituit.

490. *Tenuis sinus exigit ulteriores*, sic recte edidit Gorallus, neque tamen, unde habeat, indicavit. Nam omnes, quotquot adsunt libri, mendose offerunt *sinus agit ulteriores*. Scaliger corrigit : *Ac primum tenues sinuans cit Mulciber orbes*, nempe hunc vers. post 487 subjicit, transpositione non probanda. — *Tenuis sinus* est fluctus tenuiter curvatus vel sinuatus. Hic *exigit ulteriores*, alios remotiores pellit magisque extendit. Confer vers. 180. Gorallo

Digitized by Google

Progrediens late diffunditur et subcernens.
Flumina consistunt ripis ac frigore durant,
Paullatimque ignes coeunt, ac flammea massis
Exsuitur facies; tum prima ut quæque rigescit,
Effumat moles, atque ipso pondere tracta
Volvitur ingenti strepitu, præcepsque sonanti
Quum solido inflicta est, pulsantis dissipat ictus;
Et qua discussa est, candenti robore fulget,
Et micat examen plagis, ardentia saxa

citante Servius ad Æn. XI, 626, *extremamque sinu perfundit arenam*, interpretatur: *sinu, curvatione et flexu undarum*. Dorvillius hunc versum plane diffingit, et ita, ut aliena a loco loqui videatur: *Ac primum tenui fumos agit agmine: at ultra Progrediens late diffunditur, haud secus Ætnæ Flumina*, etc.

491. *Et subcernens*. Scaliger recte explicat, spisse crispatus fluctus, nempe reciproco motu. Metaphora a cribro. Plautus, Pœn. Act. III, 1, 10: « Pol quidem hic gradus subcretu' st cribro pollinario ».

492. *Flumina*, lapidum liquefactorum, *consistunt ripis*, ubi ad ripas aliorum fluviorum pervenerunt, *ac frigore* aquæ, in quam incidunt, *durant*, pristinam duritiem recipiunt. Conf. v. 406 et 511.

493. *Ignes coeunt*, ignitus liquor concrescit.—*Flammea messis*, quod adhuc omnes editiones habuerunt, fortasse exponi possit fervidæ materiæ copia; sed hoc durum est et ταυτολογεῖ. Jam Scaliger conjecit *flammea massa*, idemque amplectitur Dorvillius, et legit *ac flammea massis Exsuitur facies*. Quocum ipse facio.

494. *Exsuitur facies; tunc prima*. Hæc conjunctim adhuc legerunt editores. Ego *tum prima*, ut legit et interpungit cod. Helmst. adjungo sequentibus.

495. *Effumat*, fumum emittit exstincta, ut in aquam demissa, quemadmodum cum liquido metallo fit.

497. *Quum solido inflicta est*. Veteres habent *inflexa*, unde Gorallus vult *inflixa* ἀρχαϊκῶς pro *inflicta*. Dorvill. *illisa* scribit. — *Solidum sonans* intelligendum de massa lapidea, jam rigente, in quam incidit.— *Pulsantes* pleræque veteres, *pulsantis* edidit Gorallus, *pulsatos* exhibet Helmst. Ald. et Luc. Præferendum est *pulsantis* propter sequentia; hoc sensu: *pulsantis* molis lapideæ *ictus dissipat* ipsam, vel facit, ut ipsa dissipetur, et dissiliat in frusta.

498. *Et qua disclusa est*. Sic omnes antiquæ, præter Hag. quæ *disculsa* unde forte *dispulsa*, quod habet Lucret. I, 1016. Goralli editio *dissoluta est* habet, nescio an per errorem typographi Scaliger vult *displosa*, Dorvillius *discussa*. Sensus est, et qua discussa vel fracta est ea moles, apparet massam ejus totam candentem esse.

499. *Et micat examen plagis*. Sic antiquæ edd. *Emicat* Helmst. Dorvillius hæc adnectit præcedentibus: *candenti robore fulgens Emicat exa-*

Digitized by Google

Scintillant. Procul ecce vide, procul ecce ruentes :
Incolumi fervore cadunt; verum impetus ignes
Sic cumulat, quondam ut ripas trajecerit amnis.
Vix cuneis quisquam fixis dimoverit illas.
Vicenos persæpe pedes jacet obruta moles.
Sed frustra certis disponere singula caussis
Tentamus, si firma manet tibi fabula mendax,
Materiam ut credas aliam furere igne favillæ,
Plurima proprietate simul concrescere, sicque
Commixtum lento flagrare bitumine sulfur :

men. Sed fere melior vulgata lectio et distinctio. — *Examen* dicitur de saxorum dissilientium fragminibus vel particulis crebris, quæ plagis vel ictibus micant, quia candentes sunt. Sic *examina arenæ* dixit v. 465, ut v. 196 *glomeratum nimbum arenæ*.

500—504. De his vide Excursum IV. Libri antiqui habent : *Procul esse fide, procul esse ruentes* vel *truentes*. Gorallus emendavit : *Procul ecce vide, procul ecce ruentes*. Dorvillius : *procul este sudes, procul este tridentes*.

501. Scaliger et Gorallus voluerunt : « Incolumi fervore cadunt utrinsecus ignes ». Dorvillius : « Incolumi fervore cadet ferus impetus ignis ».

502. Antiquæ legunt : *Si fumant quondam ut ripas*. Gorallus : *Si fuerit quondam*. Dorvillius : *Sic fumans quondam ut*.

503. Plures antiquæ : *Vix junctis quisquam*. Aldina, *cunctis*. Veneta, *Vis junctis*. Pro *fixis* omnes *fixo*. Unde et *cuneo* scribi possit.

504. Vulgatæ omnes *Vicenos persæpe dies*. Vid. Excurs. modo cit.

505. *Disponere singula caussis*. Gorallus explicat, singula referre ad suas caussas, easque ordine explicare. Lucretius, V, 530 : « pluresque sequor disponere caussas Motibus astrorum ».

506. *Fabula mendax*. Gorallus interpretatur de fabulis poetarum ; ego malo de falso sermone vulgi. Sic *mendacem famam* dixit v. 366.

507. Quædam antiquæ ponunt *Materiamve aliam cr. f. igne favillam*, quam lectionem recipit et torquet Scaliger : tantummodo *credis* corrigit et *furvo igne*, quod sequitur Gorallus. Plurimæ cum scripto Helmst. « Materiam ut credas aliam furere igne favillam », quam lectionem satis planam retineo, tantum *favillæ* repono. — *Furere igne*, i. e. ardere et ejici. Sic infra v. 525 : « Interius furere accensos ».

508. *Plurima proprietate*. Intelligе, ut Gorallus exponit : Nempe plurima variarum proprietatum simul liquefieri et concrescere, non ex uno lapide molari flumen igneum constare. Veteres edd. absurde legunt *pro pietate*. In fine Gorallus edidit *sique*, sed veteres recte habent *sicque*.

509. *Commixtum vento* exhibent

Digitized by Google

Nam posse exustæ cretæ quoque robora fundi,
Et figulos huic esse fidem; dein frigoris usu
Duritiem revocare suam, et constringere venas.
Sed signum commune leve est, atque irrita caussa,
Quæ trepidat; verum tibi certo pignore constet:
Nam velut arguti natura est æris, et igni
Quum domitum constat, eademque et robore salvo,
Utramque ut possis æris cognoscere partem;
Haud aliter lapis ille tenet (seu forte madentes

Ven. Lugd. Hag. sed *lento* Helmst. Basil. Luc. hæc et *commissum*.

510. Antiquæ edd. legunt: *Nam post exustam* (vel *exhaustam*) *cretam quoque robora fundit*. Quod Scalig. et Gorall. corrigunt: « Nam post exustæ cretæ quoque robora fundit », et habent hoc pro responsione auctoris ad opinionem ante memoratam, nempe, varias res vi ignis non misceri, id vel ex eo intelligi, quod Ætna, post ejectatum lapidem molarem, meram cretam eructet. Ego vero responsionem eam demum versu 513 puto subjici; hoc autem continuari objectionem de materia diversa, atque cretam in exemplum adduci, quæ bitumine commixta et exusta possit fundi, h. e. liquefieri, et frigefacta rursus durescere, cujus rei figulos fidem facere. Proinde sic lego: « Nam posse exustæ cretæ quoque robora fundi (non ergo solum lapidem molarem), Et figulos huic esse fidem ». Ut hic *robora fundi* dixit, ita versu 531 *fusile robur*.

511. *Et figulos huic esse fidem*, sic omnes antiquæ. Scaliger et Gorallus temere inde fecerunt *Et figulos hic esse vides*. Sic supra v. 174: *Ætna sui manifesta fides*, et v. 223, *Nosse fidem rebus*.

513. *Signum commune*, quod plurium rerum naturæ possit esse commune, convenire queat.

514. *Quæ trepidat*, quæ incerta et dubia est, vacillat.—*Certo pignore constet*, certis ex argumentis noscatur. Antiquæ vitiose *verum ubi certo pignore*.

515. Quædam antiquæ: *Nam velut argutæ naturæ est æreus ignis*. Aliæ cum Helmst. *arguti natura est æris et ignis*. Scaliger inde correxit *et igni quum domitum*.

517. Veteres quædam habent *Ultraque quam possis*; Helmst. *Ultraque ut possis*, sed Basil. et Luc. *Utramque ut possis*, quod rectum videtur et a Gorallo positum.—*Cognoscere portam* omnes antiquæ servant, quod merito Gorallus mutavit in *partem*. Ascensius tamen lepide interpretatur *apertionem æris*. Sensus est: Æris, quod liquefactum est, et quod non liquefactum, eadem est natura, ita ut utriusque partem cognoscere possis esse partem unius metalli.

518. *Lapis ille tenet*, h. e. manet et proprietates suas retinet. De hac verbi *tenere* significatione egi ad Gratii Cyneg. v. 219, et ad Pervig. Ven. 46. Scaliger illud *tenet* ad rationem Græcam explicat οὕτως ἔχει.

Digitized by Google

Effluat in flammas, seu sit securus ab illis),
Conservatque notas, nec vultu perdidit ignes.
Quin etiam externum nulli color ipse resolvit,
Non odor, aut levitas: putris magis ille, magisque,
Una operis facies, eademque per omnia terra est.
Nec tamen inficior lapides ardescere certos,
Interius furere accensos: hæc propria virtus.
Quin ipsis quædam Siculi cognomina saxis
Imposuere Fricas, etiam ipso nomine signant

— *Madentes flammas* dixit, ut alias liquidæ et torrentes vocantur. Claudianus in Raptu Proserp. I, 241: « Incoctum maduit lassa fornace metallum ».

520. *Nec vultu perdidit ignes*, h. e. externa specie adhuc ignes præfert, quos complexus est liquefactus. Ita vero habet lectio vulgata edd. mearum omnium. Aldina habet *nec vultum perdidit ignis*. Scaliger maluit *nec vultum perdidit igne*.

521. Antiquæ ponunt: *Quin etiam externam multis color ipse resolvit*; pro quo Scaliger: *Quin etiam externum nil iis color*. Gorallus, *externum nil ei*, quia præcessit singularis numerus, et *calor* pro *color resolvit*: in quo tamen vitium metri inesse puto. Idem in sequentibus *Non odor et levitas* solœcophanes vel hyperbaton statuit. Ego corruptelæ versus non aliter mederi videor, quam si legam: *Quin etiam externum* (intellige vultum, quem ante dixit) *nulli color ipse resolvit*, i. e. mutat, *Non odor aut levitas*. Nihil mutari colorem in lapide molari, testatur etiam Strabo, lib. VI, pag. 269: Τὸ ὑπερχυθὲν τῆς κορυφῆς ὑγρὸν πηλός ἐστι μέλας, ῥέων κατὰ τῆς ὀρεινῆς· εἶτα πῆξιν λαβὼν, γίνεται λίθος μυλίας, τὴν αὐτὴν φυλάττων χρόαν, ἣν ῥέων εἶχε.

522. Veteres pleræque: *Non odor aut ætas*. Luc. *Non ordo aut levitas*. Basil. et Scalig. *Non odor aut levitas*, quod rectum videtur.

525. *Interius furere*, crepare et consumi: quippe ipse ignis furere dicitur, ut supra v. 507, et Virgil. Æn. II, 759: « exsuperant flammæ; furit æstus ad auras ».

527. *Impos. fricas*. Cod. Helmst. scribit *phricas*, non male. De ea voce non habeo quæ dicam, præterea quæ Scaliger et Gorallus jam docuerunt. Pro Latina pariter ac Græca haberi potest, siquidem Siculi bilingues et trilingues adeo; sed pro Græca magis. *Frica* latine dici potuit, ut *mica* et *sica*, fortasse a fricando, quod iis ad fricandum uterentur, quemadmodum Plinius, lib. XXXVI, c. 6, arenæ quoddam genus usurpatum dicit ad polienda marmora. Quoniam vero Lucilius addit, Siculos, ipso hoc nomine, significasse, iis lapidibus inesse notas, vel proprietates fusilium lapidum; probabilius videtur, respicere eum ad verbum *frigo*, quod idem significat, ac torreo, et ipsum est Græcum φρύγω, vel φρύσσω. Inde potuit deduci φρῦξ, quod esset nomen lapidis, et accusativum pluralem haberet φρυχάς. Videbantur er-

Digitized by Google

Fusilium esse notas; nunquam tamen illa liquescunt
Quamvis materies foveat succosior intus,
Nec penitus venæ fuerit commissa molari.
Quod si quis lapidis miratur fusile robur,
Cogitet obscuri verissima dicta libelli,
Et discet vero nihil insuperabile ab igni,
Omnia quo rerum naturæ semina jacta.
Nec nimium hoc mirum : densissima corpora sæpe

go Siculi hoc nomine significare, lapidem hunc torreri posse, ac proinde liquefieri.

528. *Fusiles esse notas* Helmst. Ven. Hag. *Fusilium esse* Lugd. Basil. Scal. *Fusilis esse notas* Luc. quod fortasse rectius.

530. Omnes veteres legunt: *Nec penitus venæ fuerint commissa molari.* Una Lugd. habet *fuerit*, quod verum puto. Gorall. hæc omni sensu carere ait, et quoniam auctorem hoc velle putat, fricas non posse liquefieri, nisi molaris lapidis venis permixtæ sint, hinc scribit: « Ni penitus venæ fuerit commista molari ». Ego vero rectam esse lectionem vulgatam, et hanc ejus sententiam puto, quamvis major succi copia insit, nec ea per omnes partes conjuncta cum densa adeo vena, quam est lapidis molaris.

531. *Fusile robur*, h. e. eam massam ac densitatem esse lapidis, quæ fundi, liquefieri possit. Vid. v. 510.

532. *Cogitet obscuri ver. dicta libelli.* Significat Heracliti commentarium physicum, qui vulgo σκοτεινὸς notissimo nomine vocabatur.

533. Multum hic discrepant libri. *Et dicet vero nihil insuperabile gigni* habent Ven. Lugd. Hag. *Heracleiti, et ibi nihil insuperabile gigni* Basil. Scal. Luc. ubi ex glossa Heracliti nomen intrusum apparet. Cod. Helmst. pejus corrumpere et utramque scripturam miscere videtur: « Era dicet ubi nihil insuperabile gigni ». Omnes vero mendosum *gigni* servant, quod Scaliger feliciter correxit, et totum versum una cum sequente sic restituit, uti nos Gorallum sequuti dedimus. Scilicet his duobus versiculis contineri ait sententiam Heracliti, nempe ex igne omnia constare: Ἐκ πυρὸς τὰ πάντα συνίσταται, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεται. De libello Heracliti agit Diog. Laertius, lib. IX, § 5.

534. *Omnia quo rerum*, h. e. ex quo igne omnium rerum primordia sunt. Veteres omnes legunt *Omnia quæ rerum*, quod mihi difficile est capere, licet Gorallus intelligere velit. — *Semina* dicuntur elementa, ut apud Virgilium est in Ecl. VI, 31: « Namque canebat, uti magnum per inane coacta Semina terrarumque animæque marisque fuissent, Et liquidi simul ignis, etc. »

535. Omnes libri mei legunt: *Sed nimium hoc* (vel *hæc*) *mirum*. Et Scaliger objectionem esse dicit: sed hoc mirum, inquies, nempe nihil insuperabile igni esse, vel, ut Heraclitus aiebat, omnia in ignem resolvi. Gorallus tamen reposuit *Nec*

Digitized by Google

Et solido vicina, tamen compescimus igne.
Non animos æris flammis succumbere cernis?
Lentitiem plumbum non exsuit? ipsaque ferri
Materies prædura, tamen subvertitur igne?
Spissaque suspensis fornacibus aurea saxa
Exsudant pretium? Quædam fortasse profundo
Incomperta jacent, similique obnoxia sorti.
Nec locus ingenio est; oculi, te judice, vincent;
Nam lapis ille riget perculsus, et ignibus obstat,

nimium, quod in antiquiore Veneta inveniebat.

536. *Et solido vicina*, h. e. ut explicat Gorallus, quæ ferme nullis aut exiguis meatibus perfusa sunt. Nam multi, ut idem observat, nulla corpora, exceptis atomis, prorsus solida, hoc est, sine omnibus poris, esse putabant; testemque citat Lucretium, lib. I, 469: « Usque adeo in rebus solidi nihil esse videtur ».

537. *Non animos æris:* animos vocat robur, densitatem, duritiem, ut supra v. 402 *animos* lapidi *extorquere* dixit.

538. *Lentitiem plumb. non exsuit?* Vide ne, ut etiam plumbum igne domitum lentitiem exuat? Omnes veteres legunt *plumbi*, perperam. *Lentitiem* per mollitiem explicat Gorallus, quod etiam Ascensius facit. In hoc errorem Goralli graviter notat Menkenius l. c. p. 347, et quoniam vocabulum *lentities* in uno hoc Lucilii loco, nec in alio veterum scriptorum ullo, occurrit, ex perpetuo usu vocis *lentus* demonstrat, per lentitiem Lucilii tenacitatem difficile movendam, et mollitiei maxime contrariam significari. E multis locis a Menkenio adductis ut unum primarium eligamus, lentum appellat Ovidius, qui nullis modis moveri se patitur, Amor. III, VI, 60: « Ille habet et silices, et vivum in pectore ferrum, Qui tenero lacrymas *lentus* in ore videt ». Cui similes locos collegit Heins. ad Ovid. Her. XV, 169.

540. *Aurea saxa*, quæ venas auri habent; et *auream venam* dixit v. 268.—*Suspensis fornacibus*, i. e. concameratis et conclusis, vel cavatis, ut v. 96. Conf. v. 546.

541. *Exsudant pretium*, i. e. aurum, ut Horat. Carm. III, 16, 8: *Converso in pretium Deo.* Quod *exsudant* dicit, id explicat Plinius in libro XXXIII, cap. 4: « Vocant argentum, quod exit e fornace, sudorisque, qui ex camino jactatur, spurcitia, in omni metallo scoria appellatur ». Grat. Cyneg. v. 423: *omne exsudent vitium.*

542. *Incomperta jacent*, nondum quæsita et investigata in visceribus terræ. Vid. v. 140: ut *aurum irrepertum* apud Horat. Carm. III, 3, 49. — *Similique obnoxia sorti*, quæ similiter igne domari possunt.

543. *Nec locus ingenio est*, conjectura et comparatione non opus est.

544. *Nam lapis ille:* sic habent Helmst. Ven. Lugd. *Nec lapis* Hag. Basil. Scal. perperam. — *Riget per-*

Digitized by Google

Si parvis torrere velis, cæloque patenti.
Candentem pressumque agedum fornace coerce;
Nec sufferre potest, nec sævum durat in hostem:
Vincitur et solvit vires, captusque liquescit.
Quæ majora putas autem tormenta moveri
Posse manu? quæ tanta putas incendia nostris
Sustentari opibus, quantis fornacibus Ætna
Uritur, a sacro nunquam non fertilis igne?
Sed non qui nostro fervet moderatior usu,
Sed cælo propior, vel quali Jupiter ipse
Armatus flamma est; his viribus additus ingens
Spiritus, adstrictis elisus faucibus; ut quum
Fabriles operæ tudibus contundere massas

culsus, malleo duci nequit, si tundatur, sed riget et resistit ictibus. Rectius legatur *percussus*, quod volebat Wolfius.

546. *Pressumque*, arctiore et densiore igne conclusum in fornace: opponitur *cælo patenti*, quod præcedebat.

547. *Nec durat in hostem*, vim ignis perferre amplius non potest. Vid. vers. 467.

549. *Tormenta moveri*, machinationes ignis augendi fieri: nam *tormentum* nomen est omnium machinarum, quæ proprie funibus tortis et intentis aguntur. — *Manu* et arte humana. Ex ea similitudine Noster supra v. 195 æstuanti Ætnæ *artem* aliquam, et *fabrum*, qui eam *torqueat*, tribuit. Similiter de Ætna Claud. Rapt. Proserp. I, 169: *Quæ scopulos tormenta rotant.*

551. *Nostris sustentari opibus*, i. e. alimentis humana ope comparatis et congestis: hæ *opes* opponuntur *sacro*, qui postea dicitur, *igni*. Pleræque antiquæ habent *sustentare*. Male etiam scribunt Ven. Lugd. Hag. *tantis fornacibus.*

552. Plerique veteres *et sacro*, male. Helmst. et Scalig. *a sacro*. Dicit autem *sacrum ignem*, qui est humana arte et potestate superior, divinitus excitatus; vid. v. 461. *Fertilem igni* materiam dicebat v. 415.

553. *Sed non*, scilicet is ignis est, *qui nostro usu* nobis utentibus, vel per rationem usus nostri, *moderatior*, lenior et debilior, *fervet*. Non opus esse arbitror *usu* positum pro *usui* existimare, ut Gorallus statuit.

555. *Armatus flamma*, ut v. 54: *additus* legunt omnes. Scaliger tamen et *abditus* velit. Wolfius in margine Pithœanæ scribebat *additur*, quod probo.

557. *Fabriles operæ... massas.* Sic bene correxit Scalig. quum veteres omnes male legant: « Fabriles operas rudibus contendere massis », quamvis hanc lectionem præ Scaligeri correctione malit Barth. Advers. XLIX, 6, et explicet, velut in certamen cum metallo descen-

Digitized by Google

Festinant, ignes quatiunt, follesque trementes
Exanimant, pressoque instigant agmine ventos.
Hæc operis forma est; sic nobilis uritur Ætna.
Terra foraminibus vires trahit, urget in arctum,
Spiritus incendî vivit per maxima saxa.
Magnificas ædes, operosaque visere templa

dere, ad vim ejus frangendam. — *Tudes* sunt mallei. Inde verbum *tuditare* pro *tundere* Lucretio, III, 395. Vide Festum in *Tuditantes* et in *Tudites*. Sermo est de fabris ærariis æs vel ferrum candens malleo ducentibus. Conf. v. 38.

558. *Festinant*, verbum fabrilibus operis fere proprium. Nam festinato opus est, ut ferrum cudatur, dum candet. Vide notata nostra ad vers. 32. — *Follesque trementes* constanter servant omnes libri veteres, et rectum hoc quamvis Lindenbruchius legere *tumentes* velit. Nam re vera *tremunt* folles, quum aere concepto evacuantur. Follis agitationem descriptam vidimus ab Auson. Mosel. v. 267: « Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes, etc. »

559. *Pressosque instigant agmine;* sic Scaliger et Gorallus ediderunt. Helmst. cum non nullis edd. legit *pressoque*, quod Wolfius oræ libri sui adscripserat, et ego præfero. — *Agmen* est constipatio et turba plurium, ubi priores a posterioribus premuntur et urgentur, ut fit in ductu exercitus proficiscentis, et in fluxu aquarum. Hinc Virg. Æn. II, 782: *leni fluit agmine Thybris*.

560. *Hæc operis fama est* legunt omnes veteres. Scaliger vidit legi posse *summa est*, Gorallus probavit et recepit. Ego malo, quod propius ad scripturam codicum est, et a Wolfio in ora libri sui notatum erat, *forma est*, h. e. hæc est ratio totius incendii, quod fit in Ætna. Nempe hic est Epilogus poematis, quo auctor in pauca contrahit, quod antea de caussis incendii dixerat.

561. *Vires trahit*, i. e. ventos admittit, quorum viribus ignis accenditur. — *Urget in arctum*, eas ipsas vires vel ventos arctis canalibus comprimit, ut hoc fortius urgeant.

562. Antiquæ edd. habent *Spiritus incendit* vel *incedit vivus:* sed MS Helmst. cum Basil. Scal. et Luc. *Spiritus incendi vivit per maxima saxa:* quæ lectio omnino probabilis, ut emendatione Scaligeri minime opus sit, qui scribit: « urget in arctum Spiritus, incendi cui vis per maxima saxa ». Sensus est: Vis incendii spiritu vel flatu adjuta, vivit et pascitur accensione magnorum saxorum.

563. Omnes veteres perperam legunt *Magnificas laudes*. Gorallus primus correxit *ædes*, quia de templis sermo est, et *magnifica ædes* vocatur ab Ovid. Fast. VI, 637. Ego fere malim *Magnificas urbes* ex hoc Ovidii Pont. II, x, 21: « Te duce, magnificas Asiæ perspeximus urbes ». — *Operosa templa divitiis* sunt multo opere fabricata et ornata donariis opulentis. Ovid. Am. II, x, 5: « Utraque formosa est; operosæ cultibus ambæ », et Horatio, Carm. III, 1, ult. ipsæ divitiæ vocantur *operosæ*, quod in iis paran-

Digitized by Google

Divitiis hominum, aut sacra marmora, resve vetustas,
Trajicimus maria et terras; per proxima fatis
Currimus, atque avidi veteris mendacia famæ
Eruimus, cunctasque libet percurrere gentes.
Nunc juvat Ogygiis circumdata mœnia Thebis
Cernereque et fratres (ille impiger, iste canorus

dis et custodiendis magno labore et cura opus est. Gemina his sunt verba Propertii, I, 6, 13: « An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas, Atque Asiæ veteres cernere divitias ». — Et Juvenalis, III, 218: « Asianorum vetera ornamenta Deorum » memorat. Ed.

564. *Sacra marmora, resve vetustas.* Sic optime versum restituit Scaliger e corruptissima omnium vetustarum scriptura *sacra memorare vetusta:* scriptus Helmst. *vetustas* exhibet et latens verum prodit. Lucii editio emendare videtur priores: *sacra commemorare vetusta.*

565. *Traduce materia et terris per proxima fatis.* Sic versum hunc exprimunt omnes vetustæ. Duæ tantum, Scaligeri et Pith. *tetris* habent pro *terris:* Helmst. scriptus *Traducti* pro *traduce*, et Gorallus necesse habuit *aut* pro *et* ponere. Lectioni vulgatæ ne Scaliger et Gorallus quidem satis confidunt, interim explicat Scaliger *opera traduce materia* de iis, quæ Græci ἀρχέτυπα vocant, utpote ex quibus multa similia ad exemplum derivata sunt. Gorallus pro iis habet, quæ adeo firma materia fuerint, ut ad posteros usque traduci potuerint, cætera, quæ *tetris fatis per proxima* ab eorum conditu tempora vix servari potuerunt. Valde coacta hæc esse, atque meliorem lectionem desiderare, nemo non intelligit. Maxime probo, et ipso contexto dignam censeo emendationem Antonii *de Rooy*, V. Cl. qui scribit: « Trajicimus maria et terras, per proxima fatis Currimus ». Confirmant ea, quæ auctor versu 594 subjicit: « Hæc visenda putas terræ dubiusque marisque ». Et *per proxima fatis* interpretor per summa discrimina, quæ a fato proxime absunt, et præsentem afferre mortem possunt, quale discrimen inprimis subeunt navitæ, de quibus Ovid. Am. II, XI, 26: « Et prope tam letum, quam prope cernit aquam ».

566. *Veteris mendacia famæ*, h. e. ea, quæ Veterum fabulis celebrata sunt. Sic *mendosam famam* dixit v. 72; *mendacem famam* v. 366.

568. *Ogygiis... Thebis*, ab Ogyge vel Ogygo Thebarum rege nominatis.

569. Plures vetustæ legunt: *Cernere quod fratres*, aliæ *Cernereque et fratres*, quod durum et corruptum existimans Gorallus *Cernereque hic fratres* reposuit; sed defendit et Gorallum refutat Menkenius l. c. pag. 349 seq. cui ego adsentio. *Fratres* intelliguntur Amphion et Zethus, Jovis et Antiopæ filii, Thebanorum conditores mœnium, de quibus Homerus, Odyss. XI, 261; Pausan. Bœot. cap. 5; Horat. Art. Poet. 394. Eorum fratrum Zethus dicitur *impiger*, quod pecuarius vel agricola fuisse fertur, ut Horatio, Carm. III, 16, 26, dicitur, *non piger*

Digitized by Google

Condere); felicesque alieno intersumus ævo,
Invitata pio nunc carmine saxa lyraque,
Nunc gemina ex uno fumantia sacra vapore
Miramur, septemque duces, raptumque profundo.
Detinet Eurotas illic et Sparta Lycurgi,

Appulus; et Amphion *canorus,* quod citharœdus: *impiger* et *canorus condere* dicitur ea figura, qua Horat. de fratribus Helenæ, Carm. I, 12, 26: « Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem ». Pausanias in Bœot. p. 295, edit. Wechel. auctor est, ostendi etiamnum ævo suo Zethi et Amphionis monumentum in communi terræ tumulo, item lapides quosdam rudes, ad monumentum Amphionis jacentes, quos dicant esse rupes illas, quæ cantum ejus sequutæ sint. Unde apparet, cur Lucilius dicat adhuc homines ad ea visenda currere.

570. Gorallus vulgatam lectionem exhibet: *Condere felices alieno interserit ævo,* et sic exponit: canorus iste alieno ævo interserit se et fratrem, condere felices, nimirum in ædificandis Thebis. Contorta hæc esse, nemo non videt. Scaliger sic mutare tentat: *ille canoris Chordis Fenices* (Phœnices), h. e. Thebanos, qui ex Phœnice oriundi, *alieno interserit ævo.* Mihi optimam emendationem præbet cod. Helmst. cujus auctoritate scribo: *felicesque alieno intersumus ævo,* h. e. felices nos putamus, ubi interesse rebus a nostro ævo alienis possumus. Præcedentia *ille impiger...condere* parenthesi includo. Illud autem *intersumus* respondet superioribus *currimus* et *eruimus:*

571. *Pio carmine,* i. e. benefico, quia patriæ præstabat officium. Vid. notata a nobis ad Lactant. Phœn. v. 37 et 120. Quomodo *invitata* hoc loco *saxa* dicantur, explicat Propert. III, 2, 3: « Saxa Citharonis Thebas agitata per artem Sponte sua ad muri membra coisse ferunt ».

572. Omnes habent *fumantia saxa,* quod tamen falsum, et ex historia mutandum in *sacra.* Quippe de fratribus Thebanis, Œdipi filiis, Eteocle et Polynice, refert Pausanias in Bœot. cap. 18, quando ad eorum monumenta Thebani sacra faciant, flammam, ut et fumum, qui ex ea elabitur, bifariam dividi. Tangit hoc etiam Statius, Theb. XII, 429 seqq. et Ovidius Trist. V, v, 33; Lucanus, I, 552. Wolfius hunc versum ita volebat legi: «Unaque nunc gemino fumantia sacra vapore ».

573. *Septemque duces,* ad bellum Thebanum profectos, quorum præcipuus Adrastus, Argivorum rex, Polynicis socer, et Amphiaraus vates, qui hic *raptus profundo,* i. e. terræ hiatu absorptus, dicitur: quod fatum magnifice descripsit Statius, Theb. VII, 771 seqq. Septem ducum monumenta ostendebantur in agro Eleusino, teste Pausania in Attic. c. 39. Idem memorat ibidem Amphiarao passim heroa consecrata fuisse.

574. *Sparsa Lycurgi* in omnibus antiquis legitur, errore facile agnoscendo. Domitius tamen mendosam lectionem explicat, et intelligit *sparsa* genua Lycurgi, Thraciæ regis,

Digitized by Google

Et sacer in bellum numerus, sua turba regenti.
Nunc hic Cecropiæ variis spectantur Athenæ
Carminibus, gaudentque sua victrice Minerva:
Excidit hic reduci quondam tibi, perfide Theseu,
Candida sollicito præmittere vela parenti.
Tu quoque Athenarum crimen, jam nobile sidus,
Erigone; genus et vestrum, Philomela canoris

qui sibi genua abscidit, dum Bacchi sacra contemneret. — *Eurotas* fluvius Laconiæ, Spartam præterlabens, poetis multum celebratus: ad quem fieri frequentes exercitationes juventutis Spartanæ solebant.

575. *Et sacer in bellum numerus.* Et populus per numeros et classes descriptus in bellum, et cujusque ordinis rectori parere doctus. Veteres edd. habent *recenti*, quod in *regenti* mutandum esse, quilibet videt. Vid. Excursus quintus.

576. *Spectantur*, visuntur, celebrantur, *variis carminibus*, per et propter indicium variorum carminum: quia ea maxime spectari solent Athenis, quæ fabulis poetarum celebrata sunt.

577. *Victrice Minerva*, quæ in certamine cum Neptuno victrix evasit, olea ejus præposita equo Neptuni. Ad eamdem Minervæ Νίκη Ἀθηνᾶ, de qua Harpocration.

578. *Excidit hic.* Qui Athenas adit, inter alia locum notat, ubi Theseus e Creta redux appulit, oblitus vela candida prætendere, ut essent patri nuntia reditus felicis. Fabulam hanc narravit Catullus in carmine de Nuptiis Pelei et Thetidis. — *Perfidus* Theseus appellatur, ob Ariadnen perfide relictam in Dia insula (Naxo).

579. Omnes libri mei habent *permittere*, excepta una Lugdun. quæ recte exhibet *præmittere*. Sic enim legendum ob fabulæ rationem.

580. *Athenarum carmen* legunt omnes mei. Aldina tamen *crimen* habere dicitur, quod sane aptum est. Nam Erigone super patris sui Icarii, ab Atticis pastoribus occisi, corpore se suspendio necavit, ob quam rem Liber Pater iratus Atheniensium filias simili pœna afflixit, et oraculo responsum est, Icarii et Erigones mortem vindicandam. Totam fabulam vide apud Hyginum, fab. 129. — *Jam nobile sidus*, nam in astrorum numerum relata Erigone, et signum Virginis est. Antiquæ edd. perperam *tam nobile*.

581. Pleræque veteres legunt: *sedes vestra Amphiona canoris*; quædam: *sedes vestra en Philomela canoris Evocat in silvis*, quæ recipiens Gorallus *Te vocat* legit: nec tamen hæc concinna. Cod. Helmst. utriusque lectionis vestigia corrupta servat: *sedes vestra amphilonia canoris*. Scaliger corrigit: *sedes, Pandioni, vestra canoris Te vocat in silvis, et tu soror:* quæ mihi et nimium aberrare a scriptura, et obscura videntur. Ego legam: *genus et vestrum* (o Athenæ), *Philomela canoris En volat in silvis, et tu, soror hospita*, etc. In animo fortasse habuit versum Ovidii, Metam. VI, 668: « quarum petit altera silvas, Altera tecta subit ». E quo loco totam fa-

Digitized by Google

En volat in silvis, et tu, soror hospita, tectis
Acciperis; solis Tereus ferus exsulat agris.
Miramur Trojæ cineres et flebile victis
Pergamon, exstinctosque suo Phrygas Hectore, parvum
Conspicimus magni tumulum ducis; hic et Achilles
Impiger et victus magni jacet Hectoris ultor.
Quin etiam Graiæ fixos tenuere tabellæ,

bulam de Philomela, Progne et Tereo in aves mutatis petere possunt, quibus opus est. Breviter etiam attigit Virg. Ecl. VI, 78 seq.—*Canoræ silvæ*, quæ cantu avium resonant. Petron. de Bello Civ. v. 72, *verno persona cantu virgulta* appellat, et Pervig. Ven. v. 1, *ver canorum*.

584. *Flebile victis Pergamon*, ut *lacrymosa Trojæ funera* dixit Horat. Carm. I, 8, 14.

585. *Exstinctosque suo Phrygas Hectore*. Sic recte emendavit Scal. quum veteres edd. prave legant: *exstinctosque suos Phrygas Hectora*. Hæc vulgaris poetarum querela, Phrygas cum Hectore suo exstinctos. Ex ipso Homero expresserunt auctor epitomes Homeri, pluribus locis; Ausonius in Epitaph. Heroum XIV, et Pentadius in tumulo Hectoris.—Videantur notata nostra, tomo II, Poet. Min. p. 329. Ed. — His addi potest Horatius, Carm. II, IV, 10: « et ademptus Hector Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis ». Quod quædam veteres hic legunt *Hectora primum*, id Barth. Advers. lib. XXXII, cap. 16, servari posse putat, ut eleganter dicat, bis occidisse Trojam, et primum quidem in Hectore cæso, deinde quum occupata est.

586. *Parvum conspicimus magni*. Hic quidem *parvus* argute dicitur in oppositione ad *magnum* ducem; generatim tamen *parvus tumulus*, *brevis urna* dici a poetis solet, quod reliquias defunctorum continent.—Vid. not. ad Epitaph. Homon. t. II huj. operis, p. 269. Ed.—Simile huic dicto est epigr. de sepulcro Catonis in Burm. Anthol. II, 53: « Ne mirere sacri deformia busta Catonis: Visuntur magni parva sepulcra Jovis ». — *Conspicimus*: seu vere, seu falso multis postea sæculis ostendebantur tumuli Achillis, Patrocli, aliorumque heroum: hoc etiam fiebat Strabonis ætate, ut colligere licet e descriptione Troadis, lib. XIII. Ed.

587. *Hectoris ultor*, sine dubio Paris est, qui Achillem sagitta interfecit, et mortem fratris ultus est. Casp. Barthius autem, ne *victus* forte intelligatur, de Troilo, legendum censet *et jactus*, intelligendumque de Astyanacte, quem ultorem metuendum paternæ cædis de turri præcipitavit Ulyssis astutia. Advers. lib. XLIX, cap. 6.

588. *Graiæ fixos tenuere tabellæ*. Sic recte ex meis legunt Basil. Scal. Luc. cæteræ mendose *Graiæ fixas timuere tabellas*. Scaliger putat exprimi ab auctore Horatianum illud Epist. II, 1, 97: « Suspendit picta vultum mentemque tabella ». Mihi non minus hoc quadrare videtur Sat. II, 7, 95: « Vel quum Pausiaca torpes insane tabella ».

Digitized by Google

Signave; nunc Paphiæ rorantes arte capilli,
Sub truce nunc parvi ludentes Colchide nati,
Nunc tristes circa subjectæ altaria cervæ,
Velatusque pater; nunc gloria viva Myronis.

589. *Signave* habent Basil. Scal. et Luc. sed *Signaque* vetustiores, quod melius puto. Deinde veteres pleræque habent *rorantes parte capilli*, vel *capillos*. Feliciter emendavit Scaliger *rorantes arte*, quod tamen et mea Lugdunensis habet. Scilicet hoc ipsum est, quod Horatius exprimit Art. Poet. 33, « molles imitabitur arte capillos »: sic enim malim pro *ære*. Paullum turbat cod. Helmst. qui *Signa nec nunc Paphiæ rorantia parte capilli*. Respicit celeberrimam illam tabulam Veneris Anadyomenes, h. e. emergentis e mari, ab Apellis manu, quam præter Plin. lib. XXXV, cap. 10, laudarunt Ovid. Art. Am. III, 401, Trist. II, 527, et ex Pont. IV, 1, 29, ubi sic describit, « Ut Venus artificis labor est et gloria Coi, Æquoreo madidas quæ premit imbre comas »; amplius Antipater Sidonius in epigramm. græco Anthol. IV, cap. 12, quod Ausonius convertit Epigramm. 106.

590. *Sub truce nunc parvi.* Significat tabulam Timomachi, qua Medea truci vultu cædem filiorum meditans, hique juxta eam, exitii sui ignari ludentesque, picti erant. De ea Plinius, lib. XXXV, cap. 11: « Timomachus Byzantius Cæsaris dictatoris ætate Ajacem et Medeam pinxit, ab eo in Veneris Genetricis æde positas, octoginta talentis venumdatas ». Quas hic Plinius tabulas, etiam Ovidius conjungit Trist. II, 525: « Utque sedet vultu fassus Telamonius iram, Inque oculis facinus barbara mater habet ». In Medeam hanc epigrammata aliquot libro IV, cap. 9 Anthologiæ Græcæ continentur, quorum duo convertit Ausonius, Epigr. 121, 122. In eamdem filios suos necantem habes epigramma in Anthol. Lat. lib. I, 128. Cæterum mira hujus versus scriptura est in edit. Lugd. *Sub cruce nunc parvi ludunt Dioclide nati*: quod Domitius et Ascensius explicant: Dioclide nati ex filia Dioclei, qui Chretona et Orsilochum genuit, quos, ut Homerus ait, præstantissimos viros Æneas unius horæ momento interemit coram ipso Agamemnone.

591. Scriptus Helmst. et excusi quidam *subjecta altaria* legunt, sed Basil. Scalig. Luc. recte *subjectæ*: nam cerva subjecta est a Diana ad altaria in Aulide loco Iphigeniæ, filiæ Agamemnonis, quæ jussu Calchantis Dianæ immolanda erat. Narrat fabulam Ovidius, Met. XII, 34, ubi de Diana: « Supposita fertur mutasse Mycenida cerva ». Eamdem tractat Euripidis Iphigenia in Aulide.

592. *Velatusque pater*, Agamemnon. Sic enim pinxit eum Timanthes ad altare stantem. Refert Plin. lib. XXXV, cap. 10: « Timanthi plurimum adfuit ingenii. Ejus enim est Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura, quum mœstos pinxisset omnes, præcipue patruum, et tristitiæ omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius vultum velavit, quem

Digitized by Google

Quin etiam illa manus operum, turbæque morantur.
Hæc visenda putas terræ dubiusque marisque;
Artificis naturæ ingens opus adspice, nulla 595

digne non poterat ostendere». Tangunt et alii, Cicero in Oratore, cap. 22; Quintil. II, 14; Valer. Maxim. VIII, 11, extr. 5.—*Gloria viva Myronis*, sic cod. Helmst. et edd. Scalig. et Pith. vetustiores pleræque *viva minoris*; Luc. adeo *Maronis*. Viva gloria Myronis bucula dicitur, quod ea *Myronem*, ut Plinius, lib. XXXIV, cap. 8, ait, *maxime nobilitavit, celebratis versibus laudata*, et quod vivæ simillima spirare et mugire visa est. Unde Petronius, cap. 88: « Myron, qui pæne hominum animas ferarumque ære comprehendit ». Anthol. lib. IV, cap. 7, epigrammata triginta sex in banc buculam Græca, et ab Ausonio Latina undecim a 58 ad 68, partim ex istis conversa, leguntur.

593. Pleræque vetustæ cum scripto Helmst. habent *turbæque morantem* nullo sensu, Lugd. et Luc. *turbæque minaces*, quod Calderinus et Ascensius intelligunt de multitudine operum et exercitu Xerxis, qui Athenas combussit hominibus vacuas. Scaliger autem hoc corrigit: *turresque minaces*, scil. murorum, e Virgilio. Gorallus tenet *morantur*, quod in Aldina esse dicitur, hoc sensu: Quin etiam illa præstantia operum non minus, quam multitudo oculos spectatorum moratur.—*Manus operum* est artificium operum a manu artificis profectum. — Ut apud Propert. III, 20: « Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ, Sive ebore exactæ, seu magis ære manus ». Ed. — Multitudinem signorum et statuarum veterum ingentem facile docuerit Plinius, lib. XXXIV, cap. 7 seu 17: « Rhodi etiamnum tria millia signorum esse, Mucianus ter consul prodidit, nec pauciora Athenis, Olympiæ, Delphis superesse creduntur ... Singulorum quoque artificum inexplicabili multitudine, quum Lysippus MD opera fecisse prodatur ».

594. *Terræ dubiusque marisque.* Gorallus hæc sic interpretatur: dubius terræ aut maris caussa, an pericula in iis occurrentia vitare possis. Menckenius l. c. pag. 354, e contextu et serie orationis hunc deducere sensum mavult: Hæc si spectanda putas, de eo saltem dubitans, terræne prius, an maris, spectaculis utaris, aut, terrestri an maritimo itinere illuc, ubi spectantur ea opera, excurras. Præferam hanc sententiam alteri.

595. *Artificem* naturam hic dicit, opponens artificum hactenus memoratorum operibus. Et *artem* et *fabrum* vel opificem Ætnæ jam ante adscripsit v. 196, cujus loci videnda est lectio quam Schrad. restituit, Obs. cap. III, p. 31. Ed.—Simile huic dicebat v. 253: « Tantum opus ante pedes transire et perdere segnes ». Quod auctor homines peregrinari cupientes ad Ætnæ, præsentis vel vicini, miraculum spectandum delegat, hinc in Sicilia scriptum hoc poema videtur. — Simili prorsus sententia de Mosella loquitur Ausonius, ut Lucilium expressisse videatur, Mosell. v. 49: « Ast ego despectis, quæ census opesque dederunt, Naturæ mirabor opus, etc. » Ed.

Digitized by Google

Tu tanta humanis rebus spectacula cernes;
Præcipueque vigil fervens quum Sirius ardet.
Insequitur miranda tamen sua fabula montem;
Nec minus ille pius, quam fortis, nobilis ignis.
Nam quando ruptis excanduit Ætna cavernis,
Et, velut eversis penitus fornacibus, ignis

596. *Tu tanta humanis rebus.* Sic bene correxit Gorallus: in omnibus veteribus inepte legitur *Quum tanta humanis Phœbus.*

597. *Præcipueque vigil.* Id Gorallus de Sirio intelligit, « pervigil, inquit, tota nocte fulgens ». Ego de homine accipiendum arbitror: cernes, inquit, præcipue vigil, quando noctu pervigilabis, et adspicies. Confirmat Plinius, qui lib. III, cap. 8, scribit, *montem Ætnam nocturnis mirum incendiis esse.* Et Strabo, lib. VI, pag. 274: Νύκτωρ μὲν οὖν καὶ φέγγη φαίνεται λαμπρὰ ἐκ τῆς κορυφῆς, μεθ' ἡμέραν δὲ καπνῷ καὶ ἀχλύϊ κατέχεται. — *Fervens quum Sirius ardet,* h. e. per dies caniculares, in quibus credere videtur maxima fieri Ætnæ incendia. Equidem Sirio exorienti maximi æstus terræ et maris vulgari Veterum opinione adscribuntur, quam et adoptare Lucilius, et ad Ætnæ incendium trahere potuit; sed tamen hæc lectio merito suspecta Scaligero Goralloque est, quamquam nec melius quidquam exquirere per codices licet. Veteres tantum *ardens* legunt vitiose pro *ardet.*

598. *Insequitur miranda tamen.* Sensus est: Quamquam pauci ejus montis miracula cognoscere et propius spectare cupiunt, est tamen ei *sua fabula miranda,* seu fama facti mirabilis, quæ eum *insequitur,* h. e. ubique celebrat, et peregrinos ad eum propius visendum instigare potest. — *Fabulam* fortasse consulto vocat narrationem, quam promittit, quod ea μυθωδεστέρα nonnullis visa est, ut Lycurgo, oratione in Leocr. cap. 23.

599. *Nec minus,* etc. Veteres edd. legunt: *Nec minus ille pius, quamquam sors nobilis ignis;* sigillatim Lugd. *Nec minus ille pio, quam sorte est nobilis.* Scaliger legit: *Nec minus ille pius, quam fors et nobilis ignis.* Rejicit hoc Gorallus et reponit *quam fortis,* h. e. vehemens, ex versu 2, idque indicata Lugdunensis scriptura confirmat. Fere tamen est, ut conjecturam Barthii Advers. XXXII, 16, amplectar, qui pro *sors* rescribi jubet *sons. Pius* et *sons,* inquit, scite opponuntur, quum utroque nomine *nobilis* sit ignis. Ergo duce Lugd. edit. malim: *Nec minus ille pius, quam sons est.* Supra v. 560 dicebatur *nobilis Ætna.*

600. *Nam quando,* i. e. aliquando. Immo legere malim *quondam,* ut etiam v. 501 *quondam* posuit pro *aliquando.* Incipit hic fabula vel narratio promissa de fratribus Catanensibus, qui parentes suos ex Ætnæ incendio extulerunt.

601. *Eversis penitus fornacibus,* h. e. arenis et saxis ex imo fundo Ætnæ vi ventorum subversis et ejectis, ut v. 197, « volvuntur ab imo Fundamenta »; atque v. 208, « vada vortice sævo In densum congesta

Digitized by Google

Evecta in longum rapidis fervoribus unda est:
Haud aliter quam quum, sævo Jove, fulgurat æther,
Et nitidum obscura cælum caligine torquet;
Ardebant arvis segetes, et millia culta
Jugera cum domibus, silvæ, collesque virentes.
Vix dum castra putant hostem movisse, tremebant,
Et jam finitimæ portas evaserat urbis.
Tum vero ut cuique est animus viresque, rapina

rotant, volvuntque profundo ». In extremo versus *ignes* habent veteres, quod recte mutatum in *ignis*.

602. *Evecta.* Sic Aldina, reliquæ perperam *Et vecta.* Dicit *undam* materiam ignitam e cratere effluentem, ut Pindarus ποταμὸν πυρὸς, et Noster sæpius amnem, fluctus, undas. — *Evecta in longum*, ut vs. 380: « Flamma micat, latosque ruens exundat in agros ». Similibus verbis Virgil. Georg. I, 71: « Cyclopum effervere in agros Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam ».

603. *Quam quum, sævo Jove.* Sic scriptus Helmst. et Gorallus : sed veteres edd. *sævo quam quum Jove.*

604. *Cælum caligine torquet.* Frustra Scaliger vult *torpet.* Est hypallage, pro *cælo torquet caliginem*, h. e. nubes caliginosas et nimbos ut apud Lucan. IV, 62, *Eurus nubes torquet;* et IX, 498, *ventus aera.*

605. *Millia cultu Jugera* habent MS Helmst. et veteres edd. præter unam Lugd. quæ *millia culta*, quod bonum videtur, hoc est, innumera culta circa Ætnam loca. Attamen Scalig. et Pith. ed. *mollia culta.*

606. Omnes antiquæ legunt *Jugera cum dominis :* quod per se absurdum Gorallus recte mutavit in *domibus.* Heinsius ad Catonis Diras, vs. 78, emendabat *mitia cultu Jugera cum domibus*, vel *dumis.*

607. *Castra hostem movisse*, h. e. ignem progressum esse. Supra etiam v. 467 ignem *hostem* vocavit.—*Tremebant*, nempe cives Catanæ.

608. *Portas evaserat* omnes libri veteres legunt: atque id recte se habet, et notat, portas superaverat, ultra portas progressus erat, adeoque urbem intraverat. Virgil. Æneid. II, 730: « Jamque propinquabam portis, omnemque videbar Evasisse vicem ». Ovid. Metam. III, 19: « Jam vada Cephisi, Panopesque evaserat arva ». Scaliger hanc significationem παροῴκων reponere jussit *invaserat*, eumque sequutus est Gorallus.

609. Omnes meæ veteres legunt *viresque rapinæ*, quod Scaligero interprete significat, quantum rapere possunt. Sed melius videtur cum Scal. Pith. et Gorallo legere *rapina Tutari conantur opes*, h. e. rapiendo servare conantur. Favet huic lectioni cod. Helmst. qui *rapinis* præfert, quod non aliter, quam cum *tutari* conjungi potest. Cæterum eam significationem vocis *rapina*, qua hic adhibetur, nempe de actu rapiendi, maxime familiarem Romanis scriptoribus esse, contra Gorallum multis locis probat Menckenius l. c. pag. 355.

Digitized by Google

Tutari conantur opes: gemit ille sub auro,
Colligit ille arma, et stulta cervice reponit;
Defectum raptis illum sua crimina tardant,
Hic velox minimo properat sub pondere pauper,
Et quod cuique fuit cari, fugit ipse sub illo:
Sed non incolumis dominum sua præda sequuta est;
Cunctantes vorat ignis, et undique torret avaros,
Consequitur fugisse ratos, et præmia captis

611. *Stulta cervice*, sane quia nil opus erat armis ad ignem fugiendum, præsertim talem, ut judicat Gorallus. Hactenus ad verbum fere expressit poeta, quæ habet Conon, Narrat. 43: καὶ φεύγοντες ὡς εἶχον τάχους, οἱ μὲν χρυσὸν, οἱ δὲ ἄργυρον ἔφερον, εἰ δὲ δ, τι ἂν τις βούλοιτο ἐπικούρημα τῆς φυγῆς.

612. *Defectum raptis* interpretes hujus poematis, quos habeo tres, accipiunt de eo, qui defessus et oppressus est onere raptarum rerum; nec ego improbo. Sed vide, an potius ille intelligendus sit, qui quoniam earum rerum, quas auferat, non satis pro cupiditate sua invenit, propterea diutius aliena, quæ rapiat, circumspicit, ideoque detinetur et cunctatur, quo fit, ut eum *sua crimina tardent*. Absurde autem veteres edd. legunt *sua carmina*.

613. Omnes antiquæ edd. habent *Hic velox nimium*: sed codex Helmst. et ed. Aldina *nimio*, quod facile persuadet legendum *minimo*.

614. *Et quod cuique fuit cari*. Sic Helmst. Ven. Lugd. Scal. Luc. quod sine dubio præferendum alteri lect. *Et quodcumque*, quam habent Hag. et Basil. Similiter Petronius de Bello Civ. vs. 230, de Romanis Cæsare adventante ex Urbe fugientibus: «onerisque ignara juventus Id, pro quo metuit, tantum trahit: omnia secum Hic vehit imprudens, prædamque in prælia ducit».

615. *Dominum sua præda sequuta est*, nimirum ad inferos, adnotat Gorallus, atque verba Propertii affert, e lib. III, 5, 13: «Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas, Nudus ab inferna, stulte, vehere rate». Sed aptior verbis Lucilii hic locus Horatii erat, Carm. II, 14, 24: «Linquenda tellus... neque harum, quas colis arborum..... Ulla brevem dominum sequetur».

617. *Præmia captis Concrepat* exhibent MS Helmst. edd. Scal. Pith. Luc. *Increpat* reliquæ. Scaliger videtur *Increpat* legisse, idque putat argute dictum, quasi de prædone, qui captis inclamat præmia, tamquam ignis fugientes ante exspectatum opprimat. Idem tamen non renuit *Concremat* legere pro *Concrepat*. Gorallus vult *præmia raptis Concremat*, et exponit, ignem Ætnæum una cremasse et res raptas, et præmia, quæ exspectabantur ab iis, qui rapiendo operam suam ditioribus locaverant. Sed hæc Goralli non minor argutia est, quam illa Scaligeri ab eo improbata. Ego inhærens vulgatæ lectioni, *præmia captis Concremat* interpretor, ignem Æt-

Digitized by Google

Concremat, ac nullis parsura incendia pascunt,
Vel solis parsura piis. Namque optima proles,
Amphinomus fraterque pari sub pondere fortes,
Quum jam vicinis streperent incendia tectis,
Adspiciunt pigrumque patrem, matremque, senecta
Eheu! defessos posuisse in limine membra.
Parcite, avara manus, dites attollere prædas:

nasum homines, quos ceperat vel corripuerat, una cum præmiis, hoc est, rebus raptis et servatis, quas ferebant, concremasse. *Præmia* enim poetis sunt omnes res labore, bello, venatione quæsitæ.—Vid. adnotatio nostra ad Sulpiciæ Sat. v. 31, in hujus operis t. II, pag. 142; et vide τὸ *præmia* eodem sensu usurpatum a Petronio in carm. de Mutatione Reipublicæ, v. 32, ejusdem tomi pag. 93. Ed.

618. *Ac nullis parsura.* Sic omnes legunt. Gorallus, qui hoc sine sensu esse ait, pro eo *hæc nullis* reponit sine caussa. *Pascunt* absolute positum, vel pro *pascuntur*, ut apud Ovid. Met. IV, 634. Codex Helmst. vitiose *sparsura.*

619. *Parsura piis* exhibent edit. Scalig. Pith. Luc. quum vetustiores omnes habeant *Deis* vel *dies*. Certum est *Vel solis piis*. Nam ii, quorum mox factum narrat, κατ' ἐξοχὴν vocati sunt Εὐσεβεῖς, et hi, cæteris pereuntibus, soli servati sunt. Lycurgus, Orat. contra Leocr. cap. 23: λέγεται καὶ κύκλῳ τὸν τόπον ἐκεῖνον περιῤῥεῦσαι τῷ πυρὶ, καὶ σωθῆναι τούτους μόνους.

620. *Amphinomus* exprimunt ed. Scalig. Pith. Luc. Vetustiores omnes vitiose *Amphion fraterque.* Deinde *sub munere fortes* omnes mei libri, nullo excepto, habent. Gorall. tamen, nescio qua auctoritate, *sub pondere* edidit, quod omnino aptius et significantius est, et recurrit a v. 634, confirmaturque Claudiani dicto in Idyllio VII de piis fratr. *Adspice sudantes venerando pondere fratres.* Vid. Excursus sextus ad calcem hujus carminis.

622. *Matremque senemque* legunt Helmst. et omnes edd. præter unam Lugd. quæ *senilem* habet. Barthius ad Claud. p. 1045, *matremque sedentem* in suo codice legit. Sed dubitari vix potest, legendum esse *senecta defessos*, ut Barth. et Heins. ad Claud. et Burmannus ad Numism. Sicula viderunt. Archaismo, quem Scaliger vult, *senecta membra*, non opus est.

623. *Eheu!* pleræque vett. deterius est *Heu*, *heu* quod aliæ habent. *Heu jam*, Luc.—*Defessos* omnes, et nolim *defectos*, quod Heinsius, Gorallus, Burmannus scripserunt. Anton. *de Rooy* vir cl. l. c. pag. 103 conjicit *defessam*, quia patrem jam *pigrum* senecta dixit. Videtur Lucilius in animo habuisse versum Virgilii, Æn. II, 96: «Non prius adspicies ubi fessum ætate parentem Liqueris».

624. *Avara manus*, turba hominum avarorum. Vitiose legunt veteres edd. *dicens attollere*, vel *dites attollite.*

Digitized by Google

Illis divitiæ solæ materque paterque.
Hanc rapiunt prædam, mediumque exire per ignem,
Ipso dante fidem, properant. O maxima rerum,
Et merito pietas homini tutissima virtus!
Erubuere pios juvenes attingere flammæ,
Et quacumque ferunt illi vestigia, cedunt.
Felix illa dies, illa est innoxia terra.

625. *Illis divitiæ solæ.* Sententia a pluribus hujus historiæ auctoribus usurpata. Stobæus: τοὺς ἑαυτῶν πατέρας ἀράμενοι διὰ μέσης τῆς φλογὸς ἐκόμισαν, τῶν ἄλλων κτημάτων καταφρονήσαντες. Pausanias: Χρυσὸν μὲν καὶ ἄργυρον ἐν οὐδένος μερίδι ἐποιήσαντο· οἱ δὲ ἔφευγον ὁ μὲν ἀράμενος μητέρα, ὁ δὲ αὐτὸν τὸν πατέρα. Claudianus: « Qui spretis opibus medios properastis in ignes, Nil præter sanctam tollere canitiem ».

626. Veteres vitiose habent *Hanc rapies* vel *rapiens;* sed Scalig. Pith. Luc. dederunt *rapiunt.*

627. *Ipso dante fidem.* Immerito hanc lectionem sollicitat Heinsius ad Claudiani pios fratres, scribens *Ipso dante fugam* vel *locum;* cui adsentit Burm. ad Numismata Sicula, p. 317. Illud *fidem* non modo omnium codicum fide confirmatur, sed et elegantius graviusque est. Vult enim ignem divino nutu discedentem quasi fidejussisse pro se, securitatem et commeatum dedisse audentiæ juvenum, quæ ipsa fidelis et pia esset. Idem sensit et imitatus est Claudianus, vs. 35: « Senserunt elementa fidem, pater adfuit Æther, Terraque maternum sedula juvit onus. »

628. *Homini tutissima virtus.* Adducuntur hi versus et illustrantur, ut Erhardus ad Petronii fragmenta scribit, a Vincentio Bellovacensi, Specul. Mor. lib. XX, cap. 20, et a Jacobo Magni Sopholog. lib. IV, cap. 10, Petronio ab iis falso adscripti. Unde in editionibus Petronii inter ejus fragmenta legi solent. In eamdem sententiam Seneca in Thyest. v. 549, *Nulla vis major pietate vera est;* et Apollonius apud Philostr. V, 17, ad mentionem Campi Piorum Fratrum monet: ἡγώμεθα δὲ τοῖς ὁσια πράττουσι, γῆν μὲν πᾶσαν ἀσφαλῆ χῶρον εἶναι, θάλατταν δ' εὔπορον.

630. *Quacumque ferunt illi vestigia, cedunt.* Aristot. de mundo: πλησίον αὐτῶν γενόμενος ὁ τοῦ πυρὸς ποταμὸς ἐξεσχίσθη, παρέτρεψέ τε, τὸ μὲν ἕνθα, τὸ δ' ἔνθα. Pausanias: διῳχῆ σχισθῆναι λέγεται τὸν ῥύακα, καὶ αὐτούς τε τοὺς νεανίσκους τὸ πῦρ παρεξῆλθεν. Seneca de Benef. III, 37: « Decessisse creditum est ignes, et utrimque flamma recedente limitem adapertum, per quem transcurrereut juvenes dignissimi, qui magna tuto auderent ». Claudian. Idyll. VII, 3: « Justa quibus rapidæ cessit reverentia flammæ, Et mirata vagas reppulit Ætna faces ». Alios locos adduxi in Excursibus.

631. Pro *illa dies, illa est* Lugdunensis ed. habet *illa dies, lux illa innoxia.* In omnibus est *innoxia terræ*, sed quum apto sensu careat *dies terræ innoxia*, malim equidem scribere *illa est innoxia terra.* Nempe fe-

Digitized by Google

Dextra sæva tenent, lævaque incendia fervent:
Ille per obliquos ignes, fraterque triumphant,
Tutus uterque pio sub pondere; suffugit illac,
Et circa geminos avidus sibi temperat ignis.
Incolumes abeunt tandem, et sua numina secum
Salva ferunt: illos mirantur carmina vatum;
Illos seposuit claro sub nomine Ditis,

lix et instar Fortunatæ insulæ est terra, in qua perstiterunt, vel sine noxa transierunt pii juvenes. Alii scriptores produnt, hanc terram sive regionem postea vocatam esse Campum Piorum, ut latius ostendimus in Excursu.

632. Teneo lectionem, quam veteres quædam præferunt, *Dextra sæva tenent:* sic *dextra* bene respondet sequenti *læva*, et sensus planus est. Si cum Gorallo et aliis legamus *Dextera sæva tenent*, impeditior et asperior inde constructio est. Aurati emendatio, quam affert Scaliger, *Dextra sæva tenus*, plana et elegans est, nec tamen ea opus, quum codices nihil varient.

633. Veteres *fraterque triumphans*, quod facile subrepere potuit pro *triumphant*.

634. *Pio sub pondere*. Claudianus *venerandum pondus* vocat, et *religiosas sarcinas* Apuleius. — *Suffugit illac* primus dedit Gorallus, puto ex emendatione Heinsii: nam omnes vetustiores habent *sufficit illam* vel *illa*.

636. *Sua numina*, parentes, tamquam Penates suos, quorum caussa cessit ignis; ut Æneas asportasse dicitur *Deos comites, quibus ensis et ignis Cesserunt*, apud Ovid. Metam. XV, 861; et L. Metellus, Pontifex Maximus, ardente Vestæ templo, *Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam*, cecinit Juvenal. in Sat. III, vs. 139.

637. *Mirantur carmina vatum*, id est, vates plurimi carminibus testati sunt, quanta ii admiratione digni, vel eos celebrarunt carminibus cum admiratione. Sic Stat. Achill. II, 445: «nec major in istis Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro Quum quaterem, priscosque virum mirarer honores». Sic etiam Græci θαυμάζειν usurpant, de quo videndum est Walkenar. ad Euripidis Hippolytum, p. 177. Ed. — Etsi vero probabile est, plures poetas fuisse, qui factum illud mirabile celebrarent, nullum tamen carmen hodie superest, præter ipsius Lucilii, et Claudiani, quod tamen ex antiquiore Græco expressum. — Cæterum ipsorum poetarum, qui pios fratres celebrarunt, memoriam servarunt nummi Siculi. Exemplo est nummus ille, cujus typum in fronte Luciliani Ætnæ posuit Wernsdorfius, e Begeri Thesauro Brandenb. t. I, pag. 390, expressus. Quippe caput juvenile hedera cinctum, quod in adversa parte nummi conspicitur, caput Poetæ esse arbitror, cui nomen Δάσιος fuit non Bacchi, ut Begerus existimat. Plures ejusmodi nummos suppeditabit Dorvillius in Siculis. Ed.

638. Antiquæ edd. vitiose habent *Illeque se posuit*, vel *Illæsos posuit*.

Digitized by Google

Nec sanctos juvenes attingunt sordida fata,
Sed vere cessere domus et rura piorum. 640

Barthius ad Claudiani pios fratres totum versum castigabat audacius: *Elysiosque colunt claro sub numine Ditis*. Recte omnino Scaliger legendum jussit *Illos seposuit*, h. e. seorsum et separatos posuit secretis locis, quæ piorum sunt, apud inferos, quæ propterea *secretæ sedes piorum* vocantur Horatio, Carm. II, 13, 23. Unde duas portas apud inferos fingit Valer. Flaccus, I, 833 seqq. unam, quæ vulgares animas quotidie recipiat, alteram vero, quæ pias, fortes, sanctas ducat in campos Elysios.—*Claro sub nomine*, propter nomen, quo jam inter vivos claruerant, Εὐσεβεῖς vocati, quoque jus acceperant agendi post fata in beatis sedibus piorum. Testis est Pausanias in Phoc. pag. 344, edit. Wech. fratres Catanenses vocatos esse Εὐσεβεῖς, et de honore eorum addit: Οὗτος μὲν δὴ τιμὰς καὶ ἐς ἐμὲ παρὰ Κατανέων ἔχουσιν. Plura hac de re in Excursibus. — *Ditis* casu recto, ut apud Petron. Bello Civ. v. 76.

639. *Sordida fata*, vulgaria et obscura: qualia sunt cæterorum hominum, ut *sordidam Diris earum* esse negat Noster, v. 32. Sic *obsoleti sordes tecti* Horatius, Carm. II, 10, 6, vocat domum vulgarem, humilem, contemptam. Contra *splendida Minos arbitria facere* dicitur ab Horat. Carm. IV, 7, 21.

640. *Sed jure* Helmst. Ven. Lugd. et aliæ. *Sed vere* Scal. Pith. Luc. quod verum est. Barthius ad Claud. pag. 1044 *veræ* scribere voluit, et Advers. lib. XLIX, cap. 6, voluit *Sed veris cessere domus*, frustra. Neque felicius Heinsius ad Claud. qui *superæ* vel *vernæ* conjecit, etiamsi hoc blandiatur Burm. ad Num. Sic. pag. 318. Ipse vero tentat ibi *Ætheriæ cessere domus*.—*Jura piorum* omnes scripti et excusi, etiam Gorallus. Sed Heinsius ad Claudiani carmen præclare vidit, legendum esse *rura piorum*, quod ipsi pluribus asseruimus Excursu septimo, quem vide. — Gorallus hic *pios* non de incolis camporum Elysiorum dici arbitratur, sed respici ad cognomen fratrum Catanensium qui κατ' ἐξοχὴν dicti sunt pii fratres; quod hic argutius videtur. En.

Digitized by Google

EXCURSUS I

AD LUCILII JUN. ÆTNAM, vs. 52.

Impius et miles metuentia cominus astra
Provocat infestus, cunctos ad prælia Divos, etc.

Hos versus editiones Scaligeri, Pithœi, Lucii cum MS Helmstad. hemistichio continuant cum lacuna :

.....cunctos ad prælia Divos
Provocat admotis.....
Jupiter e cælo metuit, dextramque corusca, etc.

Aliæ omittunt hoc hemistichium, et reliquias ejus miscere versu sequente videntur : nam Basil. scribit versu 53 : *Jupiter e cælo admotus, dextramque.* Hag. *Provocat e cælo admotus.* Lugd. *Jupiter e cælo metuens.* Apparet hemistichium illud interpositum esse superfluum, et ex hallucinatione librariorum ortum, quorum aliquis in voce *Jupiter* subintelligendum ratus *Provocat*, id superscripsit, alius hoc ipsum repetiit, omisso *Jupiter;* alius verbum *admotus* vel *admotis*, in alio exemplari repertum, pro eo, quod in suo habebat, *metuit* vel *metuens* substituendum existimans, idem superscripsit. Inde hemistichium *Provocat admotis* ortum est, quod et inutili repetitione verbi *Provocat* per se suspectum est. Ego vero, ut contextus versuum legitimus restituatur, eam mentem poetæ esse existimo, ut dicat, Gigantes cominus metuentia astra provocasse, Jovem autem adversus eos emisisse Deos suos ; atque ita lego :

Impius et miles metuentia cominus astra
Provocat infestus : cunctos ad prælia Divos
Jupiter e cælo mittit, *vel* admittit.

Digitized by Google

Nempe pro *admittit* facile alius legere poterat *admotis*, vel pro *mittit* legebat *metuit*. Hoc vero *metuit*, quod pleræque editiones habent, stare non potest, ne repetat otiose, quod ante dictum est, *metuentia astra*. Neque verba *cunctos ad prælia Divos* trahenda sunt, ut hactenus factum est, ad *Provocat* et *miles impius*, quia manifesta et inepta hæc ταυτολογία est, et astra, quod per se intelligebatur, explicantur per *Deos*. Ne quis parum usitatum aut aptum putet *mittit ad prælia*, comparari cum hac phrasi Virgilianæ possunt, ut Æn. IX, 200, *solum te in tanta pericula mittam*; Ecl. IV, 36, *ad Trojam magnus mittetur Achilles*; Æn. IX, 462, *Turnus in arma viros... Suscitat, æratasque acies in prælia cogit*; Val. Flaccus, VI, 405, *lectos ex omnibus agris Miserat infelix non hæc ad prælia Tibris*. Propius Nostro dicit Claudianus, de Raptu Proserp. I, 41, *Tisiphone... Armatos ad castra vocat pallentia Manes*. Mirum omnino est, neminem editorum et interpretum, qui versum illum lacunosum retinent, ignava et otiosa repetitione offensum esse, *metuentia cominus astra Provocat, et cunctos ad prælia Divos Provocat*; Gorallum adeo insititia verba interpretari ausum, et vocabulo *admotis* substantivum *scalis*, aut nescio quid simile, addendum existimare, ut dixerit poeta, conatos Gigantes irrumpere scalis admotis. Neminem poetarum puto, in Gigantomachia describenda, scalarum usum memorasse: Noster autem ante jam dixerat, aggerem construxisse Gigantas, et per coacervatas moles scandere nisos esse.

Digitized by Google

EXCURSUS II

AD LUCILII ÆTNAM, vs. 138-141.

Cernis et in silvis spatiosa cubilia retro,
Antraque demissis pedibus fodisse latebris:
Incomperta via est operum; tantum influit intra.
Argumenta dabunt ignoti vera profundi.

Sic libri scripti et excusi fere omnes exhibent: quidam leviter variant. Hag. et Basil. *Cervus* legit pro *Cernis*, Lugd. *spatioque* pro *spatiosa*, quæ sunt aberrationes nullius momenti. Sed altero versu codex Florentinus sic mutat: *Antraque demersas penitus fodisse latebras.* Unde videmus illud *fodisse*, quod Gorallus mutavit in *effossa*, omnes libros constanter retinere. Atque idem in loco obscurissimo satis aperte indicat, sermonem auctori esse de humano aliquo opere, quo doceatur, terram non modo natura sua multis locis cavernosam esse, sed etiam aptam recipiendis canalibus et cavis opere humano efficiendis. Scaliger verba accipit de metallariis et lapidariis fodinis, atque ita legenda putat:

Cernis et in silvis spatiosa cubilia retro,
Antraque demissis pedites fodisse latebris.

Nam etiam de opere militari intelligenda, minime dubitat. Gorallus hoc negat, et de profundioribus cubilibus majorum et minorum ferarum, quæ in silvis occurrunt, agi putat; quomodo etiam Ascensium in scholiis intelligere video, qui adeo nomen feræ supplet, quod in ipso auctore non reperit. Gorallus tribus his rationibus movetur, quod *in silvis* esse dicuntur, in quas se abdunt feræ; quod *cubilia* simpliciter dicuntur lustra ferarum; quod denique hæc cu-

Digitized by Google

bilia dicuntur *pedibus* fodi, quod non conveniat, nisi feris. Quoniam autem deesse videt nomen, ad quod *fodisse* referatur, hoc mutare cogitur in *effossa*. Sed *pedibus* non ubique exstare, et *penitus* in Florentino legi vidimus, atque illud propter ablativum, duobus aliis *demissis latebris* junctum, merito suspectum est. Neque pedibus ferarum tanta effodi posse antra videntur, quæ pertingere ad cava subterranea, et probare terram cavernosam possint. Neque *cubilia in silvis* per se necessario de lustris ferarum intelligenda, contra verbum *fodisse* et sequens *operum* omnino jubet de opere hominum sub terra operantium, qua voce Plinius fossores designat, cogitare, quod in silvis fieri vel inveniri solet. Enimvero lectio codicis Florentini me ad æris ferrique metalla adducit. Sic enim ille versu tertio legit :

> Incomperta via est æri, tantum effugit ultra.

Quæ lectio mihi hoc probabilior videtur, quod Noster eamdem vocem *incomperta*, infrà v. 542, de metallis et fossilibus profundiore in terra occultis usurpat, *Quædam fortasse profundo Incomperta jacent.* Et verbum *effugit* metallum indicat. Sic enim Lucanus, lib. IV, 223:

> Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
> Eruerent....

et Manilius, lib. IV, 396:

> At nisi perfossis fugiet te montibus aurum.

Etsi *cubilia* sæpissime de feris, tamen et de aliis locis, qui sedem, requiem aut stationem præbent, dicuntur, ut apud Stat. Theb. II, 37:

> Illic exhausti posuere cubilia venti,
> Fulminibusque iter est, etc.

et de metalli sedibus in illo Valerii Flacci lib. V, 145:

> Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
> Eruerent, ensesque darent.

Digitized by Google

Eadem frequentissima in silvis et montibus silvosis, etsi etiam subinde in vacua planitie inveniuntur. In silvis primum inventa esse metalla dicit Seneca, Epist. XC, quod *incendio silvarum adusta tellus in summo venas jacentes liquefacta fudisset.* Eadem recte a Lucilio dicuntur *spatiosa*, quod Plinius, lib. XXXIII, cap. 4, ea memorat *cuniculis per magna spatia actis cavari.* Etiam latebræ de his fodinis, ut apud Senecam, Nat. Quæst. V, 15, *fuere, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerentur.* Consideratis igitur his vocibus et verbo *fodisse*, quod omnium librorum est, necessario subjectum aliquod poscente, ita legendos versus esse arbitror:

> Cernis et in silvis spatiosa cubilia ferri,
> Antraque demissis Bessos fodisse latebris:
> Incomperta via est æris; tantum effugit ultra.

Sententia hæc est: Cernis etiam, vel reperiuntur adhuc in quibusdam silvis aditus magnorum specuum, in quibus fossores metallici, venas æris atque ferri persequentes, cuniculos per terram tam amplos et spatiosos egerunt, ut, qui finis venarum, et quo excurrant viæ operarum, vix reperiri queat. Quantum enim scrutando repertum et egestum est, tantum superesse adhuc, tantum effugere sollertiam ultra scrutantium videtur. Quod sane documento esse potest, quantum restet profundum in terræ visceribus, nobis incognitum, nec perscrutabile. *Bessos* ab auctore positos puto pro quolibet metalli fossore, quia hujus populi præcipua sollertia in cuniculis agendis et metallis fodiendis laudatur. Claudianus, de Consul. Mallii, v. 40:

> Quidquid luce procul venas rimata sequaces
> Abdita pallentis fodit sollertia Bessi.

Et Vegetius, de Re Milit. lib. II, cap. II, cunicularios nominat, *qui ad morem Bessorum sub terris cuniculum ducunt, et muri fundamenta perfodiunt.* Bessis admissis altero in versu, quorum nomen, ignotum librariis, facile depravari ab iis in *pedibus* aut *penitus* potuit, illico lux accedit toti loco,

Digitized by Google

ut de metallis sermónem esse videamus, adeo quidem, ut cæteras lectiones vulgatas, quas mutavimus, *cubilia retro*, versu 1, et *via est operum*, versu 3, salva sententia retinere possimus. Neque vero mirandum, e fodinis metallorum, et cuniculis sub terram actis, cava viscerum terræ et interiores meatus ab auctore probari. Nam puteos et cuniculos profunde actos, per se credibile est, sæpe ad nativos specus et fornices subterraneos penetrasse, et opinio Veterum ferebat, iis latius et spatiosius actis immensas terræ cavitates esse detectas. Hausit hoc Lucilius sine dubio, ut multa alia, e Seneca, qui Nat. Quæst. lib. V, cap. 15, contextum terræ non totum solidum esse, atque etiam sub ea lacus et flumina esse, inter alia ex antiquo metallo demonstrat: « Asclepio-« dotus, inquit, auctor est, demissos quam plurimos a Phi-« lippo in metallum antiquum olim destitutum, ut explo-« raret, quæ ubertas ejus *esset*, qui status, an aliquid futuris « reliquisset vetus avaritia: descendisse illos cum multo lu-« mine, et multos duraturo dies; deinde longa via fatigatos, « vidisse flumina ingentia, et conceptus aquarum inertium « vastos, pares nostris, ne compressos quidem terra super « imminente, sed liberæ laxitatis, non sine horrore visos. »

Digitized by Google

EXCURSUS III

AD LUCILII ÆTNAM, vs. 426-428.

Dicitur insignis flagrasse Ænaria quondam,
Nunc exstincta stupet; testisque Neapolin inter
Et Cumas locus est, multis jam frigidus annis.

Dedimus hos versus paullo mutatos e veterum editionum lectionibus, prout eos et facillime fingendos, et ad sensum auctoris planissimos opinabamur; quamvis diffiteri nolimus, posse et alias hujus loci emendationes dari, veteris scripturæ vestigiis non dissimiles, nec sententiæ auctoris adversas. De quibus nunc hoc Excursu agere propositum est, simulque de Ænariæ insulæ situ et natura quædam memoratu digna e Veterum testimoniis repetere. Antiquæ editiones pleræque cum Mspto Helmst. legunt: *Dicitur insidiis flagrans Ænaria quondam.* Aldina autem vulgavit *Dicitur insignis flagrans*, etc. Ex *insidiis* veterum edd. Scaliger, eumque sequutus Gorallus, fecerunt *indiciis*, et Antonius *de Rooy* simul suasit legendum *Discitur indiciis*, h. e. indicia quædam docent, Ænariam quondam flagrasse. Mihi tamen stare posse videtur *insidiis*, ut significetur, Ænariam olim per insidias, h. e. repente et improviso erupisse in flammas. Quamquam, quum crederem hoc obscurius visum iri lectoribus, lectionem Aldinæ præferre et in textu usurpare malui. In altero versu vulgatæ plures habent *Nunc exstincta super tectisque.* Aldus, Pithœus et Lucius *testisque* legunt, et jungunt sequentibus *Neapolin inter et Cumas locus est.* Scaliger e vulgata effecit: *Nunc exst. superque satisque*, quod frigidum putans Gorallus scripsit *Nunc exst. supertexisse*, nimirum lapides, qui olim ignem conceperant, aggesta desuper insulæ terra. Anton. *de Rooy* haud infeliciter conjicit *super sedisse*,

Digitized by Google

quia auctor *residem* dicit Ætnam, v. 161 et 455, et *desidiam* ei tribuit v. 375, tamquam de homine loquatur. Sed fortasse magis accedere ad scripturam veterum edd. videbitur emendatio Wesselingii, qui ad Antonini Itinerarium, pag. 515, e lectione Aldinæ sic conjicit:

> Dicitur e signis flagrasse Ænaria quondam,
> Nunc exstincta subest; testisque Neapolin inter, etc.

Ego tamen illud *subest* minus congruum et planum existimans, reponendum duxi *stupet*, quod verbum literis ad τὸ *super* veterum librorum proxime accedit, atque ipsius auctoris usu, aliisque ejus locis comprobatur, quibus *stupet* pro quiescit, immotum est, ponitur; e. gr. vs. 331, *nubes Pigraque defuso circumstupet humida vultu;* et vs. 339:

> Si nihil irritet flammas, stupeatque profundum.

Ænaria vero insula est in sinu Cumano, promontorio Miseno objecta, quam Plinius, lib. III, cap. 6, simul Inarimen et Pithecusam dictam esse tradit. Quamquam alii scriptores dissentire a Plinio, et Pithecusas distinguere ab Ænaria videntur, ut Livius, Ovidius, Mela; plures tamen suffragantur Plinio, et utrumque nomen de eadem insula usurpant. Quum autem subinde Pithecusæ plurali numero efferuntur, videntur eo nomine plures insulæ adjacentes, ut Prochyta aliæque, comprehendi, quod ejusdem naturæ, et subterranei ignis calidarumque aquarum eruptione memorabiles erant. Quam ob caussam suspicatus sum aliquando, sub corrupta scriptura *super tectisque* latere aliud insulæ, Ænariæ similis, *Nesidis* inquam, nomen, et fortasse sic legendum esse:

> .....flagrans Ænaria quondam,
> Nunc exstincta, super Nesisque: Neapolin inter, etc.

Hoc est, Ænaria nunc exstincta est, et præterea Nesis, idem fatum experta. Est autem Nesis parva insula sinus

Digitized by Google

Puteolani, adjacensque Neapoli. Ut Virgilius Ænariam flagrantem ignibus, et Typhœo injectam tradidit, Æneid. IX, 715 (vid. not. pag. 73, vol. IV, nost. Virgil. Ed.)

> Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
> Inarime Jovis imperiis imposta Typhœo;

ita de Neside Lucanus, lib. VI, 90,

> .....Tali spiramine Nesis
> Emittit Stygium nebulosis aera saxis,
> Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant, etc.

cui accedit Papin. Statius, Silv. II, 2, 77:

> ..... inde malignum
> Aera respirat pelago circumflua Nesis, etc.

Quum hi poetæ Nesidem insulam noxios vapores exhalare dicant, quam Lucilius suo tempore exstinctam prædicare videtur, id poetæ haud dubie e pristina fama repetunt. Cæterum eamdem maxima ex parte tunc temporis quietam, et salubrem et fertilem, et a viris nobilibus frequentatam esse, aliorum scriptorum loci, ut Ciceronis, Senecæ, Plinii testantur. Strabo, lib. V, pag. 248, edit. Cas. observat, quum totum illud mare, quod inter Siciliam et Cumas Italiæ est, in profundo continuas habeat cavernas ignitas, idque omnes illius tractus insulæ Liparæorum et Pithecusæ, et regiones circa Puteolos, Neapolin et Baias, igne fumantes, satis testentur, hoc igitur sequutos poetas omnibus hisce Typhœum subjecisse: quam in rem, locum Pindari Pyth. I, 29 seqq. subjicit, in quo pectora Typhonis Cumano æque litore, ac Siciliæ terra premi dicuntur. Hinc apparet ratio, cur Nesis etiam, Neapoli propinqua, cum Ænaria et cæteris ejus maris insulis, rabie Typhonis anhelare dicatur. Quod Ænariam Lucilius olim flagrasse, nunc exstinctam esse dicit, ejus exstinctionis caussam et modum videmur e Strabonis loco allegato posse declarare, qui refert, in medio Pithecusæ, quæ est Ænaria, collem Epopea terræ motu concussum ignes evomuisse, terramque, quæ inter ipsum et mare est, in ci-

Digitized by Google

neres versam vehementi turbine, qualis Typhonis est, sublatam tribus inde in altum mare stadiis recessisse, mare vero paulo post reversum inundasse insulam, ignemque in ea hoc pacto exstinctum: ἀναχωρήσασαν δ' οὐ πολὺ ὑποῤῥήψαι, καὶ τῇ παλιῤῥοίᾳ καταιλῦσαι τὴν νῆσον· καὶ γενέσθαι σβέσιν τοῦ ἐν αὐτῇ πυρός. Similiter Plinius, lib. II, cap. 88: « In his (Pithecusis) montem Epopon, quum repente flamma in eo emicuisset, campestri æquatum planitie. In eadem et oppidum haustum profundo; alioque motu terræ stagnum emersisse; et alio, provolutis montibus insulam exstitisse Prochytam ». Lacus etiam in Ænaria mentionem facit Papin. Statius, Silv. III, 5, 104: *Ænariæque lacus medicos, Statinasque renatas.* Dicit *medicos* eos lacus, quod in ea insula aquæ scaturiebant, quæ calculosis medebantur, ut scribit Strabo paullo post eum locum, quem modo recitavimus, et Plin. lib. XXXI, cap. 2. De *Statinis renatis*, quas dicit Statius, magna doctorum hæsitatio. Domitius Calderinus et Bernartius in comment. ad Statii Silv. Statinam putant in Plinii loco allegato memorari, qui dicat, in Ænaria oppidum haustum profundo, alioque motu terræ Statinam emersisse, mendoseque in codicibus scribi *stagnum emersisse.* Eamdem Plinii correctionem aliis arrisisse doctis viris, e Casp. Barthii commentario in Stat. et ex Harduino in Not. et emend. ad h. l. intelligo; sed hic exemplarium collatorum auctoritate adductus, receptam lectionem tuetur. Nisi vero Statina apud Plinium reponenda, certum est, a nemine alio, præter Statium, eam nominari, dubitandumque adeo, quæ insula sub eo nomine intelligenda. Ego suspicor, non aliam esse ac Prochytam, quam Plinius l. c. provolutis Ænariæ montibus exstitisse, et *profusam ab Ænaria* libro III, cap. 6, post Strabonem memorat; quamque Statius, Silv. II, 2, 76, æque uno versu cum Inarime, vel Ænaria, conjungit, ut hic Statinam. Quod si fortasse eo motu terræ, quem supra e Strabone retulimus, nata est, quum pars Ænariæ turbine abrepta in mare, eoque redeunte et Ænariam inundante relata est, potuit sane Prochyta inde Statina a quibusdam nominari, quod avulsa prius et absorpta mari, mox cum eodem revoluta constitisset: nec aliam

Digitized by Google

ob rationem a Statio *renata* dicitur. Pithecusam olim Hieroni Syracusanorum regi paruisse, postea Campanos vel Neapolitanos ea potitos, scribit Strabo l. c. qui quum iterum bello amisissent, Cæsar Augustus eam Neapolitanis reddidit, ut Capreas ab illis acciperet. Suetonius, idem memorans in Aug. cap. 92, Ænariam nominat, unde liquet, utrumque nomen eidem insulæ fuisse. Et hoc nomen præcipue ab historicis Romanis usurpatum video; Pithecusæ Græcis maxime et antiquioribus scriptoribus, Inarimes poetis in usu est. Plinii sententia, qui Ænariæ nomen a statione navium Æneæ accepisse dicit lib. III, cap. 6, parum sane probabilis est. Nam ab Ænea non Ænaria, sed Ænearia aut Æneia potius dicenda esset. Potior ratio e Strabone petenda videtur, qui Pithecusas ob feracitatem agri et metalla auri celebratas esse memorat. Unde Vossius in Observatt. ad Melam, lib. II, 7, 179, nomen accepisse ab ærifodinis putat, atque ut ab *ære* fit ærarius, sic ab *aheno* factam esse Ahenariam, vel Ænariam contendit: qui tamen ubi adeo abundasse metallis dicit, ut tota auro, argento, ære, ferro, sale, aliisque fossilibus videretur substerni, id nondum inveni, cujus auctoritate scriptoris adserat. Pithecusam Plinius loco cit. tradit, *non a simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed a figlinis doliariorum* dictam. Vulgarem tamen opinionem sequuti sunt Veterum multi, præsertim Ovidius, Metam. XIV, 90, qui Cercopes incolas in simias fabulatur mutatos, et in hanc insulam missos; tum vero defenderunt ornaruntque e recentioribus cl. Salmasius in Exercit. Plin. pag. 68, et Sam. Bochartus, de Animal. lib. III, cap. 31, pag. 994, qui Pithecusæ, Græci nominis, Latinum vocabulum Ænariam, existimant, scribuntque Enariam, quod ab Enaribus, hoc est, simiis, incolatur, Servii maxime testimonio innixi, qui ad Æn. IX, 716, scribit ex emendatione Salmasii: *Inarime, nunc Enaria dicitur, et sæpe fulgoribus petitur ob hoc, quod Typhœum premat, et quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Graiorum lingua* ἄρρενας, *id est,* enares *dicunt, ob quam caussam Pithecusam etiam vocitant, licet diversi auctores varie dicant.* Itaque *enares* dictas esse simias pu-

Digitized by Google

tat, quia sine naribus, ut enodes, elumbes, elingues. Enimvero dubito, an hæc ratio satis valeat, quæ, ut ridicula, jam explosa est a Vossio. Etenim, qui enares unquam simias dixerit, nusquam reperitur, neque quisquam Veterum Enariam scripsit pro Ænaria, quæ vox si vere descenderet a *naribus*, cujus syllaba prior longa est, Statius eam non potuisset in Ænaria corripere. Et simias in ea insula abundasse, aut eo traductas esse, mihi fabulæ similis res est. Non enim simiarum patria Italia, sed Africa est, ubi etiam regiones fuisse Pithecusas dictas, Diodorus Siculus, lib. II, testatur: et nisi incolæ fortasse per cavillationem simiis similes dicti, alia profecto nominis Pithecusæ ratio fuerit necesse est. Quæ quidem a Plinio affertur, a figlinis doliariorum petita, Salmasio non probabilis videtur propterea, quod a doliis Pithusa, non Pithecusa, dicenda fuisset. At vero Plinius non a doliis, sed a doliariis eorumque figlinis, nomen derivandum censuit, eamque rationem viri docti ad Hesychium, v. Ἄριμος, et Harduinus ad Plinii loc. cit. demonstrarunt. Nempe ἀπὸ τῶν πιθήκων, id est, καραμέων πίθων, dicunt Pithecusam nominatam; a πίθος πίθακος, seu πίθακον τὸ, unde πίθακνον et πιθάκνη· a πίθακον πίθηκον, πιθηκόεις, πιθηκόεσσαι, πιθηκοῦσσαι, id est, figlinæ. Cæterum memorabile inprimis est, quod Strabo lib. XIII, pag. 626, tradidit, πιθήκους lingua Etrusca dici ἀρίμους, unde fortasse Hesychius petiit, qui scribit Ἄριμος, πίθηκος. Ex ea vocis Etruscæ significatione, tamquam e fonte, petenda videtur ratio, cur Veteres Typhœum giganta, flammas exspirantem, subjecerint Pithecusæ, eamque Inarimem vocaverint. Etenim quum Homerus Iliad. II, 783, εὐνὰς Typhœi dixerit esse εἰν Ἀρίμοις, similitudo hujus nominis cum Etrusca voce ἄριμος invitabat, ut cubile Typhœi insulæ itidem fumanti adsignarent, quæ nomen ἐκ τῶν ἀρίμων Etruscorum habere videretur, nempe Pithecusæ; et poetæ Latini simul *Inarimes* nomen efficiebant simile vocibus Homericis εἰν Ἀρίμοις. Palam est, Inarimem hanc insulam nunquam vocari, nisi a poetis, et tum maxime, quum eam Typhœo impositam significant. Testatur hoc locus Virgilii supra adductus; Ovidii Met. XIV, 89; Lucani, V, 101; Senecæ Herc. OEt. 1156, Valer. Flacci,

Digitized by Google

III, 208; Pap. Statii, Silv. II, 2, 76; Silii Ital. VIII, 542; Claudiani de Rapt. Pros. III, 184. Accurate de hujus nominis ratione disputantem videas Heynium, V. C. Excursu II ad Virgil. lib. IX. Vid. nost. ed. Virg. vol. IV, pag. 89. Ed.

EXCURSUS IV

AD LUCILII JUN. ÆTNAM, v. 500-504.

.....Procul ecce vide, procul ecce ruentes:
Incolumi fervore cadunt; verum impetus ignes, etc.

Quoniam hic locus corruptissimus in veteribus libris, et ab interpretibus varie mireque tortus est, juvabit nunc totum, cum sententiis interpretum, excutere, melioremque ejus lectionem juxta atque interpretationem constituere. Veteres editiones sic fere omnes corruptissime legunt:

.....Procul esse fide procul esse ruentes (*et* truentes)
Incolumi fervore cadunt, verum impetus ignes
Si fumant quondam ut ripas trajecerit amnis.
Vix junctis quisquam fixo dimoverit illas:
Vicenos persæpe dies jacet obruta moles.

Scaliger antecedentia his adjungit, et cætera sic emendat:

.....ardentia saxa
Scintillant procul ecce fide, procul ecce ruentes
Incolumi fervore cadunt utrimsecus ignes.

Intelligit igitur de ignibus et scintillis, quas igniti et liquefacti lapides, devoluti et super incidentes, pulsu ictuque excitent, et procul adspicere cum horrore et admiratione liceat. Nam *procul fide*, inquit, ut *procul dubio*. Est mira δεινότης. Quasi in subito tumultu, ac inopina consternatione hoc dixe-

Digitized by Google

rit; ut, *Ecce manus juvenem*, etc. *Utrimsecus*, quod ex verbis vulgatarum *verum impetus* formavit, intelligit ipse de duobus crateribus, e quibus ignes erumpant. Gorallus quidem emendatam Scaligeri lectionem maxima ex parte recipit; illud tantum *procul fide*, ut inauditum et ab hoc loco alienum, rectius mutat in *procul vide*; et fatetur, re vera poetam, ratiocinatione subito omissa, quasi præsens rei adesset, et lapides ardentes ex summa Ætna cadentes procul e tuto colle videret, intentoque digito ostenderet, exclamare *Procul ecce vide, procul ecce ruentes ignes.* Præterea illud *utrimsecus* Scaligeri non de duobus crateribus, sed de duobus lapidibus inter se collisis, et scintillas emittentibus vult intelligere. Plane aliter hunc locum et fingit et intelligit Dorvillius in Siculis, cap. XIV, pag. 239, et ingeniosa quidem, sed, ut ego opinor, minus probabili conjectura sic legendum statuit:

> .....Procul este sudes, procul este tridentes:
> Incolumi fervore cadet ferus impetus ignis,
> Sic fumans quondam ut ripas trajecerit amnis, etc.

Ipse sic explicat: Nihil opus est sudibus et tridentibus ad dissipandos ignes. Licet non tentaveris ignem detrudere, per se sedabitur. Amnis hic igneus, simul ac ripas olim transgressus fuerit et obriguerit, tantæ soliditatis futurus est, ut cuneis, nedum sudibus et furcis, nequeat exscindi. Plane alia igitur in hisce versibus quærit Dorvillius, sed si cætera etiam permittamus, certe versus secundi correctio stare non potest, ea conjungens, quæ contraria sensu sunt. Nam incolumis fervor non convenit cum cadente ignis impetu, et sedari ignis non potest, ubi incolumis ejus fervor est. Minime omnium de sedatione aliqua aut dissipatione ignium sermo est, sed potius de vehementissima eorum volutatione, ut deinceps verbis aliter constitutis videbimus. Tertium et quartum versum sic constituit Scaliger:

> Sic fumant, quondam ut ripas trajecerit amnis
> Vix junctus; quisquam vix olim noverit illas.

Digitized by Google

Putat iis versibus comparationem inesse liquidi flammarum torrentis cum redundante et ripas excedente fluvio, qui pontem adeo non patiatur, nec pristinos margines agnoscat. *Amnem vix junctum* dixisse existimat, ut Virgilium: *pontem indignatus Araxes.* Nam proprie junctos fluvios esse, qui pontem patiuntur. Gorallus contra poetam hic agere contendit de liquefacto lapide, qui si forte incidat in amnem, continuo indurescat, et vix ac ne vix quidem illinc extrahi possit. Itaque pro *Si fumant* legit *Si fuerit*, in sequenti autem versu pro *junctis* recte substituit *cuneis*, et inde *fixis*, hoc tenore:

> Si fuerit quondam ut ripas trajecerit amnis,
> Vix cuneis quisquam fixis dimoverit illam;

h. e. si contigerit aliquando, ut massa vel moles ignea superatis amnis ripis in eum inciderit, ibi concreta vix cuneis potest amoveri. Sic quidem commode interpretatur Gorallus, sed in eo perperam fecit, quod hosce versus ab antecedente sejunxit, qui potius arcte cum iis cohæret. Nos quidem integrum locum minore cum mutatione vulgatæ lectionis emendamus, sed et aliter dispungendo alium inde sensum consequimur. Ac primo quidem in illis, *Procul ecce vide*, vehementer approbamus Goralli correctionem; sed quod idem cum Scaligero in altero versu *utrimsecus* recepit pro *verum impetus*, id temere factum existimamus. Nam vulgata lectio optima est, atque ea servata verior auctoris sententia aperitur. In tertio, quo vulgatæ legunt *Si fumant*, Gorallus *Si fuerit*, codex MS Helmst. tot monstra et errores scribendi congerit, ut calamus librarii errasse per plures scribarum variationes videatur. Sic fere scribit:

> Siul' fumati et hi quond' ut ripas trajecerit amnis.

In his vestigiis reperire mihi videor *Sic cumulat*, et tres igitur versus ita connecto et distinguo:

> .....Procul ecce vide, procul ecce ruentes:
> Incolumi fervore cadunt; verum impetus ignes
> Sic cumulat, quondam ut ripas trajecerit amnis.

Digitized by Google

Sensus clarus est : Vide, quam procul inde ruant ferventes massæ (e versu 493); quamvis e longinquo advolvantur, fervor earum non minuitur, verum ipse impetus fluctuum ignitorum alios super alios accumulat, adeo quidem, ut quondam ripas amnis implendo trajecerit. Nunc etiam sequentium versuum plane aperta est sententia :

Vix cuneis quisquam fixis dimoverit illas.

Hinc tanta subinde moles et altitudo est lapidum congestorum, ut vix cuneis in excavata foramina, aut inter humum et lapides fixis sustolli et dimoveri possint.

Vicenos persæpe pedes jacet obruta moles.

Hic sequor optimam et certam conjecturam Dorvillii, qui scripsit : *Vicenos qua sæpe pedes.* Palam est, iteratam syllabam *pe* in conjunctis vocibus *persæpe pedes* effecisse, ut scriba alteram ignarus omitteret, alius reliquam syllabam *des* ad supplendum metrum in *dies* mutaret. Quæ adhuc vulgata fuit lectio, et a Gorallo etiam usurpata, ineptum plane, aut nullum sensum habet. Cur enim hic *viceni dies* nominentur? aut quem in finem necesse sit lapideam illam molem viginti dies jacere? Ineptum profecto fuerit, auctorem scripsisse, quod congesta illa moles difficillime amoveatur, propterea sæpe viginti dies jacere. Nam si viginti diebus amoveri non potest, potest fortasse pluribus, aut omnino paucioribus potest, si plures operæ admoveantur. At si poeta dixerit, persæpe vicenos pedes altam esse, sane intelligitur rationem dare ejus, quod præcedente versu dixit, molem illam vix cuneis fixis dimoveri posse.

Digitized by Google

EXCURSUS V

AD LUCILII JUN. ÆTNAM, v. 575.

Et sacer in bellum numerus, sua turba regenti.

Parum ad rem faciunt, quæ hic Scaliger de *numero*, alioquin ad contemptum dicto, affert, ut in illo Horatii: *Nos numerus sumus et fruges consumere nati.* Cujus adeo contrarium significare auctor de Spartanis velit, eos scilicet non numerum fuisse merum, sed sacrum, h. e. destinatum et ordinatum ad bellum. Propius tangit Gorallus, qui *numerum* hic esse vocem existimat e militia desumptam, quæ quidem Taciti ævo frequentior fuit, qua significarentur cohortes et alia militum συντάγματα, quorum erat certus numerus. Quo respexisse putat Virgilium, Æn. XI, 599.

Etruscique duas, equitumque exercitus omnis
Compositi numero in turmas.

Sacrum autem dici putat hunc numerum, quod Laconicæ ἐνωμοτίαι, h. e. numeri XXV virorum, solerent sacris quibusdam adhibitis militiæ nomen dare. Fortasse et eo sensu sacros numeros dictos esse credit, quo apud Thebanos *sacra cohors*, de qua Plutarchus in Pelopida. Enimvero hæc Thebanorum cohors minime huc trahenda videtur. Nimirum hæc sacra vocabatur, quod quasi inviolabilis, invicta, et vi quadam divina prædita esset, ex electissimis viris, amantibus inter se et amatis, composita, quod firmissimum vinculum ad omnem vim sustinendam et profligandam credebatur. Atque erat igitur hæc cohors quasi nobilior pars exercitus Thebani. Numerus Lacedæmoniorum a Lucilio non simpliciter *sacer* dicitur, sed *sacer in bellum*, atque igitur non belligerantis exercitus pars, sed populi ad bellum instructi et sacrati

Digitized by Google

significatur. Omnino mihi videntur neque Scaliger, neque Gorallus, vim totam verborum hujus loci recte animo complexi. *Numerus* quidem ab auctore ea significatione sumi videtur, qua scriptores Romani argenteæ ætatis solebant cohortes, manipulos, aliaque militum συντάγματα numeros dicere, unde et auctorem Ætnæ ex ea ætate fuisse existimo, non ex aurea, qua Cornelius Severus vixit. Ea vero notione *numerum* tribuit populo Spartano propterea, quod ille totus ex numeris, h. e. variis classibus et cohortibus constabat, et ad usum ac disciplinam belli legibus et institutis suis erat compositus. Scilicet non solum exercitus instructus accuratissime in majores minoresque ordines, quibus singulis sui duces et rectores præerant, ut in μόρας, λόχους, πεντηκοστύας et ἐνωμοτίας, divisus erat, sed ipsa etiam civitas in eas classes et catervas distincta, quæ civibus in militiam describendis et instruendis inservirent. Erant inprimis diversi ordines per gradus ætatum descripti, ut puerorum, qui septennes facti in ἀγέλας, seu classes pueriles, distribuebantur: epheborum, e quibus qui alterum jam annum e pueris egressi erant, εἴρενες vocabantur, et ductores puerorum erant; denique legitimæ ætatis, qua inter viros censebantur, et, quæ virorum erant, gerere poterant. Senes adolescentium curam gerebant, assidue in gymnasiis exercentes et dimicantes spectabant, corrigebant, castigabant, seque omnium velut patres, magistros et rectores præbebant. Immo et magistri pueritiæ ex probatis viris creabantur, et hi per classes præficiebant eos, qui inter Irenas prudentissimi et pugnacissimi erant. Iren, qui annis viginti erat major, ducebat cohortem suam in præliis, eamque habebat domi ad cœnam sibi ministrantem. Hæc Plutarchus in Lycurgo, cap. XVII; quocum conferatur Nic. Cragius, de Republ. Laced. lib. I, cap. 5 et 6. Sic Lacones a pueris per omnes ætates disciplina atque usu assiduo ad militiam instruebantur, habebantque in unaquaque classe suos magistros et rectores, quos observare, quibus parere et obtemperare necesse esset. Nec in ipso bello aliter. Summum imperium habebat rex. Hic proximis imperabat polemarchis, hi lochagogis, hi

Digitized by Google

pentecontateribus, hi enomotarchis, et hi cæteris subjectis. Ita fiebat, quod Lucilius ait, *sacer ad bellum numerus, sua turba regenti.* Unusquisque enim rector suam cohortem, et quæque cohors regentem suum accipiebat in bello, qualem a pueris habere in civitate consueverat. Cœnam adeo communiter capiebant in classes seu decurias descripti. (Cragius, lib. I, cap. 9.) Et in summa ita assuefacti erant, ut nollent, nec scirent privatim vivere, verum ut apum more ad rem publicam conglobati semper, et inter se circa principem volutati, afflatuque quodam divino atque gloriæ siti, tantum non mente alienati, patriæ essent toti. (Plutarchus in Lycurgo, cap. XXV.) Tota Laconum vita, ex legibus et disciplina vetere, laborum assuetudine, duro victu, certaminibus et dimicationibus assiduis, asperitate castigationum sic imbuta ferendis militiæ molestiis et periculis erat, ut esset quasi continua meditatio belli. Ipsum bellum quo libentius susciperent, et optarent adeo, in castris solebat pristinus disciplinæ rigor quodammodo remitti, exercitationes per bellum molliores erant, excolendi comam ornandæque vestis libertas permissa, reliquus etiam victus minus adstrictus et castigatus. Ita, quod Plutarchus affirmat in Lyc. cap. XXII, solis Laconibus inter mortales bellum ipsum erat meditationis ad bellum respiratio: ὥστε μόνοις ἀνθρώπων ἐκείνοις τῆς εἰς τὸν πόλεμον ἀσκήσεως ἀνάπαυσιν εἶναι τὸν πόλεμον. Proinde *sacri* erant Laconum numeri in bellum, quod eorum ἐνωμοτίαι sacramento adstringebantur, quamquam hanc rationem plane exclusam nolim; sed quod per leges suas sacri et destinati bello, et, si ita opus esset, morti pro patria obeundæ devoti essent. Primaria et sanctissima eorum lex erat, quam Demaratus apud Herodotum, lib. VIII, cap. 104, Xerxi regi exponit, quæ vetabat, ex acie fugere quantumvis magnam multitudinem, sed jubebat manentes in ordine aut vincere, aut occumbere. (Vid. Nic. Cragius de Rep. Laced. lib. III, pag. 361; Jo. Meursius, Miscell. Lacon. lib II, cap. 2.) Erant sane per hanc legem omnes Lacedæmonii *devota morti pectora liberæ* (Horat. Carm. IV, 14, 18), et de ea devotione quum multa Lacedæmoniorum

Digitized by Google

prælia testantur, tum inprimis memorabilis Leonidæ casus, qui ad Thermopylas cum trecentis Lacedæmoniis, ingentes Xerxis copias sustinens, ad internecionem cæsus est. Denique *sacros in bellum* Lacones etiam ob hoc dici arbitror, quod in hostem moventes instructam aciem prius sacrificio facto consecrabant, et carminibus dictis advocare Deos, et quasi præsentis Dei favore animosiores reddere volebant. Memorat Plutarchus l. c. cap. XXII, ante aciem capellam immolatam a rege, tum edixisse, ut omnes coronam sumerent, et ut tibicines canerent Castoris carmen; ipsum regem simul exorsum esse carmen, quod embaterium dicitur: ad cujus numeros quum inciderent, nihil turbantes aciem, neque animis fluctuantes, tanta cum audacia simul et stabilitate animi progressos in hostem esse, ut quasi Deo aliquo præsente agi regique viderentur.

EXCURSUS VI

AD LUCILII JUN. ÆTNAM, v. 620.

.....Namque optima proles
Amphinomus fraterque pari sub pondere fortes, etc.

Quum multa suo poemati Lucilius ornamenta, fabulis poetarum, exemplis et similibus ex historia reque naturali afferendis, ad molliendam disputationis severæ et subtilis austeritatem intexere studuit, tum inprimis gratum et necessarium putavit, attexere historiam de fratribus Catanensibus, parentes suos humeris ex flamma Ætnæi incendii efferentibus, quæ Ætnæ ipsius famam inter alias gentes maxime illustravit, quaque non alia veterum scriptorum testimoniis celebratior est. Equidem poterat et alias afferre

Digitized by Google

narrationes sive fabulas, quibus memoriam Ætnæi ignis insignire veteres scriptores aut poetæ voluerunt, ut raptam a Plutone ex Ætna erumpente Proserpinam, atque tædas a Cerere ad investigandam filiam Ætnæ ignibus inflammatas, quibus fabulis haud dubie memoria majoris calamitatis et vastationis, per eruptionem ignis Ætnæi in agris Siculis factæ, signata est, quas tamen attingere Lucilius in carmine suo noluit. Etenim qui toto poemate philosophum magis, quam poetam egit, consulto opinor abstinuit ab ejusmodi fabulis vel traditionibus narrandis, quibus ipsi Ætnæ naturæ declarandæ nihil lucis accederet. Illud magis mirum, quum Democriti aliquando mentionem fecerit, v. 532, nunquam ab eo Empedoclem philosophum laudatum, qui quum et Siculus esset, et præcipuus rerum naturæ indagator, haud dubie de Ætnæi ignis natura exquirenda bene mereri voluit, in ipsaque ea investigatione, dum incautius ad ignem accedere contendit, in foveam igneam decidens periit. Quæ caussa mortis ejus sane credibilior est, quam quæ vulgata fama est, eum clam domo discedentem sponte se in ardentem Ætnæ caminum immisisse, ut pro Deo haberetur. Adseruit hanc famam Horatius, Arte Poet. 464,

> .....Deus immortalis haberi
> Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
> Insiluit;

et Claudianus, de Consul. Mall. Theod. v. 72:

> Alter, in Ætnæas casurus sponte favillas,
> Dispergit revocatque Deum (1).

Sed hanc ipsam puto caussam Lucilio fuisse, ut de Empedoclis studio taceret, quod pro insano habitus videri poterat minus dignus auctor et dux in caussis Ætnæi ignis indagandis sibi fuisse. Illud contra maxime dignum persona,

(1) Et Lactantius, Instit. Div. lib. III, cap. 18: « Empedocles se in ardentis Ætnæ specum intempesta nocte dejecit, ut, quum repente non apparuisset, abiisse ad Deos crederetur ». Ed.

Digitized by Google

quam præ se ferebat, philosophi erat, ut in facto fratrum Catanensium narrando moraretur, quo ipse montis ignis, quem describebat, nobilitatus, atque pietatis erga parentes insigne pretium divinitus demonstratum videbatur. Aptum hoc etiam et consentaneum sententiæ, quam toties in carmine declaravit Lucilius, ignem Ætnæ divinum et sacrum opus esse, eique Deum aliquem præsidere artificem. (Vid. vers. 194 seqq.) Nam et alii scriptores, qui servatos juvenes Catanenses ex hoc igne narrant, demonstrare eo facto volunt, inesse Ætnæo igni rectorem aliquem, qui remunerare pietatem eorum in parentes, et reverentiam divini numinis, voluerit. Hunc in modum inprimis disputat Aristoteles, sive quis alius auctor libri de Mundo inter opera Aristotelis est, cap. VI, qui id agit, ut conversiones omnes, vicissitudines et mutationes rerum, sive in cælo, sive in terris fiant, testes esse moderationis Dei, qui mundum gubernet, evincat; et sigillatim de terrenis exemplum Ætnæi incendii afferens, in hoc ait numen eximio honore Piorum familiam affecisse, quod ab ipso flumine ignis deprehensos, quum senes parentes servandi caussa humeris sustulissent, tamen torrens ignis non attigit, sed diffissus hinc inde avertit se et servavit illæsos. Subjicit denique, quod in navi gubernator sit, quod in curru auriga, in choro præcentor, quod denique lex in civitate, et dux in exercitu; hoc in mundo Deum esse.

Mira vero est multitudo scriptorum veterum, qui hoc miraculum ignis Ætnæi attigerunt. E Græcis præter Aristotelem jam laudatum nominandus est Lycurgus, Orat. in Leocrat. cap. 23, et pag. 199, edit. Reisk. Orator. Græc. tomo XV; Conon, cujus διηγήσεις sive Narrationes L excerptas dedit Photius, Cod. CLXXXVI, et cum Historiæ poeticæ scriptoribus edidit Thom. Galeus. In his narratio XLIII de fratribus Catanensibus agit. Strabo eam historiam breviter exposuit lib. VI, pag. 269, edit. Paris. luculentius Pausanias in Phocicis, sive libro X, cap. 28; Philostratus vitæ Apollon. lib. V, cap. 17. Adhuc Ælianum in Var. Hist. a multis citari video, sed hic locus in ejus Variis frustra

Digitized by Google

quæritur; exstat autem in Stobæi Eclogis, Serm. LXXVII, sive Serm. CXCVIII, edit. Francof. 1581, pag. 676, ubi in margine, nescio quanta cum auctoritate, Ælianus in Var. Hist. auctor apponitur. E Latinis præter Lucilium, poematis de Ætna auctorem, memorandus est Seneca, de Benef. lib. III, cap. 37, et lib. VI, 36; Valerius Max. lib. V, cap. 4, ext. 4; Hyginus, fabula CCLIV; Apuleius, de Mundo, pag. 73, edit. Elmenh. Solinus Polyhist. cap. V; Claudianus, Idyllio VII, sive carmine L, quo piorum fratrum statuas, quæ erant apud Catanam, graphice describit. Alii poetæ breviter attigerunt, ut Silius Ital. lib. XIV, v. 196:

> Tum Catane, nimium ardenti vicina Typhœo,
> Et generasse Pios quondam celeberrima fratres.

Et Ausonius de Claris Urb. XI:

> Quis Catanam sileat? quis quadruplices Syracusas?
> Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem.

Etiam Martialis huc respexisse videtur lib. VII, epigr. 24:

> Tu Siculos fratres, et majus nomen Atridas,
> Et Ledæ poteras dissociare genus.

Nam Catanenses illi, ut pietate erga parentes, ita mutuo erga se amore conspirantes sunt habiti. In antiquo codice Anthologiæ Palatino vel Vaticano, quem Nic. Heinsius inspexit, lecta sunt epigrammata aliquot tabulis adscripta, quæ olim in columnis templi Apolloniadis, Eumenis et Attali regum matris, apud Cyzicum fuerunt affixæ, et memorabiles antiquitatis historias tenuerunt expressas. In his etiam tabula fuit juvenum Catanensium, parentes servantium, cum epigrammate, cujus hoc lemma in dicto codice antiquo exstat (nam epigramma ipsum periit): Ἐν δὲ τῷ ιζ΄ Ἄναπις καὶ Ἀμφίνομος, οἱ ἐκραγέντων τῶν κατὰ Σικελίαν κρατήρων διὰ τοῦ πυρὸς οὐδὲν ἕτερον ἢ τοὺς ἑαυτῶν γονεῖς βαστάσαντες ἔσωσαν. In decimo octavo stylopinacio sequebatur Cleobis et Biton, quod fratrum par ab aliis etiam scriptoribus jungitur Catanensibus, ut a Valer. Max. et Hygino ll. cc. Referunt Nic. Heinsius in notis ad

Digitized by Google

Claudiani. Idyll. de piis fratribus, et cl. Salmasius Exercit. ad Solinum p. 78. E recentioribus eruditis, præter interpretes scriptorum allegatorum, de fratribus Siculis egerunt Cælius Rhodiginus, Lect. Antiq. lib. XI, c. 17; Cluverius, Siciliæ Ant. lib. I, cap. IX, p. 120; Chr. Ad. Rupertus, Dissert. ad Val. Max. pag. 334; Gottfr. Olearius, ad Philostr. Vit. Apoll. V, 17; Petr. Burmannus sec. comment. ad numism. Sicula, Tab. IV, pag. 314 seq. Apponemus ante omnia historiam de miraculo isto, et pietate juvenum Catanensium, et quidem ex multis selectam Cononis Grammatici, Narrat. cap. 43, quæ et luculentior cæteris, et narrationi Lucilii convenientissima videtur: « Ignis Ætnæi crateres tantas aliquando, fluminis instar, flammas per eam regionem effuderunt, ut Catanæis (urbs autem Græca Siciliæ Catana est) extremum urbi interitum certissimo allaturæ viderentur. Ex ea igitur cives quam citissime fugientes, aurum alii, alii argentum efferebant, alii vero quæcumque subsidium in exsilio allatura videbantur. Anapias tantum et Amphinomus, præ omnibus, parentes senio confectos, humeris impositos, fugientes extulerunt. Cæteros interim flamma exurens exstinxit, quæ in horum circuitu ita diffindi visa est, ut insulæ in modum circum circa locus igne liber fieret. Quare Siculi *Piorum* regionem locum eum appellarunt, et lapideas in horum virorum monumento statuas, divinorum simul illorum atque humanorum factorum testes, collocarunt ».

De nominibus et patria eorum juvenum valde differunt scriptores, et quatuor diversa paria nominum iis tributa reperiuntur. Vulgatior sententia est, fuisse *Amphinomum* et *Anapiam*, quos Conon cum Strabone appellat, et quocum facere Lucilius, ut in cæteris, videtur, licet Amphinomum tantum nominet. Sed in altero Anapiæ rursus multum variant. Vulgati Val. Max. codd. Anapum nominant; Solinus Anapin, Claudianus Anaphium vocasse videtur, quod vulgatæ editiones sic legunt: *Cur non Amphinomo, cur non tibi fortis Anaphi.* Salmasius ad Solin. p. 78 solum Anapis rectum esse contendit, idque apud Strabonem non minus, quam Valerium, Solinum, Claudianum, reponendum esse censet.

Digitized by Google

Anapis certe legitur in lemmate epigrammatis, quod supra protulimus, et videtur hoc ei nomen commune fuisse cum fluvio Siciliæ, Anapis dicto, cujus meminit Ovidius Met. V, 417, et Pont. II, 10, 26. Hic tamen quum Græcis etiam Ἄναπος dicatur, teste Æliano, Var. hist. II, 32, non videtur pro alterutro eorum nominum valde pugnandum esse. Quin nomen Anapias pluribus niti auctoribus et monumentis antiquis videtur, inprimisque a Burm. probatur. Nam et Conon habet, et Strabo, et Carrera in Monum. hist. Catan. Tab. VII, n. 41, nummum Catanensium profert, ubi ad figuram duorum juvenum nomina ΑΜΦΙΝΟΜΟΣ et ΟΝΑΠΙΑΣ sive Ἀνάπιας leguntur. Quem quidem nummum pro spurio non sine caussa habet Dorvillius in Sicul. cap. XIII, p. 219; eadem tamen nomina Carrera in Descript. Ætnæ, lib. II, c. 5, testatur in duabus statuis vetustis, a Fulvio Terbello, poeta Italo, an. 1570 in via Romana visis, exstitisse, atque alteri ejus, qui patrem ferebat, inscriptum fuisse ΑΜΦΙΝΟΜΟΣ; alteri, qui matrem, ΑΝΑΠΙΑΣ. Alterum par nominum piorum juvenum a Solino refertur, quæ tamen diversitas a controversia est, qua idem scribit, Syracusanos civibus suis honorem eum insignis pietatis contra Catanenses asseruisse. « Inter Catinam, inquit, et Syracusas certamen est de illustrium fratrum memoria, quorum nomen sibi diversæ partes adoptant. Si Catinenses audiamus, Anapis fuit et Amphinomus; si, quod malunt Syracusæ, Emanthiam putabimus et Critonem. Catinensis tamen regio caussam dedit facto, in quam se quum Ætnæ incendia protulissent, juvenes duo sublatos parentes evexerunt inter flammas, illæsi ignibus. Horum memoriam ita posteritas munerata est, ut sepulcri locus nominaretur *Campus Piorum* ». E verbis Solini colligimus, hanc sententiam Syracusanorum fuisse, ut dicerent, factum id quidem pium et illustre evenisse Catinæ, sed auctores non cives Catinenses fuisse, sed Syracusanos, Emanthiam et Critonem, qui tum forte Catinæ vel peregre agerent cum parentibus suis, vel habitarent. Delrius in loco Solini *Æmanthiam* edidit, quod Græcum non est: Salmasius *Emantiam*. Ipse tamen scribendum putat *Ematiam*, hoc est Ἡματίαν, nisi *Emantiam*

Digitized by Google

sit pro *Imantiam*, Ἰμαντίαν. Alterum nomen ejusdem libri suggesserunt *Cretonem*, unde conjiciebat *Crethonem*, τὸν Κρήθωνα, quod nomen Græcum est. Alia nomina juvenum profert Ælianus, seu qui alius auctor est, apud Stobæum l. c. nempe *Philonomi* et *Callix*: Πρώτῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ολυμπιάδι φασὶ τὴν Αἴτνην ῥυῆναι, ὅτε καὶ Φιλόνομος καὶ Καλλίας, οἱ Καταναῖοι, τοὺς ἑαυτῶν πατέρας ἀράμενοι διὰ μέσης τῆς φλογὸς ἐκόμισαν, τῶν ἄλλων κτημάτων καταφρονήσαντες· ἀνθ' ὧν καὶ ἀμοιβῆς ἔτυχον τῆς ἐκ τοῦ θείου· τὸ γάρ τοι πῦρ θέοντων αὐτῶν διέστη, καθ' ὃ μέρος ἐκεῖνοι παρήγινοντο. Diversitas hujus narrationis non solum in nominibus, sed in eo etiam cernitur, quod Philonomus et Callias Catinenses quidem cives, sed non fratres perhibentur, et ab iis non ambo parentes, sed ab utroque suus pater asportatus esse dicitur. Ne illi quidem pro fratribus certo habendi, qui quarto loco a nobis memorandi sunt, et ab Hygino l. c. nominantur: « In Sicilia, inquit, quum Ætna mons primum ardere cœpit, Damon matrem suam ex igne rapuit; item Phintia patrem ». Multum turbare vulgares narrationes Hyginus videtur. *Damon* et *Phintias*, sive Pythias, celebrata sunt amicorum e Pythagoræis nomina, non fratrum, Siculi tamen, quorum unus pro amici reditu se vadem Dionysio tyranno obtulit, alter autem dicto tempore rediit, ut amicum vadimonio mortis liberaret; qua de historia videndi Cicero, de Offic. III, 10; Manil. lib. II, 586 seq. Valer. Max. lib. IV, cap. 7, ext. 1. Contra Hyginus amicos eo vadimonio spectatos Mœrum et Selinuntium appellat Fab. 257, atque ubi Damonem et Phintiam ob servatos parentes laudat, omnino eos fratres perhibere videtur. Neque enim, si alter matrem, alter patrem ex igne rapuisse dicitur, hoc videtur aliter, quam de parentum pari, posse intelligi, quorum utrique servantes filii fuerint. Etiam ætas diversos indicare videtur. Nam qui eo tempore vixisse dicuntur, Damon et Phintias, quo Ætna primum ardere cœpit, illi, necesse est, multo antiquiores fuerint istis, qui causam apud Dionysium tyrannum egerunt. Et sane fieri potuit, ut nomina eadem, apud Siculos valde frequentata, diversorum temporum homines gererent. Quæ ratio etsi eo valet, ut nomina eadem in duabus diversisque historiis usurpata non

Digitized by Google

miremur; contra tamen non diffitemur, tot appellationes diversas juvenum Catanensium, a diversis scriptoribus in uno eodemque facto adhibitas, magnam difficultatem et dubitationem posse injicere, nisi statuamus, quod per se est probabile, diversis temporibus et diversis Ætnæi ignis eruptionibus, idem vel simile pietatis filiorum in parentes exemplum contigisse. Primarium et maxime celebratum esse arbitror, quod primum fuit, quum Ætnæi incendii profluvium, ante incognitum, exundante primum cratere agros circumjacentes obrueret, atque hoc Amphinomi et Anapiæ factum esse puto. Nam in prima effusione fluminis ignei, quo major civitatis, repentina et improvisa calamitate oppressæ, perturbatio fuit, hoc illustrior fuerit, necesse est, juvenum pietas juxta atque fortitudo, qui relictis aliis opibus parentem utrumque media ex flamma, et e præsentissimo vitæ periculo eriperent. Hoc pietatis exemplo ubique laudato, et summis honoribus affecto, sine dubio excitati sunt alio tempore alii, ut Ætna iterum in agrum Catanensem exæstuante laudem et gloriam ex simili facto peterent. Quo pacto aliis temporibus Philonomi et Calliæ, Emanthiæ et Crithonis, Damonis et Phintiæ factum exstitisse credimus. In Lycurgi narratione hoc adeo a cæterorum omnium relatione diversum reperimus, quod non duo juvenes, ut alii, sed unum, qui patri succollaverit, memorat. Τοὺς μὲν οὖν ἄλλους ὁρμῆσαι πρὸς φυγὴν, τὴν αὑτῶν σωτηρίαν ζητοῦντας· ἕνα δέ τινα τῶν νεωτέρων, ὁρῶντα τὸν πατέρα πρεσβύτερον ὄντα, καὶ οὐ δυνάμενον ἀποχωρεῖν, ἀλλὰ ἐγκαταλαμβανόμενον, ἀράμενον φέρειν. Et quamquam deinde locum eum, quo recedens ignis tutam stationem portanti patrem præbuit, dicit appellatum esse Campum Piorum, ipsa tamen narrationis ejus series ostendit, Piorum nomine ab eo non duo fratres, ut ab aliis, sed filium et patrem intelligi, quod, ut filius pietate in patrem, sic pater cum filio pietate et reverentia erga Deos conspicui fuerint.

Diserte Hyginus primarium id pietatis in parentes exemplum contigisse dicit, quum Ætna mons primum ardere cœpisset, licet forte in nominibus juvenum erret. Exinde poterit fortasse ipsum tempus et annus, quo contigerit, de-

Digitized by Google

finiri (1). Ac quidem, quo primum aperiri mons et ejectare favillas cœperit, id tempus plane obscurum et ignotum est. Neque vero hoc nunc quærimus, sed illud maxime, quo primum exundare, et liquefacti lapidis et bituminis fluviis vicinas regiones late devastare cœpit, quod credibile est multo serius, et post plura demum incendia evenisse. Talis enim exundatio fuerit necesse est, quæ urbem Catinam ita obrueret et vastaret, ut civibus omnibus fugiendum aut pereundum esset. Quod etiam videmus a scriptoribus memorari, qui Catinæ calamitatem, e qua juvenes Siculi parentes suos eripuisse feruntur, paullo disertius describunt, ab Aristotele, Conone, Pausania. Dicunt flammas torrentes e craterибus Ætnæ, instar fluvii, in agros Catanenses effusas. Hoc igitur si primum accidit tum, quum juvenes Catanenses celebre specimen pietatis ederent, Ælianus Stobæi videtur facti ejus tempus et annum designare. Πρώτῃ, ait, καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι φασὶ τὴν Αἴτνην ῥυῆναι, *Olympiade octogesima prima Ætnam dicunt igne fluxisse.* Id tempus incidit in annum circiter vicesimum ante bellum Peloponnesiacum, regnante in Persis Artaxerxe I. Neque vero circa ea tempora Ætnam graviter arsisse ab aliis scriptoribus relatum legimus, nisi velimus huc trahere, quod Orosius, de bello civili inter Artaxerxem et Cyrum, Darii filios, agens, lib. II, cap. 18, memorat: « His temporibus gravissimo motu terræ concussa Sicilia, insuper exæstuantibus Ætnæ montis ignibus favillisque calidis, cum detrimento plurimo agrorum villarumque, vastata est ». Hic terræ motus Siciliæ idem censetur fuisse, ac is, quem Diodorus Sic. lib. XII, in plerisque Græciæ partibus accidisse memorat, ubi nonnullas urbes maritimas super infusa maria

(1) Ætnæ topographiam et historiam incendiorum ejus dedit Anton. Philotheus de Homodeis. Descripsit eamdem Petrus Carrera, quem supra, pag. 193, allegat Wernsdorfius. Utriusque libellus insertus legitur Thesauro Antiq. Sic. t. IX. Varia quoque non ex trivio observavit Brydonius, in Itinere Siculo. Sic scribit Jer. Jac. Oberlinus ad Vibium Sequestrem, p. 295. Et videatur quod recentissime in lucem prodire jussit vir clarus *de Gourbillon*, *Voyage à l'Etna*. Paris, 1820. Ed.

Digitized by Google

obruerunt, et Locridis latus, in quo Atalante oppidum, maris impetu abscissum, in insulam abiit. Hoc autem accidit Olympiade 88, anno quinto belli Peloponnesiaci. De eodem profluvio ignis Ætnæi loquitur Thucydides, fine libri III, nempe quod Olympiade 88, anno secundo factum est, anno ante natum Christ. 427. Additque hoc profluvium quinquagesimo a superiore anno emanasse; omni numero vero ter evenisse, ex quo Siciliam Græci incolere cœpissent. Quod igitur secundum a primo incendium dicit, factum est Olympiadis 75, anno 4, quo tempore Xerxes in Græciam transiit, atque adeo antiquius est eo, quo Ælianus Amphinomi et Anapiæ factum enituisse dicit, Olympiade 81. Quum autem minime credibile sit, ignorari hoc tam celebre a Thucydide potuisse, fere eo propendet animus, ut putemus, hoc ipsum illud fuisse, quod Thucydides secundum a Græcorum in Siciliam adventu dicit, et Ælianum numerum Olympiadis non accurate designasse. Cluver. in Sic. Ant. de Campo Piorum apud Catinam agens, p. 122, etiam quæstionem de tempore facti attingit, idque plane incertum esse ait, nisi quod ante Alexandri M. ætatem factum, ex oratione Lycurgi perspiciatur, quam hic circa dicti regis ætatem Athenis contra Leocratem habuit. Cluverius Æliani et Hygini testimonia, a nobis producta, ignoravit, quibus si usus esset, potuisset sane in ætatem illius facti paullo accuratius inquirere (1).

Etsi vero de anno et tempore, quo incendium Ætnæ, insigni pietatis documento illustratum, contigit, nihil certi constat, ipsa tamen pietas juvenum monumentis publicis Siculorum ad memoriam sempiternam consecrata est. Testatur Conon: Διὰ ταῦτα οἱ Σικελιῶται λιθίνας εἰκόνας ἐν αὐτῷ τῶν ἀνδρῶν τῷ μνημείῳ ἀνέθεσαν. Has statuas a Catanensibus positas, et ad

(1) Paullo distinctius annos incendiorum Ætnæ notat Thomas Lydiatus, in adnotationibus ad Chronicum marmoreum, Epoch. 53, et tertium effluvium Ætnæ, quod Thucydides significat, accidisse conjicit Olympiade 96, ineunte archonte Athenis Phormione, anno ante Christum 424, idque memorari a Diodoro Siculo, lib. XV. Ed.

Digitized by Google

seram ætatem religiose conservatas, liquet ex singulari Idyllio Claudiani de iis scripto, cujus epigraphe in optimis codicibus hæc est: *De piis fratribus, et eorum statuis, quæ sunt apud Catinam.* Nisi forte Claudianus hoc carmen ex antiquiore Græco, ut alia plura, traduxit (et affirmat ipse Lucilius v. 637, factum juvenum piorum multis poetarum carminibus celebratum esse), colligendum ex eo est, statuas eorum juvenum ad ætatem usque Claudiani superfuisse. Quamquam, eas, a poeta descriptas, diversas fuisse ab istis, quas Catanenses primitus posuerunt, fortasse exinde colligas, quod non lapideas, sed aheneas, describere videtur. Conferendum autem id carmen præcipue est cum Lucilii narratione, quia multa ejus supplet, atque inprimis juvenum, parentes suos portantium, et parentum eorum humeris insidentium, vultum, gestum, et habitum luculente et ingeniose, tamquam pictor, describit. Ne in ea descriptione ipsi nimis copiosi videamur, luculentam juvenum gradientium picturam ex ipso carmine huc transcribemus, a versu 7 ad 18:

Grandævi gemina sublimes prole feruntur,
  Et cara natos implicuere mora.
Nonne vides, ut sæva senex incendia monstret?
  Ut trepido genitrix invocet ore Deos?
Erexit formido comam, perque omne metallum
  Fusus in attonito palluit ære tremor.
In juvenum membris animosus cernitur horror,
  Atque oneri metuens, impavidusque sui.
Rejectæ vento chlamydes: dextram exserit ille,
  Contentus læva sustinuisse patrem;
Ast illi duplices in nodum colligit ulnas
  Cautior in sexu debiliore labor.

Clarius hanc picturam, figurasque a poeta descriptas, explicuit verbis, easdemque ad hoc exemplum in plurimis Catanensium nummis antiquis, licet non omnibus, accurate expressas reperiri demonstrat Petr. Burmannus, Commentar. ad Numism. Sic. p. 315 sq. Etenim in plerisque nummis videre licet, patrem, erecta manu ignes monstrantem, hu-

Digitized by Google

mero filii et lævo brachio sustineri; matrem vero, trepidis manibus ad cælum sublatis orantem Deos, ambabus filii ulnis, ut sexu debiliorem, conclusam teneri. Scilicet Catanenses nummis suis piorum juvenum figuras, tamquam primarium civitatis suæ symbolum, et celebratissimum ornamentum, sæpissime signarunt. Duos ejus generis nummos exhibet Laur. Begerus Thes. Brandenb. t. I, pag. 390: unum Petr. Burmannus, Numism. Sic. tab. IV: plurimos P. Carrera Monum. Catan. lib. III, cap. 22, tab. VII, vol. X Thes. Sicil. quorum explicationem dedit pag. 291 et 292: denique Jo. Jac. Gesnerus Numism. Gr. popul. et urb. tab. 30. Etiam Romanorum in nummis hoc par piorum fratrum excusum est, tamquam symbolum Pietatis. Præsertim in familiæ Pompeiæ nummis unus est a Sexto Pompeio, Cn. Pomp. F. signatus, plane memorabilis, quem descriptum videre licet apud Ursinum, pag. 219, n. 1, in Thes. Morell. t. II, pag. 337; *Vaillant*, Famil. Rom. t. II, pag. 269, et tab. CXIV, n. 17; Carrera Monum. Catan. tab. VIII, n. 45, p. 293; Petr. Burmanni Comment. ad Numism. Sic. p. 319, et in Nummophyl. Schulziano, p. 234. In adversa parte Sexti Pompeii caput est cum epigraphe MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*: ante lituus, pone guttus. In altera parte legitur PRÆF. CLAS*sis* ET ORÆ MARIT*imæ* EX S*enatus* C*onsulto*, et visuntur tres personæ, quarum media aliquantum inclinata dextra tenet acrostolium, et dextrum pedem proræ navis imponit: utrimque persona, quæ humeris impositum gestat. In his Amphinomi et Anapiæ, fratrum Catanensium, pietatem erga parentes signari fatentur nummorum interpretes. Atque ii respiciunt ad cognomentum Pii, quod attributum Sexto Pompeio in nummis est, quod receptis civibus, Triumvirorum proscriptiones effugientibus, patris fratrisque cædem vindicare studuit. Cæteros Pompeii titulos hoc nummo legendos nunc prætereo. Sed Pietatis symbolum a fratribus Siculis petiit hanc maxime ob caussam, quod rei navali a senatu præfectus Siciliam classe occupavit, et diu tenuit contra Cæsarem Augustum, qui eum, hac dignitate spoliatum, aliquoties frustra petivit, ut apud Dionem Cas-

Digitized by Google

sium, lib. XLIX, et Appian. lib. V, p. 720 seq. legi potest. Unde figura ea, quæ inter fratres Siculos media est, et pedem proræ navis imponit, ipsum Pompeium significari arbitror, quod is bello navali maxime patrem ultus est, eoque bello, quum Messanam, Mylas et Naulochum, omnemque oram maritimam præsidiis teneret, Ætna immaniter fremere incipiens, et regiones simul æstu flagrantes, copiis Augusti terrori et periculo fuerant, ut Appianus refert lib. cit. Neque enim adsentire iis interpretibus nummorum possum, qui sub ea figura Neptunum intelligunt, eumque medium inter pios fratres positum existimant, quod ii Neptuni monitu parentes Ætnæis incendiis eripuerint. Falso enim putant hoc a Strabone perhiberi, qui libro VI, p. 269, post memoratam Amphinomi et Anapiæ pietatem, pergit, Ætnæ incendium et ejectionem favillæ contingere, quando ita Neptuno videatur, ὅταν τῷ Ποσειδῶνι φαίνηται. Quo sane, si ipse locus sanus est, nihil aliud tradit Strabo, quam tempestate maris, et spiritu per cavernas subterraneas agitato, ignes Ætnæ accendi. Recte etiam existimatur Amphinomus patrem ferens occurrere in nummo gentis Herenniæ, edito ab Ursino, p. 120 et 121, et *Vaillant*, Famil. Rom. vol. I, tab. LXIX, et p. 485. In cujus parte anteriore est epigraphe PIETAS cum capite Pietatis, in posteriore M. HERENNI, et homo concitato gradu alium humeris insidentem ferens. Quem Ursinus hoc nummo signari putavit Æneas cum Anchise patre, qui alias frequens Pietatis symbolum apud Romanos est, solet paullo aliter fingi, aut Palladium tenens, aut Anchisen Deos Penates gerentem, aut comitem Iulum habens; Herennius autem, qui forte Præturam Siciliæ gerebat, symbolum Pietatis, quod Sicilienses habebant, Amphinomum nummo suo imprimi curavit. Pluribus hoc evincit P. Burmannus ad Numism. Sic. pag. 319 seq. Et hæc de fratribus Catanensibus sufficiant.

Digitized by Google

EXCURSUS VII

AD LUCILII JUN. ÆTNAM, VERSU ULT.

Sed vere cessere domus et rura piorum.

Pio omine suam de piis hominibus narrationem claudit poeta, et sanctos juvenes ait nunc post fata in præmium pietatis suæ vere accepisse Campum Piorum, quem dicatum sibi tenere apud Catinam dicantur. Exclamare quasi cum Virgilio videtur, Æn. VI, 638:

Devenere locos lætos, et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.

Nempe in eorum beatitate significanda alludit ad *Campum Piorum*, quem Catanenses in monumentum pietatis eorum consecrasse, tradunt scriptores. De quo campo nunc paullo exactius dicamus, quod res indigere accuratiore explanatione videtur, neque campi illius ratio ab eruditis, qui hoc argumentum attigerunt, recte intellecta est. Dorvillius in Siculis, cap. XIII, pag. 218, neque minus alii existimant, Campum Piorum apud Catanenses dictum, quod pii fratres in eo sepulti essent, et statuæ, quas Claudianus descripsit, in eorum monumento positæ. Et sane res ea non caret auctoritate, et diserte Solinus: « Horum memoriam ita posteritas munerata est, ut sepulcri locus nominaretur Campus Piorum ». Neque tamen vel Solinus totam appellationis ejus rationem verbis complexus est, vel alii cæterorum scriptorum testimoniis comparatis recte indagarunt. Ac primo quidem Piorum nomine et honore non solum fratres illi, parentes suos ex igne servantes, sed et familia, cujus filii erant, apud Catanenses claruisse videntur, et parentes æque nota pietate erga Deos, ac filii pietate erga parentes, opinione civium suorum me-

Digitized by Google

ruerunt, ut illæsi ignes Ætnæos evaderent. In antiqua inscriptione Græca apud Gualther. in Tab. Ant. Inscr. Sicil. pag. 28 edit. Panorm. quam P. Burmannus l. c. pag. 319 allegat, Catana ipsa dicitur ΕΥΣΕΒΕΩΝ ΚΑΥΤΟΝ ΑΣΤΥ, neque ea appellatio solos fratres Catanenses respicere videtur. Clarius scriptores, qui calamitatem Catanensium narrant, τῶν Εὐσεβῶν nomine parentes una cum filiis, qui eos servarunt, intelligunt. Aristoteles, sive auctor de Mundo: ἔνθα καὶ τὸ τῶν εὐσεβῶν γένος ἐξόχως ἐτίμησε τὸ δαιμόνιον, περικαταληφθέντων ὑπὸ τοῦ ῥεύματος· et paullo post, καὶ ἐτήρησεν ἀδλαβεῖς ἅμα τοῖς γονεῦσι τοὺς νεανίσκους. Lycurgum, superiore Excursu jam observavimus, memorare, unum tantum filium cum patre ex incendio servatum; et hic tamen eum locum, ubi hi duo servati sunt, dicit τῶν Εὐσεβῶν χῶρον vocatum esse. Porro autem ex testimoniis scriptorum accuratius consideratis intelligitur, Campum Piorum dictum esse non a sepulcris piorum fratrum, sed quod eo loco flamma, quum eos pæne apprehendere videretur, veluti diffissa discesserit, et fugientibus tutam stationem præbuerit. Clare hoc tradit Conon, si recte attendatur. Qui postquam dixit, flammam alios exurentem circa pios fratres diffindi visam, ut locus igne liber fieret, tum pergit, Διὰ ταῦτα οἱ Σικελιῶται τὸν δὲ χῶρον ἐκεῖνον Εὐσεβῶν χώραν ἐκάλεσαν· καὶ λιθίνας εἰκόνας ἐν αὐτῷ τῶν ἀνδρῶν τῷ μνημείῳ, θείων τε ἅμα καὶ ἀνθρωπίνων ἔργων, ἀνέθεσαν. Aperte hic enuntiat, eum ipsum locum, quem flamma absistens liberum piis juvenibus reliquerit, vocatum esse Piorum regionem. Dicit quidem monumentum iis hac in regione erectum, sed statuas ei impositas testes fuisse divinorum juxta ac humanorum in ea regione factorum. Jam humanum quodnam factum in ea regione exstiterit, per se patet, nempe juvenum parentes suos flammis eripientium; sed alterum, divinum, nisi flamma fuerit divinitus directa, et juvenibus parentes ferentibus locum vacuum tutumque relinquens, nescio equidem, quodnam aliud intelligi queat. Relinquitur ergo, ut *Campum Piorum* inde dictum primario putemus, quod eo loco filii cum parentibus e flamma ereptis substiterint in tuto. Eodem loco postea filiis juxta et parentibus defunctis monumentum, ad majorem rei me-

Digitized by Google

moriam, publice factum esse, ultro concedimus. Nunc accedit, ut traditum a scriptoribus observemus, igne juvenes parentum bajulos circumeunte, locum vacuum effectum esse, quasi insulam flumine igneo conclusam. Lycurgus: Λέγεται καὶ κύκλῳ τὸν τόπον ἐκεῖνον περιῤῥεῦσαι τὸ πῦρ, καὶ σωθῆναι τούτους μόνους. Et expressius Conon: αὐτοὺς δὲ περισχίσθη τὸ πῦρ, καὶ ὥσπερ νῆσος ἐν τῇ φλογὶ πᾶς ὁ περὶ ἐκείνους χῶρος ἐγένετο. Similiter Apuleius de mundo: « Illa flammarum fluenta divino separata discidio, quasi duo flumina ex uno fonte manantia, locum illum ambire maluerunt obsidione innocenti. Inerant boni bajuli, religiosis sarcinis occupati ». Hæc forma loci illius, postea haud dubie ad memoriam servata diligentius, atque instar insulæ conclusæ, in caussa fuit, ut aptissimum ei nomen *Campus Piorum*, ipseque insulis beatorum adsimilandus videretur. Notum est, in poetarum fabulis loca inferorum, animis recipiendis destinata, Stygis vel Acherontis undis, tamquam insulas, coerceri. (Vid. quæ notavimus ad Eleg. VII, 24, hujus edit. t. II, pag. 265. Ed.) Campi Elysii, piorum habitatio apud inferos, disjuncti flumine a reliquis sedibus, et quæ vocantur Insulæ beatorum, Oceano circumfusæ et discretæ ab orbe reliquo dicuntur. Unde *sedes discretæ piorum* Horatio, Carm. II, 13, 23; *Secreti pars orbis mundusque piorum* Calp. VIII, 20, vocantur. Hæc imago igitur sedium separatarum, quas poetæ apud inferos piorum manibus assignabant, comparata cum Campo Piorum, ad honorem piorum juvenum apud Catinam consecrato, poetam nostrum eo duxit, ut *vere* nunc eos campum Elysium et Piorum sedes incolere diceret. Atque hinc liquet, sic prorsus legendum esse hunc versum, uti scripsimus, et, quam veteres quædam editiones exhibent, lectionem *Sed jure* vel *pure*, aut, quam Barthius substituere voluit, *Sed veris cessere domus*, alienam plane esse, et gravem sententiam auctoris debilitare. Nempe *veris domus* legendum putat Barthius, Advers. XLIX, cap. 6, quod in campis Elysiis, sanctorum post obitum amœnissimo recessu, ver perpetuum esse dicatur. Hoc etsi verum est, et aliorum poetarum locis facile probandum, ut Tibulli I, 3,

Digitized by Google

61, Valerii Flacci I, 844, Claudiani R. Proserp. II, 288; superfluum tamen hoc loco, et a scopo auctoris alienum est, ut taceam, quamvis perpetuum ver tribuatur Elysio, neminem tamen poetarum ibi ipsam Veris domum collocasse. At *domus piorum* aptum et scopo auctoris conveniens est, quo alludere ad sepulcrum et monumentum fratrum Catanensium vult. Nam ut sedes inferorum *domus Stygia*, *domus Plutonia*, *domus Elysiæ* vocantur poetis, quorum hic maxime notabilis locus Martialis est, lib. XII, ep. 52,

> Accipient olim quum te loca læta piorum, etc.
> Non erit in Stygia notior umbra domo.

ita etiam sepulcra poetis sunt *æternæ* defunctorum *domus*. Auctor Elegiæ ad Liviam, v. 73:

> Claudite jam, Parcæ, nimium reserata sepulcra,
> Claudite! plus justo nam domus ista patet.

Et in Epitaphio Petronii Antigenidis: *Hæc domus æterna est, hic sum situs, hic ero semper.*

—In epigr. 149, lib. IV Anthol. Burmannianæ, v. 2:

> Hac jacet æternum Sabis humata domo.

In epitaphio Virgilii, apud eumdem:

> Hæc tibi, Virgilii, domus est æterna sepulto.

Seneca, Hippol. v. 1241:

> .....Recipe me æterna domo
> Non exiturum.

Auctor Octaviæ, v. 751:

> .....Inferum sedes toros
> Stabiles futuros spondet æterna domus.

Perpetuas quoque *domos* video in epitaphio Probinæ, epigr. 146: « Perpetuas sine fine domus mors incolit atra ». Immo *domus* simpliciter pro sepulcro, in Inscript. Hispalensi, quæ exstat integra in Donianis Cl. X, n. 19, p. 358:

Digitized by Google

DIDIA. T. L. SALVIA. MATER.
IN. MEO. DOLORE.
IN. HOC. SEPVLCHRO.
VIVA. NOMEN. INSCRIPSI. MEVM.
HAEC. EST. DOMVS. MEA.
CVM. MEIS.

Et in Narbonensi Inscript. apud Maffeium, in Galliæ Antiq. Epist. XV, pag. 71 :

Hanc siquidem nobis fata dedere domum.

In Epitaphio Lesbiæ apud Pith. p. 95 :

Hanc sibi sola domum corporis instituit.

Et alibi sæpe, ne nimia afferam. Vid. Bonifac. de comp. Epitaph. cap. 2, et Oliverium, ad Marm. Pisaur. p. 168. Ed.

Denique in fine versus legendum esse *rura Piorum*, non, ut omnes editiones præferunt, *jura*, eadem suadet comparatio a poeta instituta, Campi Piorum, in quo monumentum et statuæ erant fratrum Catanensium, cum campo Elysio, qui et campus piorum dicitur a Lucano, lib. III, 12 :

Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad Stygias, inquit, tenebras, manesque nocentes
Post bellum civile trahor.

Et ne *rura piorum* insolens esse existimes, *arva* et *jugera piorum* tibi et alii poetæ dabunt. Ovidius, Metam. XI, 62 :

Cuncta recognoscit; quærensque per arva piorum
Invenit Eurydicen.

Auctor Elegiæ ad Liviam, v. 329 :

Ille pio, si non temere hæc creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos.

Claudianus in Eutr. I, 453 :

..... tuque o, si forte inferna piorum
Jugera, et Elysias scindis, Serrane, novales.

Digitized by Google

LUCILII JUNIORIS

ALIORUM CARMINUM FRAGMENTA.

I. Seneca, Natur. Quæst. lib. III, cap. I.

Sive ut apud te, Junior carissime, invenio:

Eleus Siculis de fontibus exsilit amnis *.

* *Eleus amnis* dicitur hoc versu Alpheus, fluvius Achaiæ, quem dicebant sub mari cursum agere et in Sicilia apud Syracusas sub nomine Arethusæ rursus erumpere. Iterum hujus versus meminit, quamvis non recitet, Seneca, in libro III Naturalium Quæstionum, cap. 26 : « Quidam fontes, inquit, certo tempore purgamenta ejectant, ut Arethusa in Sicilia; quinta quaque æstate per Olympia. Inde opinio est, Alpheon ex Achaia eo usque penetrare, et agere sub mare cursum, nec ante, quam in Syracusano litore, emergere. Ideoque iis diebus, quibus Olympia sunt, victimarum stercus secundo traditum flumini illic redundare. Hoc et a te traditum est in poemate, Lucili carissime, et a Virgilio, qui alloquitur Arethusam : *Sic tibi quum fluctus*, etc. » Apparet, eum versum Lucilii ex eo poemate fuisse, in quo de rebus memorabilibus Siciliæ egerat. De quo poemate plura diximus in Proœmio. Phrasi *exsilit amnis* similiter usus est Lucilius in Ætna, v. 324 : « Donec confluvio revolutis æstibus, omnis Exsilit ».

II. Idem, Epist. IX.

Hunc versum a te dici non paullo melius, et adstrictius, memini :

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiamnum melius dictum a te non præteribo :

Dari bonum quod potuit, auferri potest.

Digitized by Google

III. Idem, Epistola XXIV.

Hæc quum descripsisses, quo soles ore, semper quidem magnus, nunquam tamen acrior, quam ubi veritati commodas verba, dixisti :

Mors non ultima venit ; quæ rapit, ultima mors est *.

* Hunc versum sub Lucilii Junioris nomine Pithœus inter Epigr. et Poem. vet. in fine libri III, pag. 121 edit. Lugd. et post eum P. Burmannus, Antholog. Lat. lib. III, epigr. 150, ediderunt, eoque nomen Lucilii, alias obscurum et incognitum, inter poetas Latinos quodam modo comparere fecerunt, quod nos, magno poemate de Ætna ei reddito, multo magis conspicuum et illustre fecimus. Dederunt autem versum paullo aliter; nempe ut Muretus in Seneca edidit : « Mors non una venit, sed, quæ rapit, ultima mors est ». Ante Muretum omnes libri, ut nos. Et Lipsius veterem lectionem teneri postulat, deleta particula *sed*. Idem putat, posse eum heroicum in binos anapæstos redigi, hoc modo : « Mors non ultima venit; Quæ rapit, ultima mors est ». Sententiam Lipsius hanc esse ait : Non quæ venit, et jam præteriit, mors est : sed illa proprie, quæ rapit ultima, et nos aufert. Gronovio Lipsius videtur sententiam non assequutus esse, eamque e contextu et ad mentem Senecæ aliter explicat : « Falsum est, inquit Lucilius, mortem ultimam rerum venire, vel venisse : multis mortibus conficimur, et sæpe ad nos venit, antequam rapiat : sed illa mors, quæ nos rapit et aufert, ipsarum mortium est ultima ». De eodem versu Gronov. egit in Epist. ad Nic. Heinsium, t. III Syllog. Burm. p. 185. Burmannus sec. lectionem Mureti defendit ad Anthol. l. c. quod in vulgata prima parte *Mors non ultima* alienum videbatur. — Et confirmari putat lectionem *non una* ex versu Statii, Theb. I, 109 : « Et populis mors una venit », i. e. eadem communis vel certa; ubi alii male legunt *multa*. Ed. — Sed adludit Lucilius haud dubie ad vulgare dictum, quo *mors ultima*, scilicet omnium rerum finis, dicitur, ut Petronius in Trojæ halosi, « continuat in mortem ultimam somnos ». atque Horatius, Epist. I, xvi, 79, « mors ultima linea rerum ».

Digitized by Google

CORNELII SEVERI

FRAGMENTUM

DE MORTE CICERONIS.

EX M. ANNÆI SENECÆ SUASORIA VII.

ORAQUE magnanimûm spirantia pæne virorum
In Rostris jacuere suis; sed enim abstulit omnes,

1. Seneca hoc profert fragmentum Corn. Severi, postquam varia Ciceronis elogia e disertissimis historicis recitavit, subditque: « Nemo tamen, ex tot disertissimis viris, melius Ciceronis mortem deploravit, quam Corn. Severus ». Descriptionem autem harum calamitatum sat copiosam habemus, quum apud Plutarch. in vitis Ciceronis et Antonii, tum in Dionis libro XLVII. Qui fontes omnibus quum pateant, pauca tantum ex iis delibabimus, ad illustrationem Cornelii nostri facientia. Sic ergo Dio de capitibus proscriptorum pag. 328 ed. Hon. πολλοὶ μὲν γὰρ ἐν ταῖς οἰκίαις, ἔν τε ταῖς ἀγοραῖς, καὶ πρὸς τοῖς ἱεροῖς σποράδην ἀπεκτίννυντο, καὶ αἵ τε κεφαλαὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ βῆμα εὐθὺς ἀνετίθεντο· *multi quidem in ædibus et plateis et in templis sparsim occidebantur, atque eorum capita illico in Rostris proponebantur.* Hinc intelligere licet, cur Severus dixerit *ora pæne spirantia* illic conspecta, quum e vestigio ad eum locum raperentur. Hæc est adnotatio Goralli, quam introductionis loco nostris præmittere placuit.

2. *In Rostris jacuere suis*, quæ olim frequentibus concionibus celebraverant, et quasi sua fecerant. Similiter Florus, Hist. Rom. IV, 6, 5: « Romæ capita cæsorum proponere in Rostris jam usitatum erat: verum sic quoque civitas lacrymas tenere non potuit, quum recisum Ciceronis caput in *illis suis Rostris* videretur ».— *Abstulit omnes* Gorallus cum Schotto explicat: omnium reliquorum pro Rostris imagines una Ciceronis obscuravit, præstrinxitque oculos: refert igitur *omnes* ad *imago*. Sed melius *abstulit* explicatur avertit in se omnes, vel potius omnium spectantium oculos animosque, ut interpretatur Schultingius ad Senecæ Suasor. et Nic. Heinsius ad Ovid. Her. XV, 140. Rectissime cl. Schmidius versione germanica: *Zieht aller Blick auf sich; auf andre merkt man nicht.*— Plenius eloquitur

Digitized by Google

Tamquam sola foret, rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Consulis acta,
Juratæque manus, deprensaque fœdera noxæ,
Patriciumque nefas exstinctum, et pœna Cethegi,

Pap. Statius, Theb. VI, 669: « et simul omnes Abstulit in se oculos ». Pariter Sil. Ital. XVII, 648, ubi de triumpho Scipionis: « Sed non ulla magis mentesque oculosque tenebat, Quam visa Hannibalis campis fugientis imago ». Ed.—Sic Livius lib. II, cap. 5, de Bruti filiis: « Sed a cæteris, velut ab ignotis capitibus, Consulis liberi omnium in se averterant oculos ». In eumdem modum ac Severus, de spectaculo eo capitis Ciceronis propositi loquitur Cremutiüs Cordus apud Senec. Suas. VII: «Præcipue tamen solvit pectora omnium in lacrymas gemitusque visa ad caput ejus deligata manus dextera, divinæ eloquentiæ ministra; cæterorumque cædes privatos luctus excitaverunt, illa una communem ».

3. *Rapti Ciceronis.* Gronovius legi vult *carpti Ciceronis*, i. e. desectis membris, quia Vomanus in tumulo Ciceronis: *Sed Fortuna nocens miserando funere raptum Carpsit, et hoc voluit membra jacere toro.* Qui locus minime suadere eam lectionem videretur. *Rapti* dicuntur omnes violenta et inopina morte ablati.

5. *Fœdera noxæ*, i. e. noxii sceleris, vel noxiorum, sceleratorum hominum.

6. *Patriciumque nefas*, a Patriciis conjurationis sociis, perpetratum. Versus hic eruditorum conjecturis mirum, quantum vexatus. Vulgatæ Senecæ editiones, ut et Pithœus edidit: *est tunc et pœna Cethegi*, quod Schultingius ad Suas. I, p. 15, explicat, præsens versatur ante oculos, neque animis excidit. Apud Crinitum legitur, *est nunc et pœna Cethegi*; apud Stephanum, *nefas etiam tum, et pœna Cethegi.* Scalig. in Catalectis: *etiam tum, ut pœna.* Fecundum Barthii ingenium, Advers. IX, 14, plures procudit emendationes: *nefas, et Sura et pœna*, vel *Statili tum pœna*, vel *Sullarum et pœna*, vel *Suræ tum pœna*; denique et *Autronii* nomen valde simile putat illis literis, quæ locum obsident. E cæteris Barthii illa *et Sura et pœna Cethegi* adeo se probavit Ruperto, ut in Observ. ad Sallust. p. 281, eam pro sua propinaverit. Gronovius conjecit, *Patriciumque nefas exstinctum, et pœna*, ex hac ratione: ut enim Catilinam non nominat, nisi *dejectum votis*, et Cethegum non sine *pœna*, ita nec nefas posuit sine mentione eventus rei publicæ et necessarii et utilis. Heinsius editioni Pithœanæ adscripserat *trucis et tunc pœna Cethegi*: idem in altero codice correxerat *Patriciumque nefas, exserti et pœna Cethegi*, quam emendationem cæteris præferendam putavit Burmannus sec. Denique Gorallus e vulgata lectione *est tunc* fecit *ast tunc et pœna*, infelicissime, ut Burmannus putat. Mihi præ cæteris arridet emendatio Gronov. *nefas exstinctum*, quæ et vestigiis scripturæ codd. accommodata, et numero orationeque poetæ digna est, et fidem maxime accipit ab hoc Virgilii, Æn. II, 585, «Exstinxisse nefas tamen, et sumpsisse merentis Laudabor pœnas ».

Digitized by Google

Dejectusque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor, aut cœtus? pleni quid honoribus anni
Profuerunt? sacris exacta quid artibus ætas?
Abstulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ.

7. *Dejectusque votis nefandis*, scil. primo spe honorum, ut consulatus, quibus abuti ad consilia nefaria exsequenda volebat, qua de re Sallustius; deinde etiam spe conjurationis ad rei publicæ exitium perficiendæ. — *Dejici* spe, opinione, voto, conatu, honore, passim dicitur apud bonos scriptores, subinde et *depelli*, *detrudi*. — Nominatim Sueton. in Jul. 24 : « Crassum Pompeiumque...compulit, ut detrudendi Domitii causa consulatum alterum peterent ». Ed.

8. *Quid favor, aut cœtus*. Cœtus intelligo eos, in quibus favor populi et honores spectantur, qui hoc loco conjunguntur, nempe frequentia salutantium officia, deductiones, conciones. Neque ulla ratio est, cur a vulgata lectione recedamus, et cum Heinsio legamus *Quid favor adsuetus*, aut cum Barthio, Advers. IX, 14, *Quid favor aut cultus*.

9. *Profuerunt*, recte, quamvis *profuerant* alii : *et vita quid artibus acta* habent antiquæ Senecæ edd. Gronovius etiam sic legi in MS testatur, sic etiam Scaliger et Stephanus ediderunt. Sed *exacta quid artibus ætas* conjecit Schottus, atque idem Crinitus et Pithœus dederunt, quod et mihi elegantius graviusque videtur. — *Sacræ* artes sunt, quibus res addiscimus, quæ sacræ hominibus esse debent, humanitatis studia, præsertim philosophia.

10. *Abstulit una dies*. Referenda est *una dies* quum ad præcedens *exacta artibus ætas*, tum ad sequens *ævi decus* : scilicet una dies abstulit, quod tota in artibus consumpta ætas paraverat, et totius ævi illius decus erat. Sicut in carmine de Æneide Virg. lib. II Anthol. ep. 184 dicitur : « Quam tot congestos noctesque diesque, labores Hauserit una dies ». — *Ævi decus* recte legunt Crinitus, Stephanus, Scaliger, Columna ad Ennium, p. 88, Barthius ad Claud. bell. Gild. 242, et probat Gronovius. Similiter apud Virg. Ecl. IV, 11 : « Tuque adeo decus hoc ævi »; et Ovid. Her. XV, 94 : « O decus, atque ævi gloria magna tui ». Contra *civis decus*, quod dederunt Pithœus, Gorallus, Burmannus, neque commode dici potest de cive primario, ut Gorallus explicavit, neque aptum sententiæ et orationi est. Neque Heinsii conjectura valde placet, qui ad Virg. Æn. I, 513 reposuit *urbis decus*. — *Ictaque luctu*. De animi affectibus hoc inprimis usurpatum. Hor. Carm. IV, 5, 15 : « Sic desideriis icta fidelibus Quærit patria Cæsarem ». Virg. in Ciri, 166 : « Ictaque barbarico Cybeles antistita buxo ». Petron. Bell. civ. 223 : « Quo mens icta jubet, deserta ducitur urbe ».

11. *Conticuit Latiæ*. Narrat Seneca, postquam hos Corn. Severi versus protulit, hunc versum ex alio Sextilii Henæ processisse, qui aliquando carmen in proscriptionem Ciceronis recitans hoc versu orsus sit : « Deflendus Cicero est, Latiæque silentia

Digitized by Google

Unica sollicitis quondam tutela salusque,
Egregium semper patriæ caput, ille senatus
Vindex, ille fori, legum, ritusque, togæque
Publica vox sævis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, sparsamque cruore nefando
Canitiem, sacrasque manus operumque ministras

linguæ ». Post Severum usurpavit Martialis, epigrammate in Antonium, lib. V, 70: « Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ? Incipient omnes pro Cicerone loqui ».

12. *Sollicitis tutela salusque.* Reos intelligi, ipsa res docet: et plene alii eloquuntur. Horat. Carm. IV, 1, 14: « Et pro sollicitis non tacitus reis ». Martial. V, 16, 6: « Sollicitisque velim vendere verba reis ».

13. *Egregium patriæ caput*, h. e. vir in re publica præcipuo honore eminens. Hinc Martial. III, 66, de Pompeii et Ciceronis capitibus: « Illud, laurigeros ageres quum, Roma, triumphos, Hoc tibi, Roma, caput, quum loquereris, erat ».

14. *Vindex, ille fori. Vindex* pertinet ad *senatus*, et male Schottus post *senatus* interpungendum statuit. Totius versus interpunctio ita regenda, ut Cicero dicatur vindex senatus, fori, legum, juris, tum publica vox togæ. *Vindex* habent omnes libri, quos vidi; Schottus tamen in quibusdam reperisse *Princeps* pro *vindex* videtur, quod illud rejicit, atque Ciceronem principem senatus fuisse negat. Burmanno autem placet legere *Senatus princeps*, propter Senecæ verba, Suas. VII, ubi de Cicerone interfecto: « brevi ante princeps senatus, Romanique nominis titulus, tum pretium interfectoris sui ». In reliquo versu vulgatæ habent *legum ritusque*. Lindenbrog. in vet. cod. corrupte scriptum legebat *virusque*, unde ipse volebat *legum jurumque*. Sed Burmannus ex Heinsii certissima emendatione rescripsit *jurisque*, cui favet lectio a Lindenbrogio reperta, quamque etiam ex veteri libro eruit Melch. Goldastus in not. ad Columban. p. 92. Et sane quum leges et jura, quasi solenni formula, infinitis in locis Veterum conjungantur, satis probabilem eam lectionem ipse ego existimo.

15. *Togæque Publica vox*, i. e. gentis togatæ, Romanæ rei publicæ vox. Idem elogium Ciceroni impertit Vell. Paterc. II, 66, 2: « abscissaque scelere Antonii vox publica est, quum ejus salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis, et privatam civium defenderat ». Similiter Lucanus, I, 270: « Vox quondam populi, libertatemque tueri Ausus ». Post hæc *civis æternum* vitiose proferunt Pithœus et quædam Senecæ editiones. Scaliger recte edidit *sævis*, quem sequutus est Gronovius in Seneca, Gorallus et Burmannus. Hic tamen et *diris* conjecit.

17. *Sacrasque manus.* Dextram tantum præcisam, et cum capite in Rostris expositam, memorant Cremutius Cordus apud Senecam, Plutarchus in Antonio, Dio Cassius lib. XLVII, et Juvenalis in illo Sat. X, 120: « Ingenio manus est et cervix

Digitized by Google

Tantorum, pedibus civis projecta superbis
Proculcavit ovans, nec lubrica Fata, Deosque
Respexit : nullo luet hoc Antonius ævo.
Hæc nec in Æmathio mitis victoria Perse,
Nec te, dire Syphax, nec fecit in hoste Philippo;
Inque triumphato ludibria cuncta Jugurtha

cæsa »; at Livius apud Senecam narrat, caput inter duas manus in Rostris positum, quocum facit Severus. *Sacrum* dicitur, ut divinum, Romanis quodcumque singulari veneratione dignum, et humana conditione quodammodo altius censetur. Sic etiam Martialis, III, epigr. 66, de Pompeio et Cicerone : « Par scelus admisit Phariis Antonius armis; Abscidit vultus ensis uterque sacros ».

19. *Nec lubrica Fata*, mutabilia, quæ stantem facile labi faciant. Curtius, VII, 8, 24 : « Fortunam tuam pressis manibus tene; lubrica est, nec invita teneri potest ».

20. *Deosque respexit*, scil. Deos ultores scelerum. Et *respexit* dicit, qui retro et a tergo sequi dicuntur. Tibull. I, 8, 72 : « Nescius ultorem post caput esse Deum »; et Seneca, Herc. fur. 385 : « Sequitur superbos ultor a tergo Deus ». Lucil. Sat. p. 8 : « Nemo hic vindicias, numen, neque sacra veretur ».

21. *Hoc* edidit Crinitus, *Hæc* Stephanus et Gronovius. — *Æmathio Perse*. Is, post L. Æmilii triumphum, in carcerem Albanum conditus, et inde, eodem L. Æmilio, senatusque principe M. Lepido adjuvante, exemptus, in libera custodia biennium extraxit, ubi inedia interiisse fertur. Vid. Jo. Freinshemius, Supplem. lib. XLVI Liviani, et scriptores, quos laudat; p. 22, t. IX, edit. nostræ. Ed. — In triumphum ductus Perses, Macedoniæ rex, anno U. C. 586. De Æmilii Paulli erga eum clementia legendus Livius, lib. XLV, cap. 7 et 8; Val. Max. lib. V, cap. 1, 8; p. 339, t. I, edit. nostræ. Ed.

22. *Nec te, dire Syphax*. Hic *in te* ἀπὸ κοινοῦ repetendum. Non igitur recte mutavit Lilius Gyraldus, lib. IV Hist. Poet. Vivus captus Syphax in Numidia a Lælio et Masinissa, ductu atque auspiciis P. Corn. Scipionis Africani superioris, qui anno 552 de Syphace rege, Hannibale et Pœnis triumphavit : septimo post anno ex Macedonia et rege Philippo T. Quintius Flaminius an. 569 post U. C. Schottus. Syphax ante triumphum mortuus Tibure, et publico funere elatus est. Vid. Livius, lib. XXX, cap. 46. — *Nec fecit in hoste Philippo*. Intelligendus Pseudo-Philippus, qui se Persei filium ferebat, de quo legend. Freinshem. Supplem. libri L Livii; nam nunquam captivus fuit verus Philippus. Vid. t. IX, p. 133, ed. nostræ. Ed.

23. *Ludibria cuncta Jugurtha*. Scriptor de Viris illustr. auctor est, de Jugurtha triumphasse Q. Cæcilium Metellum, cui Numidici cognomen, anno 644. C. Marius consul iterum in triumphum duxit anno 649, et insaniens Jugurtha in Barathrum dejectus, « Juppiter, inquit, ut frigidum est hoc balneum ! » Hanni-

Digitized by Google

Abfuerunt, nostræque cadens ferus Hannibal iræ
Membra tamen Stygias tulit inviolata sub umbras.

bal vero hausto, quod annulo gestabat, veneno, periit anno ab U. C. 571. Schottus. *Ludibria cuncta.* Quo modo cuncta? quum ipsa triumphalis vinctorum traductio ludibrium. An ita accipiendum, postquam triumphatus est, nullum aliud ludibrium ei adhibitum? *Ludibria* autem sunt contumeliæ in cadaver. Tacitus, lib. I Annal. « Data utrique venia, facile Semigero, cunctatius filio, quia Quintilii Vari corpus illusisse dicebatur ». Idem, II Hist. « Funus maturatum, ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput, ludibrio futurum ». An potius, *ludibria tanta Jugurtha*, quod omni laude exculto Schelio nostro videbatur, et mihi quoque est simillimum veri. Gronov. — Hanc ultimam conjecturam pæne admisi; sed *cuncta* facile potes intelligere *omne genus ludibriorum.* Ed.

24. *Afuerant* vel *abfuerant* ediderunt Scaliger, Pithœus, Stephanus. *Abfuerunt* Heinsius, quem sequitur Gorallus. Perperam autem Crinitus *affuerat* legit, et sic in quibusdam edd. Senecæ esse affirmat Schottus. Sic sup. v. 9, *profuerant* et *profuerunt.* — *Nostræque cadens ferus Hannibal*, forte *nostræ cedens ferus Hannibal iræ;* vel sic: *nostrisque cadens* (aut *nostris cedens*) *ferus Hannibal armis.* Sic *dirus* quoque Hannibal ab Horatio vocatur Carm. II, od. 12, et explicat P. Victorius, Var. lect. lib. II, cap. 24, et lib. XIII, cap. 20. Schottus. Hæc integra et sana, etsi non nemo conjecturis sollicitat. Tacit. de Moribus Germ. 33: « Super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque cecidere ». Passim tertius ille casus vel honorem, qui affertur, vel voluptatem, vel et caussam quamcumque et auctorem rei denotat. Helena de se Troad. Senecæ, 896: « Tibi fluxit Asiæ, fluxit Europæ cruor ». Schultingius. Perperam Stephanus, *nostraque cadens ferus Hannibal ira;* et sic in editione Scaligeri, ubi tamen Francius etiam correxerat *nostræ iræ.* Burm. Bene Gorallus ait metaphoram esse desumptam a victimis, quæ cadere dicebantur Deo, cui mactabantur. Virg. Æneid. I, 338: « Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra ». — Et sic usurpavit auctor Elegiæ de Fortunæ vicissitudine, hujus nostri operis tomo II, p. 299, vs. 12: « Qui cecidit Divis, surgere nemo valet ». Ed. — Hannibal sane cecidit, ut victima, Romanæ iræ, qui exsul et hospes apud Prusiam regem agens prævidebat, fore aliquando, ut Romanis poscentibus dederetur, aut necaretur, nisi ipse fatum suum voluntaria morte præciperet.

Digitized by Google

EJUSDEM

ALIA FRAGMENTA.

I. Ex M. Annæi Senecæ Suasoria II.

Occurrit mihi sensus, in ejusmodi materia, a Cornelio Severo dictus, tamquam de Romanis, nescio an parum fortiter. Edicta in posterum diem pugna, epulantes milites inducit, et ait :

> .....Stratique per herbam
> Hic meus est, dixere, dies.

Elegantissime quidem affectum animorum, incerta sorte pendentium, expressit; sed parum Romani animi servata est magnitudo : cœnant enim tamquam crastinum desperent.

II. Ex Persii Scholiaste, ad Sat. I, 59.

Omnia epicorum carmina ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos σπονδαίζοντας appellant, ut apud Corn. Severum :

> Pinea frondosi coma murmurat Apennini (1).

1. *Coma murmurat Apennini.* Pinuum vero agitatarum, ob folia acuta, singularis strepitus, immo cantus celebratur a poetis. Confer Theocriti primum versum Idyll. I, et quæ notavimus ad II (vid. huj. operis t. I, parte II, p. 635. Ed.) fragmentum Sereni : « Pinea brachia quum trepidant, Audio canticulum Zephyri ».

Digitized by Google

III. Ex Sosipatro Charisio, Instit. Gramm. lib. I, pag. 61, edit. Putsch.

Galeros masculino genere dixit... Corn. Severus :

.....flavo prætexerat ora galero.

IV. Ibidem, pag. 61.

Neutro genere *sibilum* quidam dixerunt... Cornelius Severus :

Et sua concordes dant sibila clara dracones.

V. Ibidem, pag. 66.

Successor cum masculino genere proferatur, Corn. Severus etiam feminine dixit :

Ignea nam cælo ducebat sidera Phœbe,
Fraternis successor equis.

Successor equis. Non alia ratio est vocis *successor,* quam cæterorum nominum, quibus munera et officia significantur, ut auctor, sacerdos, vates, augur, comes, quæ feminino æque ac masculino genere usurpari possunt. Quin adeo masculina nomina, loco participiorum, nominibus feminini neutrive generis apposita reperiuntur. *Corruptorem aurum* et *lenones undas* vidimus supra. — Conferatur nostra adnotatio ad hujus operis tomum II, pagg. 293 et 328. Ed. — Cæterum ad verba hujus fragmenti prope accedit descriptio Luciferi apud Stat. Theb. VI,238: « Roscida jam novies cælo dimiserat astra Lucifer, et totidem Lunæ prævenerat ignes Mutato nocturnus equo ».

VI. Ibidem, pag. 77.

Antistes habet *antistita*... Corn. Severus :

Stabat apud sacras antistita numinis aras.

Digitized by Google

VII. Ibidem, pag. 83.

Serta neutro genere dicuntur... sed Propertius feminine extulit... et Corn. Severus:

Huc ades Aonia crinem circumdata serta.

VIII. Ex Diomedis lib. I, pag. 372, edit. Putsch.

Severus :

... .distractos atque salitos.

Atque salitos. Non Severi, sed Sereni hoc fragmentum esse, jam notavimus. — Vid. adnot. ad hujus nostri operis tomum II, pag. 645, ad Sereni fragm. XXVIII. Ed. — Ipsa verba significant, sumpta ea e carmine, quod de re rustica agebat, quale fuit Sereni. — *Distracti* esse videntur dissecti, aut directi, quod erat in versu Elegiæ in obit. Mæcen. 109, ubi vide notata nostra, sup. vol. II, p. 223. Ed.

IX. Ibidem, pag. 373.

Luxurior in crimine est, ut Corn. Severus ait:

Luxuriantur opes atque otia longa gravantur.

Luxuriantur opes. Luxuriantur est luxuriose profunduntur et abeunt; ut vidimus in versu Petronii: « In testa mersæ luxuriantur opes ». — Vid. adnot. nost. ad huj. op. t. II, p. 126, ubi hæc lectio discutitur. Ed.

X. Ex Prisciani lib. XI, pag. 910, edit. Pustch.

Corn. Severus in VIII de statu suo : *ad quem salliti pumiliones adferebantur.*

Digitized by Google

III.

DE

C. PEDONE ALBINOVANO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Ovidius ex Ponto, lib. IV, epist. x, quæ est ad Albinovanum, vs. 71-76.

At tu, non dubito, quum carmine Thesea laudes,
Materiæ titulos quin tueare tuæ;
Quemque refers, imitere virum: vetat ille profecto
Tranquilli comitem temporis esse fidem.
Qui quamquam est factis ingens, et conditur a te
Vir tanto, quanto debuit ore cani.

II. Idem, ibidem, Epist. xvi, vs. 6.

Iliacusque Macer, sidereusque Pedo.

III. L. Ann. Seneca, Epist. cxxii.

Pedonem Albinovanum narrantem audieramus (erat enim fabulator elegantissimus), habitasse se supra domum Sp. Papinii. Is erat ex hac turba lucifugarum. Audio, inquit, circa horam tertiam noctis flagellorum sonos; quæro quid faciat? dicitur rationes accipere. Audio circa horam

Digitized by Google

sextam noctis clamorem concitatum; quæro quid sit? dicitur vocem exercere. Quæro circa horam octavam noctis, quis sit ille sonus rotarum? velle gestari dicitur. Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur; quæro quid sit? dicitur mulsum et alicam poposcisse, a balneo exisse. Excedebat, inquis, cœna ejus diem? minime, valde enim frugaliter vivebat, nihil consumebat nisi noctem. Itaque crebro dicentibus quibusdam illum avarum et sordidum; vos, inquit, illum et lychnobium dicetis.

IV. Quintilianus, Instit. Orat. lib. X, cap. 1.

Rabirius ac Pedo non indigni cognitione, si vacet.

V. Martialis, lib. II, epigr. lxxvii, vs. 5, 6.

Disce, quod ignoras, Marsi doctique Pedonis
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.

VI. Idem, lib. V, epigr. v.

Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.

VII. Sidonius Apollin. Carm. IX, v. 256.

Non Gætulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus.

VIII. Lil. Greg. Gyraldus, Hist. Poet. Dial. IV.

Erat cum his et Pedonis Albinovani imago, cujus, si vacet, oratore non indignam fuisse lectionem putavit Fabius. Reponit eum quidem inter poetas heroicos. Ejus me-

Digitized by Google

minit et Seneca, a quo et ejus quædam adferuntur carmina, atque ea in primis, quæ sunt de Germanici Navigatione, quæque magno spiritu dicta fatetur. Alibi vero idem fabulatorem fuisse ait elegantissimum. Meminit hujus et Martialis. Exstat Ovidii Elegia ad hunc ipsum Albinovanum, ex qua colligimus eum Thesei gesta scripsisse, præter epigrammata. Sublimem vero et altiloquum Pedonem fuisse ostendit idem Ovidius, qui propterea et alicubi sidereum eum appellavit. Sunt qui putent hunc eumdem Albinovanum fuisse, ad quem exstat Horatii Flacci epistola; quod ut ego non refello, temporum ratione, ita non comprobo, nominis et poeticæ differentia. Ille enim Clarus (Celsus) Albinovanus, hic Albinovanus Pedo : hic poeta cognoscitur, ille ex Horatii carmine parum videtur.

— Ad hæc de Pedone testimonia adjici possunt quæ Wernsdorfius de isto non ignobili poeta disserit ad tomum hujus nostræ editionis II, p. 176-179, ubi varia de hoc testimonia discutit, et de Elegiis ei vulgo adscriptis luculenter disserit. Vide etiam quæ disseruimus in Præfatiuncula *Consolationis ad Liviam;* Ovidii nost. edit. tom. I, pag. 399 sqq. Ed.

Digitized by Google

C. PEDONIS ALBINOVANI

FRAGMENTUM

DE

NAVIGATIONE GERMANICI

PER OCEANUM SEPTEMTRIONALEM.

JAM pridem post terga diem, solemque relictum,
Jam pridem notis extorres finibus orbis,

1. *Jam pridem.* Hoc fragmentum nobis servavit Seneca, Suasoria I, quod antequam recitet, ita præfatur: « Latini declamatores, in Oceani descriptione, non minus viguerunt; nam aut tumide scripserunt, aut incuriose. Nemo illorum potuit tanto spiritu dicere, quanto Pedo, qui, navigante Germanico, dixit: *Jam pridem*, etc. » Respicit ad navigationem Oceani, quam tentavit Germanicus Drusi F. et quam describit Tacitus Annal. lib. II, cap. 23. GORALLUS. Deest in principio fragmenti verbum, a quo priores versus pendeant, e. g. Viderunt, aut dixerunt. Hoc non animadvertens Gronovius putavit versu 3 pro *ire tenebras* legendum esse *isse pigebat*, h. e. pœnitebat Drusum Germanicum, vel potius comites ejus, *audaci* consilio *iisse per non concessas metas*, etc. — *Post terga diem.* Sic Claudianus, lib. II in Rufinum, « mundum post terga relinquam »; et Prudent. in Cassiano, « Et post terga domum dubia sub sorte relictam »; et in Hamartig. « post terga tenebras reliquerunt ». Spartianus in Severo: « quas post tergum relinquebat provincias ». SCHOTTUS. Hæc ideo, quia Oceanum Septemtrionalem Germanicum cum exercitu navigare aut navigaturum credebat poeta. SCHULTING.

2. *Jam pridem notis.* Burmannus hic pro altero *Jam pridem* conjicit *Jam piget*, ut connectat cum sequente verbo *ire:* de qua ratione idem sentio, quod de Gronovii emendatione ad priorem versum memorata.

Digitized by Google

Per non concessas audaces ire tenebras
Hesperii metas extremaque litora mundi.
Nunc illum, pigris immania monstra sub undis
Qui ferat, Oceanum, qui sævas undique pristes,
Æquoreosque canes, ratibus consurgere prensis.

3. *Per non concessas audaces ire tenebras.* Pertinebant enim hæ ad zonam frigidam, quam Virg. Georg. I, 237, negat « mortalibus ægris munere concessam Divum ». Hinc infra, « aliena quid æquora remis Et sacras violamus aquas? » Schult. Burmannus conjicit *concessas audacibus*, ut in Cassii Parm. Orpheo: « Ausus et ire viam mortalibus inconcessam ».

4. *Hesperii metas.* Inter hæc duo particulam periisse suspicor, et hanc esse caussam totius difficultatis, quæ adhuc torsit eruditos: ea nulla est, si legas: « Hesperii ad metas extremaque litora mundi ». Quia sub vertice arctico quandoque nullus apparet sol, perpetuæque sunt tenebræ, inde Hesperii mundi metas et extrema litora illic locare videtur. Plinius: « Nemo sub vertice arctico sex mensibus videt solem »: inde præbita materia exaggerandi poetis. Schulting. Nihil opus est emendatione Schultingii: nam particula *ad* frequentissime omittitur post *ire* et similia verba. Virg. Ecl. I, 65: « sitientes ibimus Afros,... veniemus Oaxem ». Idem, Æn. VI, 696: « hæc limina tendere adegit ». Ovid. Metam. III, 462: « Verba refers, aures non pervenientia nostras ». Gratius, Cyneg. 63: « cælum aggeribus tentare superbis, Ire freta ».—Plura ad hunc locum notata a nobis vide tomo I hujus operis, pag. 78. Ed.

5. *Pigris immania monstra.* Pigrum, h. e. crassæ uliginis, immotum, limosum et difficulter navigabilem Veteres credebant Oceanum extremum ad Septemtrionem et Occidentem. Tacitus, Germ. cap. 45: « Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat ». *Immania monstra* belluæ marinæ et balænæ quasi proprie dicuntur. Horatius, Carm. III, 27, 26, « scatentem belluis pontum » vocat. Cato in Diris, v. 55: « Pigro multa mari dicunt portenta natare »; et Halieut. Nemes. vs. 65: « Fluctibus occiduis dicunt hæc monstra vagari ». Ad utrumque locum vid. adnot. nostra.

6. *Sævas undique pristes.* Sic Scaliger et Schottus scribendum monuit, quum Pithœus et alii legant *pestes*. Est autem pristis piscis ingens marinus, habens gladium osseum dentatum, serræ instar ex ore eminentem, unde et nomen accepit, nempe ἀπὸ τοῦ πρίζειν, id est, serra dividere. Solet *pristis* et *pestis* sæpe permutari a librariis, ut in illo Ciris Virg. v. 451: « Æquoreæ pestes, immania corpora ponti, Undique conveniunt », ubi aliæ edd. *pisces* legunt, rectius vero *pristes* ibi legi Heinsius atque Heynius censuerunt.

7. *Æquoreosque canes. Canes ma-*

Digitized by Google

Accumulat fragor ipse metus, jam sidere limo
Navigia, et rapido desertam flumine classem,
Seque feris credunt, per inertia fata, marinis
Jam non felici laniandos sorte relinqui.
Atque aliquis prora spectat sublimis ab alta,

rini vocantur Virg. Ecl. VI, 77, et Ciris, 61 : describit eos Plinius, lib. IX, cap. 46. — *Consurgere* interpretes nonnulli sumunt pro exoriri in alium et invadere hostiliter, et trahunt ad æquoreos canes, quos dicunt naves prensas vel apprehensas conscendere et invadere conatos. Quod plane falsum puto. *Consurgere* referendum ad Oceanum, quem Pedo dicit coorta tempestate intumuisse, et naves eo turbine prehensas. Sic Virg. Æneid. VII, 529 : « Paullatim sese tollit mare, et altius undas Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo ». Val. Flacc. I, 625 : « Non hiemem missosque putant consurgere ventos Ignari, sed tale fretum ». — *Prensas* vero naves non a canibus marinis, sed a tempestate et fluctibus intelligi debere, infinita fere loca poetarum ostendunt. Horat. Carm. II, 16, 2 : « in patenti Prensus Ægæo ». Catullus, Carm. 25 : « velut minuta magno Deprensa navis in mari vesaniente vento ». Taceo alia a Burmanno adducta. Cæterum variant codices in voce *prensis*. Scaliger quidem edidit *pansis*, et hoc in codd. August. Covar. Bru. et Vatic. esse affirmat Schottus, qui et *pandis* conjicit ; sed *prensis* dedit Pithœus, Gorallus, Burmannus, firmantque codd. Vossii et Petav. et frequens usus poetarum.

8. *Jam sidere limo*. Petreium Tolet. et Schottum, qui sidus limum, h. e. solem obliquum ridicule intellexerunt, recte refutant Gronovius et Schultingius, qui *sidere*, i. e. considere et hærere limo, docent pertinere ad *credunt*. Sic Ovid. Fast. IV, 300 : « Sedit limoso pressa carina vado ». Tacit. Ann. I, c. 70 : « Quo levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret ».

9. *Rapido desertam flamine*. Sic omnes edd. sed recte Gorallus edidit *flumine* : nam sidunt naves, quod deserantur flumine, h. e. fluctibus marinis, non flamine, h. e. vento. Sic in Virg. Catal. V, 24 : « appulsæ rates Stant, in vadis cœno retentæ sordido, Macraque luctantes aqua ».

10. *Seque feris tradunt* ediderunt Scaliger, Pithœus, et Burmannus, perperam. Recte Gronovius et cum eo Gorallus *credunt*, quod ipsum constructio poscit : credunt desertam flumine classem, et se relinqui laniandos feris. — *Per inertia fata*, h. e. ignavo mortis genere, quale est fame et maris fluctibus perire.

11. Omnes quidem exhibent *Tam non felici*, et Burmannus ait, *tam laniandos* dici pro tantopere ; ego tamen aptius putem *Jam non*, quod Gorallus dedit. *Quam non* Heinsius putabat. — *Laniandos* a canibus marinis ; ut Virg. Ecl. VI, 77 : « Ah ! timidos nantas canibus lacerasse marinis ».

12. *Atque aliquis prora se dat*. Sic Scaliger edidit, et sic codices habere affirmat Schultingius. — *Spectat*

Digitized by Google

Aera pugnaci luctatus rumpere nisu;
Ut nihil erepto valuit dignoscere mundo,
Obstructo tales effudit pectore voces:
« Quo ferimur? Ruit ipse dies, orbemque relictum
Ultima perpetuis claudit natura tenebris.
Anne alio positas ultra sub cardine gentes,
Atque alium libris intactum quærimus orbem?

edd. Pithœi, Gronovii, cod. Petav. et Voss. testante Burmanno. Nic. Faber censet *spectans*, Gronovius *pendens sublimis*; Pithœus margini exemplaris sui in biblioth. Paris. adscripserat *se dans*.

13. *Rumpere nisu* omnes editiones exhibent; *visu* tamen placuit Schotto et aliis. Gorallus tuetur *nisu*, quocum ego facio, et fateor, neque, *rumpere visu* neque, *pugnax visus* quomodo dici possit, me non satis intelligere. At *nisum* pugnacem intelligo, quando quis corpore manibusque jactatis crassam caliginem rumpere et discutere conabatur.

14. *Erepto mundo*, i. e. cælo densitate nebularum obducto. Sic Lucilius in Ætna, v. 54, « removet caligine mundum », i. e. caligine obducta cælum visibus eripit. Virg. Æn. I, 88: « Eripiunt subito nubes cælumque diemque Teucrorum ex oculis ».

15. *Effundit* Scaliger edidit. — *Obstrictum* in codice invenit Schottus: *obstricto* voluit Barthius ad Gallum Confess. pag. 103, Oudendorpius *adstricto*, scilicet præ metu angusto et anxio pectore. At ego nihil aptius, quam vulgatum *obstructo*, puto. Vult enim crasso aere vitalia obstructa, et spiritum propemodum interclusum.

17. *Perpetuis claudit*. Francius conjecit *condit*, Oudendorpius *damnat*: neutrum melius est vulgata lectione *claudit*. Hoc enim volunt nautæ meticulosi, quoniam jam orbis post terga relictus, ipseque dies defecisse videbatur, hinc eo loco videri finem et terminum orbis a natura positum in perpetuis tenebris esse. Similis dictio est Horatii, Carm. III, 24, 37: « fervidis pars inclusa caloribus Mundi ».

18. *Anne alio positas ultra*. Schottus affirmat alios legere: *Anne alio mundi positas sub cardine gentes*: alios *Anne alio positas cæli sub cardine gentes*. Ipse invenit *ultra* in veteri libro. Atque hoc firmat Elegia ad Messal. v. 53: « Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem, Vincere et Oceani finibus ulterius ».

19. *Alium libris intactum*. Valde suspicor cum Burmanno, hoc corruptum esse. Quamvis Gorallus exponat *alium orbem, de quo literarum monumentis nihil proditum est*, credo tamen, hoc si voluisset poeta, *indictum* potius, quam *intactum libris*, dicendum fuisse. Persæpe Romanis scriptoribus *intactæ* gentes et regiones dicuntur, ad quas arma Romana non pervenerunt, intacti Britanni, intacta Arabia. Pro hac consuetudine loquendi absonum est, *intactum libris* orbem dici. Neque tamen, quid ejus loco reponendum sit, facile liquet. Burmannus conjicit *nobis* vel *proavis intactum*; Petr.

Digitized by Google

Di revocant, rerumque vetant cognoscere finem
Mortales oculos : aliena quid æquora remis
Et sacras violamus aquas, Divumque quietas
Turbamus sedes? »

Scriverius ad marginem editionis Scaligeranæ, *Libycis intactum*, cujus rationem non intelligo; Oudendorpius *lembis*, seu navibus. Ego tentarem *lauris*, h. e. victoriis nostris, vel *labaris .intactum*, si constaret hoc vocabulum satis antiquum esse.

20. *Di revocant.* Insignis est locus Taciti hanc in rem, Germaniæ cap. 34 : « Ipsum quin etiam Oceanum illa tentavimus, et superesse adhuc Herculis columnas ; fama vulgavit... Nec defuit audentia Druso Germanico; sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis Deorum credere, quam scire ». GORALLUS.

21. *Mortales oculos.* Veterum opinio erat, quæ Dii seposuissent sibi, aut quæ loca ipsi tenerent, hæc nefas esse humanis oculis adspici. Lucilius in Ætna, v. 193 : « arcent aditu, divinaque rerum Cura sine arbitrio est ».

22. *Divumque quietas.* Veterum opinione, quidquid extra fines orbis terræ est, id Deorum sedes habebatur. Hinc Oceanum, qui orbem finit, Homerus dicit *originem Deorum*, Il. Ξ, 201 : Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν. Nam ex Oceano oriri dicuntur sidera, qui et Dii. Et de Oceano secundum Septemtriones ad ortum porrecto Tacitus, Germ. c. 45 : « Sonum insuper (emergentis) Solis audiri, formasque Deorum (alii *equorum*) et radios capitis adspici, persuasio adjicit ». — Vide Tacitum nost. ed. t. IV, p. 81, ibique notas et varias lectiones. ED.

Digitized by Google

PROOEMIUM

NOVI EDITORIS.

Quam in hoc poematio Saleii Bassi explicando operam posuit Wernsdorfius, haud parum illa juvari et locupletari poterat, si quidem illi contigisset, ut, quas paullo ante vir doctus elucubraverat in illud observationes, maturius quam potuit, obtineret. Scilicet vir nobilissimus Jo. Aloysius Lagonia vel Laguna, Polonus, qui acerrima inter studia, quibus veteres scriptores Græcos et Romanos id temporis versabat, quum Lucani aliquando edendi, plurima exemplaria, scripta et impressa, copiosioribus in bibliothecis excusserat, tum etiam super carmine in Pisonem, Lucano vulgo adscripto, multa collegerat et adnotaverat. Is quum Goettingæ commoraretur, hortatu Heynii adductus est, ut postquam hujus carminis cum Lucano edendi consilium abjecisset, cum Wernsdorfio quæ de illo poematio meditatus erat communicaret. Qui quoniam commentationes suas in hoc poema ita jam perscriptas et consummatas habebat, ut iis typographo partim jam traditis, partim tradendis, inserere viri doctissimi observationes non liceret, tamen acute cogitatas videns castigando illustrandoque carmini multum profuturas, committere non voluit ut laboris eruditi fructus periret. Itaque has notas in addendis ad hunc tomum inseruit, et ego, ut soleo, singulas feliciori consilio, quoniam potui, suo loco adscripsi.

Pauca quidem variatæ lectionis exempla attulit Lagonius, quæ non Cortius, aut Wernsd. ipse attulisset; repetere tamen pleraque voluit Noster, quod ille ad singula

Digitized by Google

libros, in quibus leguntur, quosque Cortius nominare neglexit, accurate indicasset. Contulit autem libros, in quibus carmen ad Pisonem exstat, hosce: *Myc.* i. e. Micylli librum Heroidum Ovidii, Francof. 1599, in-8. *Bersm.* i. e. Bersmanni Lucanum, Lips. 1589, in-8. *Hadr. Junii* Animadvers. ex edit. Roterod. 1708, in-8. *Scaligeri* Append. et Catalecta, edit. 1573, quæ prima; edit. 1595 cum notis Lindenbr. quæ secunda; ad quam facta est tertia 1617. *Pithœi* Epigramm. et poem. vet. Genevæ 1596, in-8. *Col.* i. e. Veterum poet. carm. select. voll. II, Coloniæ Agripp. 1596, in-12. *Corp. Aur.* i. e. Corpus omnium vett. poet. Lat. Aureliæ Allobrogum, 1611, in-4. *Maett.* i. e. Maettarii Corpus poetarum, Lond. 1713, fol. Adhibuit præterea excerpta ex libro chartaceo manuscripto, in bibliotheca una Varsaviensi reperto, qui partem Catalectorum Ovidii, a Goldasto editorum, in iisque carmen ad Pisonem, nullo auctoris nomine adscripto, continebat: cui quidem ipse vir doctus parum tribuit, quod recentem admodum et inscite scriptum esse vidit. Quoniam tamen e varietatibus vel aberrationibus librarii nonnunquam indicia bonæ lectionis eruit, et subinde doctorum virorum et suas conjecturas adspersit, digna omnino hæc existimavi, quæ cum lectoribus meis communicarem.

Digitized by Google

DE CARMINE

IN CALP. PISONEM

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Hadrianus Junius, Animadvers. lib. VI, cap. 1.

Eamdem injuriam sensit et Annæus Lucanus, cujus legitur juvenile carmen ante vicesimum ætatis annum procusum, quodque alieni nominis mangonio inter Ovidiana opuscula subrepsit, reclamante carminis majestate, Nasonianæ simplicitati longe dissimili.

II. Casp. Barthius ad Stat. Silv. V, 2, p. 456.

Similia sunt in carmine ad Pisonem, quod nobis aliquando adolescenti Papinio adscribendum videbatur, cui rei minime contradicunt tempora. Piso enim ille periit anno ab U. C. 818; Domitianus imperium orsus anno 834, ut etiam tricennio post scriptum id carmen Papinius in Poetica floruerit. Nec abludunt cætera, de quibus in Commentariis Dubiorum Scriptorum agitur.

III. Idem ad Stat. Theb. XII, 654, tomo III, p. 1540.

Auctor Panegyrici (si sic vocare libet, quum tamen id carmen a panegyrico longe absit) Lucano adscripti.

IV. Idem, Advers. lib. XLIX, cap. 7 extr.

Est autem poema ἀτέλεστον et in libros aliquot fuisse divi-

Digitized by Google

sum videtur, vel ex solo fine, adeo alioquin dulce, cultum et eruditum, ut malim aliis tertio prolixioribus tanto carere, quam isto: quod sane quum viri summi Scaliger, Pithœus, Junius, aliique Ovidio aut Lucano adscripserunt, non considerarunt, manuscripta exemplaria desipere in talibus mirifice solere: quum nihil in stylo scripti, nec in persona scribentis sit, quod ferre possit alterum ex illis.

Plura Barthii, ut et Scaligeri et Lipsii, loca de isto carmine dedimus in Prœmio huj. tomi III, pag. 47 sqq. Ed.

V. Ger. Jo. Vossius, de Hist. Lat. lib. I, cap. 26.

Lucani quoque est panegyricus ad Calpurnium Pisonem, cujus initium: *Unde prius cœpti.* Sane in veteri scheda manuscripta reperit Scaliger ejusmodi inscriptionem, *Lucani Catalecton de laude Pisonis.* Piso vero hic est is, qui adversus Neronem conspiravit..... Vulgo Ovidio id carmen tribuitur; etiam a Car. Sigonio in tertio de Judiciis, cap. XXVIII, ubi ut Ovidianos citat hos versus: *Seu trepidos ad jura decem,* etc. Lucano nulla ratione adscribi ait Barthius, Adv. lib. XLIX, cap. 7. Sed eum refellunt, quæ diximus.

VI. Franc. Oudendorpius in adnotat. X ad vitam Lucani e commentario antiquissimo, quam Lucano præmisit.

Quod attinet ad carmen incerti auctoris ad Pisonem, nequaquam ego putem cum Scaligero, H. Junio et G. J. Vossio, Lucano nostro adscribendum esse: quare etiam hic imprimi non jussi ob rationes, quas validas satis adduxerunt Barthius, Dempsterus ad Rosinum, Fabricius in Bibliotheca Latina. Stylus etiam ejus carminis languidus et repens a genio Lucani nostri adeo alienus est, ut dubitare vix queam, quin hoc carmen alium quemvis, quam Lucanum, habeat auctorem, forsan Statium.

Digitized by Google

DE

SALEIO BASSO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Quintilianus, Instit. Orat. lib. X, 1, 90.

Vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum.

II. Auctor Dialogi de Orat. cap. 5.

Quis nescit (inquit Secundus), neminem mihi conjunctiorem esse et usu amicitiæ, et assiduitate contubernii, quam Saleium Bassum, quum optimum virum, tum absolutissimum poetam?

Idem, cap. 9.

Quis Saleium, nostrorum egregium poetam, vel, si hoc honorificentius est, præclarissimum vatem, deducit, aut salutat, aut prosequitur? *Post pauca :* Laudavimus nuper, ut miram et eximiam, Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset.

III. Juvenalis, Sat. VII, v. 80.

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis; at Serrano, tenuique Saleio
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?

Scholiastes vetus ad hunc versum : *Nomina,* inquit, *sunt poetarum pauperum.*

Digitized by Google

IV. Martialis, lib. V, epigr. 53.

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaethon.

Plura ad Bassum epigrammata, partim obscena et διασυρτικὰ, scripsit Martialis, in quibus vix dubium est, ficto eum Bassi nomine uti. Nonnulla tamen, ut hoc, quod poetæ scriptum est, videntur ad Saleium posse referri. Quod si verum est, apparet, invidum et obtrectatorem Saleii Martialem fuisse, qui etiam paupertatem et vanitatem Basso objicere videtur lib. III, epigr. 47 et 58; V, 23. Magis ad honorem Bassi est Martialis epigramma 96 libri VII, quo epitaphium scribitur Urbico infanti, Bassi filiolo, quem Saleium Bassum esse suspicatur Raderus:

Conditus hic ego sum, Bassi dolor! Urbicus infans,
Cui genus et nomen maxima Roma dedit, etc.

V. Angelus Politianus in Nutric. pag. 542 Oper.

An taceam Bassum gravido tua dona ferentem,
Vespasiane, sinu? et fantem Sicula arma Severum?

VI. Petrus Crinitus, de Poet. Lat. cap. LXI.

Saleius Bassus his temporibus Romæ claruit, quibus in eloquentia nobiles habiti sunt Domitius Afer, Julius Secundus, Trachalus, et Vibius Crispus. Ingenio magno fuit, et in versibus componendis vehementer excitato. Inter eos poetas relatus est, qui carmen heroicum decantarunt. Quintilianus Val. Flaccum, Saleium Bassum, et Rabirium inter epicos nominat, quo loco Virgilium, Ennium ac Lucanum ponit. Laudatur ab antiquis magnopere Saleius; neque

Digitized by Google

tantum ut vir optimus, sed ut poeta egregius atque absolutissimus. Coluit præcipua benevolentia et usu contubernii Lucanum Cordubensem, et Julium Secundum, qui inter summos oratores suæ ætatis celebratur. Cæsar autem Vespasianus plurimi fecit Saleii ingenium atque doctrinam, tantumque illi concessit, ut inter illustria monumenta positum sit, Augustum Vespasianum quingentis HS elargitum fuisse Saleio Basso, propter ingenium singularemque eruditionem. De quo scribuntur complura a Corn. Tacito. Juvenalis quoque in Satiris de hoc Saleio meminit, eumque tradit maxime nobilem fuisse, sed exiguo ac tenui censu.

VII. Gyraldus, de Poet. hist. dial. IV, p. 241.

Saleius Bassus in pangendis heroicis per hæc tempora claruit, amatus vero inprimis a Vespasiano, atque ab eo quingentis sestertiis donatus, et præterea positus inter illustria monumenta, quia et illum Cornelius Tacitus in historiis egregium poetam et præclarissimum vatem nuncupat.

Cætera non addimus, quia tantum superiora repetunt.

Digitized by Google

IV.

SALEII BASSI

AD

CALPURNIUM PISONEM

POEMATION,

LUCANO VULGO ADSCRIPTUM.

ARGUMENTUM.

C. Calpurnii Pisonis, viri consularis, comitate liberalitateque eximii, gratiam Saleius Bassus, ingeniosus sed tenui fortuna homo, hoc carmine laudes ejus persequente ambit. De nobilitate gentis, et rebus bellicis majorum pauca præfatus, Pisonem affirmat artibus pacis maxime et togata militia enitere. Eloquentiam ejus summam prædicat, quum publice in foro, judiciis et curia, tum, prolatis rebus, domi declamando exercitam, et Græca æque ac Romana oratione spectatam: quam commendet insuper serena vultus gravitas, justa fides, liberalis et livore vacuus animus, et æqua erga omnes, qui modo probi reperiantur, ab omnique fastu aliena voluntas. Celebrari ergo domum ejus a multis hominibus, non insulsis illis et rudibus, sed elegantibus et variarum artium studiosis, propterea quod ipse tam felici indole natus sit, ut prono in omnes artes studio, sive graviores severioresque illas, sive leviores et otio oblectando aptas, feratur. Carmina eum solere facili stylo deducere, lyram pulsare eleganter, pugnare armis, lucta, cursu, pila exerceri, magno spectatorum applausu; inprimisque animum studiis fessum artificioso tabulæ et latrunculorum ludo relaxare: qui ludus hic luculente

Digitized by Google

describitur, et tota ratio tabulæ explicatur. His laudibus enarratis, hoc carmen, quasi pignus amoris sui, tradit Pisoni, et favore ejus ornari interque clientes recipi cupit, ut virtutibus ejus assidue celebrandis apertius iter ad famam et claritudinem habeat. Quem in finem exemplum Mæcenatis commemorat, cujus favore excitati sint optimi poetæ, ut carminum excellentia sibi et Romanis suis gloriam parerent. Pisonem autem affirmat sibi Mæcenatis loco futurum, et, si ope ejus sublevetur, majora et excellentiora se ausurum promittit, et carminibus suis nomen et facta Pisonis famæ et æternitati traditurum.

Unde prius cœpti surgat mihi carminis ordo,
Quosve canam titulos, dubius feror: hinc tua, Piso,
Nobilitas, veterisque citant sublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes:
Hinc tua me virtus rapit, et miranda per omnes
Vita modos; quæ, si deesset tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis

1. *Unde prius...ordo*, h. e. a quibus rebus laudum tuarum principium ducam. Petronius, in fragmento, « major rerum tibi nascitur ordo ».—*Surgat*, exoriatur, incipiat; ut Virgil. Georg. III, 400, « surgente die », et Æn. IV, 43, « bella Tyro surgentia ».

2. *Dubius feror*. En dubia mente agito mecum et delibero. Claud. in Ruf. I, 1: « Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem ».

3. *Citant*, monent me et vocant. — *Calpi*, filii Pompilii Numæ, a quo Calpurnii oriundi, ut scribit Festus, et Plutarchus in Num. cap. 21. Hinc Pisones ab Horatio, Art. Poet. 292, vocantur *Pompilius sanguis*. Ad quem locum vetus interpres filium Numæ non Calpum, sed *Calpur* appellat.

5, 6. *Per omnes Vita modos*. Modos vitæ vocat vivendi agendique rationem et quasi formas diversas, temporibus, locis, rebus et hominibus, quibuscum vivitur, accommodatas. Sic Horat. Epist. II, 2, 144: « Nimirum sapere est...verse numerosque modosque ediscere vitæ ».

7. *Eadem pro nobilitate fuisset*. Juvenal. Sat. VIII, 20: « Tota licet veteres exornent undique cerse Atria, nobilitas sola est atque unica virtus ».

8. *Fulta triumphis*. Fortasse, *culta triumphis*, Cort. *Fulta tropæis* voluit Heinsius. — *Avitis fulta triumphis*. Triumphi nominantur pro signis et monumentis triumphorum. Ea possunt esse vel imagines majorum habitu triumphantium pictæ, quemadmodum Juvenalis, VIII, 3, inter

Digitized by Google

Atria, quid pleni numeroso consule fasti,
Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus est in origine sola.
Felix, qui tantis animum natalibus æquas,
Et partem tituli, non summam, ponis in illis,
Ipse canendus eris: nam quid memorare necesse est,
Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?

pictos majorum vultus refert *stantes in curribus Æmilianos;* vel arma hostilia postibus aut columnis ædium adfixa, quo modo Silius Ital. VI, 435, domum Attilii Reguli ornatam dicit: « Adfixi clypei, currusque et spicula, nota Ædibus in parvis *magni monimenta triumphi*, Pulsabant oculos ». Atque ut de his potissimum intelligamus Nostrum, movet vulgata lectio *fulta triumphis atria*, h. e. iis fulta columnis, quibus adfixa sunt *triumphorum* signa, quemadmodum Juvenali, VII, 182: *Numidarum fulta columnis* dicitur *cœnatio*. — Pariter Claudian. Belli Get. 223, *fulta auro laquearia* dicit, fulta aureis columnis. Ed.—Hoc pacto, carere possumus emendationibus Cortii et Heinsii, quas initio hujus notæ retulimus, licet lectionem *tropæis* adoptet Burmannus ad Anthol. Lat. tomo I, p. 207, ubi multa de ritu Romano arma hostilia ædibus adfigendi collegit.

9. *Pleni numeroso consule fasti.* Ita Lucanus, VIII, 270: « an Libycæ Marium potuere ruinæ Erigere in fasces, plenis et reddere fastis », ubi male quidam præferunt *fatis*. Aldus. Lagonius.

10. *Si vita labat*, Mic. Bersm. Col. *cui vita* Jun. Scal. tres Pith. Corp. Aur. Maett. Ed.—*Si vita labat*, deficit moribus, et gloriam majorum destituit. Ut Horatius, Carm. IV, 4, 35: « Utcumque defecere mores, Dedecorant bene nata culpæ ». Sic usurpavit Sueton. Tib. c. 33: « Si qua in publicis moribus desidia, aut mala consuetudine labarent, corrigenda suscepit ».

11. *Nobilitas.* Jun. Scal. Pith. *Gentis honos*, Mic. Bersm. Col. Ed. — *Nobilitas.* Non ego reprobaverim, quod pro *nobilitas* cl. Bersmannus dedit, *Gentis honos*. Non enim auctor ipsam nobilitatem, vel generosam originem hominis nobilis significare vult, quæ non perit, sed honorem, quem homo nobilis a gente sua capere potest. Hic perit, si non propria virtute fulciatur. Atque igitur, quum *nobilitatem* ante jam toties nominasset, potest maluisse hic variata dictione *gentis honorem* dicere.

12. *At tu, qui tantis*, Mic. Bersm. Col. Reliquæ *Felix qui*. Verum videtur *At tu*, nam melius superioribus respondet. Sententia protrahitur ad v. 14: « At tu... qui... æquas... qui... ponis, Ipse canendus eris », non tantum domus et natalium splendor. *Felix* hic plane ἄτοπον. Al. Lagon. — *Natalibus æquas.* Bersmannus ad hæc notat versus Ovidii, Pont. II, 3, 1: « Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas, Nec sinis ingenium nobilitate premi ».

15. *Calpurina* Col. vitiose. Ed. — *A Calpo.* Vid not. ad v. 3. — Cf.

Digitized by Google

Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa quum pinseret hordea dextra?
Nec si cuncta velim, breviter decurrere possim;
Et prius ætheriæ moles circumvaga flammæ
Annua bis senis revocabit mensibus astra,
Quam mihi priscorum titulos, operosaque bella

Festus Dacerii, pag. 63; quidquid et Joannes Harduinus contra dicat ex nummo, forte male intellecto, quem Plutarchus certe non vidit, Opp. select. p. 691. LAGON.

16. *Cognomina prima.* MS chart. *primam.* Videtur fuisse *primum*, i. e. primum cognomina tulit, *quum pinseret.* Et profecto ingrata illa: *cognomina, prima, humida, callosa... hordea dextra.* Vel potius sic interpungemus: *tulerit cognomina, primum Humida*, etc. Scaliger volebat *Fumida*, male: neque enim tunc torrentur, quod fit ante trituration-em. Ovid. Am. III, 10, 7: « Ante nec hirsuti torrebant farra coloni, Nec notum terris area nomen erat ». Pinsuntur in pistrinis, ubi vere humectantur. LAGON.

17. *Humida callosa.* Vir doctus: *Fumida*, male. C. Vid. not. sup. — *Humida callosa.* Magis placeret *Fumida.* Nam prius torrebantur, deinde saxo frangebantur. SCAL. Plinius quidem scribit lib. XVIII, 7, Italiam sine perfusione tostum hordeum in subtilem farinam molere, sed a Græcis perfusum aqua et rursus siccatum in pila tundi, deinde moli. Atque hic Græcorum mos forsan priscorum Romanorum fuit, de quo loquitur Saleius, quum *humida* dicit *hordea pinsi.* Idem libro cit. c. 3: « Cognomina etiam prima inde (ab agricultura) Pilumni, qui pilum pistrinis invenerat; Pisonis a pinsendo. Jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optime genus sereret ». Vid. Alexand. ab Alex. lib. I, cap. 9. — *Quum pinseret hordea.* Servius in fragmentis legit *pindere.* Pindere, inquit, significat pilo tundere. Glossarium *pisat*, πτίσσει. Hinc *Piso*; quod vocabulum pro mortario usurpat Marcellus Empiricus, cap. 8: « Radices betæ maxime nigræ ex aqua tepida lavabis, et expressas sabano siccabis, deinde tundes in pisone marmoreo ». LINDENBR.

19. *Æthereas molles*, Col. vitiose. *Flavæ* pro *flammæ* Maett. sed male. ED. — *Ætheriæ moles circumvaga flammæ*, solis periphrasis. BERAM.

20. *Bissenis*, conjunctim, omnes dant editi. ED. — *Annua revocabit astra*, anno vertente eadem percurret signa. Forte *renovabit* melius, ut Tibull. IV, 1, 113: « Centum fecundos Titan renovaverit annos ».

21. *Quam mihi priscorum.* Vir doctus: *Quam mihi Pisonum.* C. Est is Barthius, in Advers. XLIX, 7. — *Quam mihi priscorum.* Non *priscorum*, quorum generale nomen nulli usui est, sed *Pisonum* scribendum existimo; horum enim res gestas nec toto se anno vertente enarraturum assentatur. BARTH. loc. cit. *podista* emendatio Barthii superflua est. *Priscos*, id est, majores Pisonis nominare Saleius voluit, ut distingueret ab ipso Pisone, de quo

Digitized by Google

Contigerit memorare : manus sed bellica patrum,
Armorumque labor, veteres docuere Quirites,
Atque illos cecinere sui per carmina vates.
Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem
Exæquamus avis : tamen etsi bella quierunt,

deinceps. *Pisones* priscos, non alios, intelligi, per se clarum erat, nec ipso nomine opus.

22. *Contigerit memorare ;* supra adfuit *memorare* v. 14. Malim hic *numerare*. Ed. — *Manus sed bellica*, MS chart. *manus sit*. Scio in scriptis scribi *set*, quod facile transit in *sit*. Sed quid si scintillam veræ lectionis inde elicias ? illud enim *sed* plane hic incongruum. Scripserim : « Contigerit numerare. Manus si bellica patrum ... decuere Quirites, Atque illos cecinere... ; Nos quoque..... exæquemus ». Ita, credo, nexus est, qui in vulgatis nullus apparet. Si majores nostri, propter bellicas laudes, non caruere virtutum suarum præconio ; nos quoque Pisonem, pacata laude nitentem, carmine mactemus. Lagon. — *Manus sed bellica patrum*. Ostendit, majores quidem Pisonis maxime ob bellicam virtutem celebratos esse, Pisonem tamen, qui pacis artibus et civili virtute emineat, non minore in gloria esse : *manus*, pro virtute vel fortitudine bellica, vulgatum : Virgil. Æn. VI, 879, « invictaque bello dextera » ; auctor Consol. ad Liv. 382, « Gessit et invicta prospera bella manu » ; et Ovid. Art. Am. II, 672, « Aut fera belligeras addite in arma manus ».

23. *Docuere*. Locus corruptus. Conjiciebat vir doctus : *decuere*. Vide notas. C. Intelligit Barthium, sed notæ Cortii perierunt. — *Veteres docuere Quirites*. Scribendum *decuere Quirites*, incultioribus videlicet adhuc sæculis, et nihili artes omnes ingenuas facientibus. Eam ipse scripturam post sese hic posuisse arguit, quum subdit : « Nos quoque pacata, etc. » Barth. l. c. Difficultatem sensus, qua hic versus laborare videtur, satis expediri arbitror scriptura Barthii *decuere*, quæ et infra occurrente versu 146 confirmatur : « Hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt ». — Et Rutilius, in Itin. I, 263 : « Ardua non solos deceant miracula Graios ». Ed. — Feliciter Barthius præfert *decuere*, quod confirmatur vs. 25, ubi Pisonem laude pacis *nitentem* dicit ; ratum igitur fit vi oppositionis, atque *decuere* manifeste habet MS chart. Lagon. — Videt Saleius a bellica virtute et rebus gestis non admodum laudari Pisonem posse. Igitur hanc laudem elevat, et majoribus Pisonis priscisque temporibus magis aptam et decoram fuisse affirmat, quum bella essent necessaria ; nunc pacatis rebus pacis artes non minorem Pisoni laudem parere, quam bellicas illius majoribus.

25. *Pacata laude nitentem*, h. e. laude ex rebus pace gestis.

26. *Tamen etsi bella quierunt*. Alii : *nec enim si*. Mic. Bersm. Col. Vera lectio videtur : *Etenim... Non perit et virtus...* præsenti verbo, ut mox *licet*, *contingit*. Lagonius. — *Exæquamus avis*, non minorem esse avis suis dicimus, etsi hi bellica magis laude claruerunt.

Digitized by Google

Non periit virtus; licet exercere togatæ
Munera militiæ; licet et sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hinc quoque servati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

27. *Occidit et virtus*, Mic. Bersm. Col. quod ego magis probem.

28. *Togatæ Munera militiæ*. Ut *toga* de pace, deque rebus urbanis, civilibus, forensibus adhibetur (vid. Barth. ad Stat. Silv. I, 4, 48), sic *militia* de quavis opera, munere, officio, et *arma* de quovis instrumento. Ovid. Fast. II, 9: « Hæc mea militia est, ferimus, quæ possumus, arma, Dextraque non omni munere nostra vacat ». Recentior usus in legibus attulit, ut *militia togata* sigillatim de ministeriis Palatinis et aulicis diceretur. Et scholam militiæ togatæ duplicem, agentium in rebus et protectorum fuisse ostendit Boehmerus Vir Incl. in Electis Juris civilis.— *Sine sanguinis haustu*, id est, sanguinis effusione. Græci ἀφύσιν dicunt. D. ξ, 517, διὰ δ' ἔντερα χαλκὸς ἄφυσσε. Bersm. Homericum illud expressit Virg. Æn. II, 600, « inimicus et hauserit ensis »; et X, 314: « gladio latus haurit apertum ». — *Libet* hoc versu pro *licet* male laudat Casp. Sagittarius, de Januis vett. p. 224. Lagon.

29. *Sub judice bella movere*. Et hoc frequens est, ut judicia et actiones forenses *bella* et arma fori dicantur. Ovid. Trist. III, 12, 18: « Cedunt verbosi garrula bella fori ». Idem, Trist. IV, 10, 17: « Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo, Fortia verbosi natus ad arma fori ». Statius, Silv. V, 2, 108: « medii bellare togata Strage fori ». — *Martem forensem* ex Ovidio, et alia huc pertinentia notavimus t. II, p. 423, ad Lyric. II, 51. Ed.

30. *Hinc quoque servati contigit*. Sed, *Hic quoque servati continget*, Mic. Bersm. qui tamen in margine probat *Hinc*, quod ex Scaligero solo affert; sed ita quoque Junius, Pithœus. Quod dedimus multo tolerabilius est. Ed.

31. *Altaque victores* legit Casaubonus ad Sueton. Domit. cap. ult. et ex eo Sagittarius de Januis, cap. 30, p. 224. Quod nescio unde profectum sit. Sic autem videntur victores caussidicos intelligere, qui intexant limina palma. — *Intexunt limina palmæ*. Discimus hinc, quod vulgo non prorsus notum est, patronorum domibus in urbe palmas appositas, honoris ergo, quoniam cives in judicio capitali servassent. Barth. l. c. Immo victoriam in foro partam, oratorum et caussidicorum mos erat, testari appensa pro foribus palma. Neque hujus ritus infrequens mentio est. Satis clare eum indicat Juvenalis, VII, 118: « rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso Figantur virides, scalarum gloria, palmæ ». Illud *scalarum gloria* appositum σκῶμμα est, notans pauperiem oratorum in cœnaculis plerumque habitantium, in quæ adscendendum per scalas erat. Etiam Martial. VII, 28: « Sic fora mirentur, sic te Palatia laudent, Excolat et geminas plurima palma fores ». Hinc *palmam forensem* dicit Ausonius in Profess. II, 7. Plura de

Digitized by Google

Quin age majorum, juvenis facunde, tuorum
Scande super titulos, et avitæ laudis honores,
Armorumque decus præcede forensibus actis:
Sic etiam magno jam tunc Cicerone vigente
Laurea facundis cesserunt arma togatis.
Quæque patrum claros quondam visura triumphos
Olim turba vias impleverat agmine denso,
Ardua nunc eadem stipat fora, quum tua mœstos
Defensura reos vocem facundia mittit:
Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice caussas;
Seu capitale nefas operosa diluis arte,

eo ritu vide apud Casaubonum ad Suet. Domit. cap. 23, et Sagittar. de Januis, pag. 223. — De *palmis* caussidicorum res nota satis est vel ex Luciano, tomo VI, pag. 409, ed. Schmid. Ed.

32. *Quin age majorum*, etc. Laudis plena excitatio, qua Tibullum expressisse videtur, ut pluribus locis, sed et superavit. Sic Tibull. IV, 1, 136: « Quin hortante Deo magnis insistere rebus Incipe, non iidem tibi sunt aliisque triumphi ».

34. *Præcede forensibus actis*. Cæsar: « Helvetii reliquos Gallos virtute præcedunt ». Bersm.

36. *Cesserunt arma togatis*. Cic. de Offic. I, cap. 22: « Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ ». Bersm. Vid. Excursus primus.

37. *Quæque patrum*. Alii: *Sed quæ Pisonum*. Mic. Bersm. Col.

39. *Quum tua mœstos*. Corn. Tacitus de Pisone: « Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos: et ignotis quoque comi sermone et congressu ». Scal.

41. *Seu trepidos ad jura decem*. Decemviri et centumviri de caussis privatis cognoverunt, de jure judicarunt, et hastæ præfuerunt. Sigon. Bersm. Statius, lib. IV, Silv. IV, 43: « Cessat centeni moderatrix judicis hasta ». Vide Principis Jurisconsultorum Jacobi Cujacii Observationum lib. III, cap. 33. Lindenbr. Per *trepidos* intelligit reos generatim, qui solenni vocabulo *trepidi* vel *solliciti* vocantur poetis. Ovid. Art. Am. I, 460, « Non tantum trepidos ut tueare reos »; et Corn. Severus in fragm. « Unica sollicitis quondam tutela, salusque ». Decemviri litibus judicandis ab Augusto instituti vel restituti (Sueton. Aug. 36), qui hasta posita centumvirale judicium cogebant. Unde *hasta centumviralis* auditur. Martial. VII, 63: « Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum ». Plura Torrentius ad Suetonii Vespas. 10. Hasta judiciorum, auctionum publicarum, venditionum locationumque signum, de qua Cœlius Rhodig. lib. XXI, cap. 17. Ovidius ex Pont. IV, 5, 19: « Aut populi reditus positam componet ad hastam ».

43. *Capitale nefas*, i. e. crimen.

Digitized by Google

Laudibus ipsa tuis resonant fora : tu quoque, Piso,
Judicis affectum, possessaque pectora ducis
Victor; sponte sua sequitur quocumque vocasti;
Flet, si flere jubes; gaudet, gaudere coactus;
Et, te dante, capit judex, quam non habet, iram.
Sic auriga solet ferventia Thessalus ora

Intelligit Noster judicia capitalia et quæstiones.

44. *Tu quoque Piso.* Alii : *namque ubi Piso.* Hæc est lectio editionum ante Junium et Scaligerum, quam fere prætulerim. — *Resonant fora dura* Piso. Nam.* Mic. *fora* dura Piso* sine *Nam* Col. In margine utraque : *Namque ubi Piso. Resonant fora; namque ubi Piso* Bersm. *duraque Piso*, etiam MS chart. Mihi videbatur locus ita constituendus : « Laudibus ipsa tuis resonant fora, duraque, Piso, Judicis, affectu possessaque pectora ducis ». Tu pariter durum atque mollem judicem, quocumque vis, trahis. Mollis sponte sequitur; qui durior est, tamen cedit. Lagon.

45. *Ducis Victor.* Alii : *tentas, Victus,* Mic. Bersm. Col. non male. C. *tentas* minus aptum; sed in sequenti *Victus sponte sua* optimum. Sed Lagonio verum videtur *ducis Victor.* Nam infra v. 125 : « Tu pronus in omne Pectora ducis opus ». Ed. — *Possessaque pectora ducis.* Græci dicunt ψυχαγωγεῖν. Bersm. *Ducis* omnino præferendum τῷ *tentas*, quod in aliis est. Nam fere proprie de vi oratoria usurpatur, eique bene respondet, quod subjungitur *sponte sua sequitur.* Quintil. IX, 1, 21, de figuris oratoriis : *Jam vero affectus nihil magis ducit.* Auctor dialogi de Orat. c. 6, inter voluptates oratoris refert *coire populum et circumfundi coronam, et accipere affectum, quacumque orator induxerit.* Sic quædam edd. Lipsius dedit *quemcumque orator induerit. Possessaque pectora* etiam Ovid. Am. I, 2, 8.

46. *Quocumque vocasti :* ut de poematibus Horat. Arte Poet. 100 : « dulcia sunto, Et quocumque volent, animum auditoris agunto ».

47. *Si flere jubes.* Mic. Bersm. Col. *si flere libet*, male. C. Eod. *gaudere coactus.* Vir doctus : *gaudere vocatus*, perperam. C. Sic Barthius Advers. XLIX, c. 7. — *Gaudet gaudere coactus.* Barthius hic scribendum putat *vocatus*, sane frivola ex ratione, quia auctor vocatum eum *duci* modo dixit. At vero, qui sequitur, apte quidem dici potest vocatus, non autem, qui gaudet; neque iterari *vocatus* post *vocasti* potest, quia intercessit *Flet, si flere jubes.*

48. *Quam non habet.* Mic. Bersm. Col. *si non habet*, minus eleganter. Cortius.

49. *Sic auriga solet.* Hic *auriga* tantum eques; nam *aurea* τὰ ἡνία. In veteri glossario *aurex, solitarius,* ἱππαστής. Solitarium vocat, qui equo singulari vehit, hoc est, τὸν κέλητα, qui et *singulator* in eodem lexico dicitur. Scal. Etiam Barthius affirmat, doctum equitem hic comparari, Advers. XLIX, c. 7, et ad Stat. Silv. V, 2, 115. Equidem, qui solitarium equitem aurigam dixerit,

Digitized by Google

Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modo non solum rapido permittit habenas
Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras
Flexibiles rictus, et nunc cervice rotata

neminem alium reperio; sed tamen desultorem ita vocat Propert. IV, 2, 35: « Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus, Trajicit alterno qui leve pondus equo ». Et si originatio vocis vera est, a Festo tradita, qui *aureacem* et *aurigam* eumdem dicit, ab *aurea* vel *orea*, quæ frenum est, nominatum, dubitari nequit, quin auriga proprie appellari possit, qui equum freno regit. Vid. Salmas. ad Vopisci Carinum, pag. 845 seq. —*Thessalum* hic nominat aurigam Saleius, quia Thessali inprimis famigerati equorum domitores erant, etiam in ludis Circensibus adhibiti, ut apparet e Sueton. Claud. cap. 21. —Et Propertius, II, 8, 2, ad ludos Circenses alludens, equum Thessalicum nominat: « Et campum Æmonio jam dare tempus equo ». Ed.

52. *Torquet in auras*. Quidam, *aures*; et hic Lagonius: « Quinam sint qui *aures*, quod Cortius profert, nescio. *In armos* Barthii est, confidenter sic legi jubentis, Advers. XLIX, 7. Sed an *in armos torquere* est in utrumque latus, vel potius in alterutrum latus? et quis ita loquutus est? Argutari autem videtur Barthius in verbo *torquendi* ». Ed.— Vir doctus: *in armos*. C. Et ipse legendum *in armos* puto, quod Barthius in Advers. l. c. monuit.—*Quadrupedi, sed calce citat*. Sic Statius, Silv. V, 2, 115: « vidi Tendentem cursus, vexantemque ilia nuda Calce ferocis equi ». *Quadrupedes* de pecore generatim, de equis præcipue. Tibull. IV, 1, 128; Virg. Ecl. V, 26; Manil. V, 85. Duo tangit auctor exercitia equitationis Veteribus usitata, quando vel incitabant equum directo cursu, vel adductis frenis retortum breviore gyro circumagebant, vel sedatius cogebant incedere. Quos modos luculentius describit Tibullus, IV, 1, 91 seqq. « Aut quis equum celerem arctato compescere freno Possit, et effusas tardo permittere habenas; Inque vicem modo directo contendere cursu; Seu libeat curvo brevius compellere gyro ». His cum exercitationibus haud ineleganter comparat Saleius operam oratoribus familiarem, quando vel incitare affectus judicum, vel cohibere et sedare satagunt. — *Modo torquet in auras*. Hoc impossibile est ut sibi constet, atque non absurde omnino scriptum sit, *torquere in auras Flexibiles rictus*: retro enim ducere os lupatis cornipedi dictitat; quod si in auras faceret, nullo penitus modo torquere diceretur. Emacula nobiscum, ut in re vera decet, confidenter: *modo torquet in armos*. In latus, inquit, modo sinistrum, modo dextrum torquet rictus quadrupedis, ideo flexibiles, quia in utrumque latus facile moventur, quæ laus ipsius summa est. Barth. Advers. lib. XLIX, 7. Ratio Barthii satis placet, mihi tamen *rictus torquere in armos* potius significat attrahere frenum, et equum coercere, quod auctor opponit antecedenti *permittit habenas*.

Digitized by Google

Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
Quis non attonitus judex tua respicit ora?
Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera, mentem?
Nam tu, sive libet pariter cum grandine nimbos
Densaque vibrata jaculari fulmina lingua,
Seu juvat adstrictas in nodum cogere voces,
Et dare subtili vivacia verba catenæ,

54. *In gyrum carpere cursus*, h. e. cursum effusum in minores arctioresque passus corripere, breviore gyro conficiendo. Elegantius hoc expressisse videtur Ovidius, Epist. IV, 79: « Sive ferocis equi luctantia colla recurvas, Exiguo flexos miror in orbe pedes ». *Gyrus*, idem quod et orbis, proprie ad equitandi exercitationem pertinet, et usum ejus vocis pluribus locis adstruxit celeb. Heynius in Observatt. in Tibull. p. 193.—Quibus addi possunt, quæ ipsi protulimus hujus operis t. II, p. 456, ad Lyric. III, 3. Ed.

56. *Nisi per tua pondera*, h. e. auctoritate, gravitate orationis et argumentorum tuorum. Sic Claud. de Cons. Mall. 19 : « Jam nunc canities animi, jam dulce loquendi Pondus, et attonitas sermo qui duceret aures ». Statius, Theb. I, 213, de oratione Jovis: « grave et immutabile sanctis Pondus adest verbis, et vocem fata sequuntur ». Val. Flacc. I, 39, « fictis dat vultum et pondera verbis ».

58. *Jaculari fulmina lingua*. Alludit ad Periclis grandiloquentiam, de qua Aristoph. ἀστραπτ' ἰδρόντα, ξυνεχύκα τὴν Ἑλλάδα. Bentl. Exprimit his versibus Saleius genus orationis concitatæ et vehementis, ad animos percellendos turbandosque compositæ, quæ torrentibus, nimbis, fulminibusque comparari solet. Statius, Silv. V, 3, 103: « seu voce soluta Spargere (orsa), et effreno nimbos æquare profatu ».

59. *Adstrictas in nodum cogere voces*; id est, Seu libuit adhibere orationem compositam numeris et adstrictam periodis, enthymematibus, quæ opponitur orationi concitatæ, fusæ et uberi. *Nodum* præcipue puto respicere ad breviores periodos et enthymemata, quibus oratio complicatur et constringitur ad quamdam rotunditatem, quemadmodum Statius, Silv. I, 6, 59, de pumilionibus loquitur: « Quos natura brevi statu peractos Nodosum semel in globum ligavit ». Periodis certe Quintilianus, IX, 4, 127, quosdam nodos tribuit: « Membratim plerumque narrabimus, aut ipsas periodos majoribus intervallis, et velut laxioribus nodis resolvemus: exceptis, quæ non docendi gratia, sed ornandi narrantur ». — Cicero, de Orat. I, 10, p. 21, Pearc. 4: « Stoici vero nostri disputationum suarum laqueis te irretitum tenerent ». Ed.

60. *Et dare subtili vivacia verba catenæ*. Mic. Col. *catena*. Deinde quia mox, versu 63, « liquidoque fluentia cursu Verba », reposuerim h. l. *vivacia membra catenæ*. Lagom. — *Catenam* accipio de verborum continuatione per membra brevia et concisa, in quæ diducta oratio

Digitized by Google

Vim Laertiadæ, brevitatem vincis Atridæ:
Dulcia seu mavis, liquidoque fluentia cursu
Verba, nec incluso, sed aperto pingere flore,
Inclyta Nestorei cedit tibi gratia mellis.
Nec te, Piso, tamen populo sub judice sola
Mirantur fora; sed numerosa laude senatus
Excipit, et meritas reddit tibi curia voces.

fit *subtilis*, gracilis, tenuis. Gellius, VII, 14, gracili dicendi generi inesse *venustatem et subtilitatem* dicit. *Catena* igitur structura et nexus verborum, ut *compedem metri* dictum vidimus Lyr. XII, 20.

61. *Vim Laertiadæ, brevitatem vincis Atridæ.* Il. III: ἦτι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευε Παῦρα μὲν ἀλλ. Vid. Gell. lib. VII, c. 14. Bersm. Gellius l. c. tria dicendi genera jam antiquitus tradita observat ab Homero in tribus fuisse; magnificum in Ulysse, subtile in Menelao, mixtum moderatumque in Nestore. Ante Gellium idem discrimen oratorum Homericorum exposuit Cicero in Brut. cap. 10, et Quintil. XII, 10, 64. Et alii poetæ comparare cum iis oratores, quos laudare volunt, solent; Tibullus Messalam, IV, 1, 48, « Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur Nestora, vel parvæ magnum decus urbis Ulyxen »; Statius patrem suum, Silv. V, 3, 114: « Ora supergressus Pylii senis, oraque regis Dulichii, specieque comam subnexus utraque ». Ausonius singulos tres conjungit in Profess. Burdig. carm. 21, et in Iambico epistolæ XVI, v. 10, atque in Grat. act. cap. 8.

62. *Dulcia seu mavis*, Mic. Bersm. Col. *Dulci seu mavis*, C. Verum est *Dulcia*. Sed quidnam est hoc: Verba *dulcia* et *liquido* fluentia cursu, nec *incluso*, sed *aperto* flore? Nonne tropus unice a melle ad sermonem mellifluum? quo igitur cursus, quasi de aqua liquida et leniter currente? An scripsit: *liquidoque fluentia rursum*, eodem sensu quo Græcorum πάλιν, ἀνάπαλιν. *Liquido fluentia* jam erunt, quæ mellis liquorem dulciflouum habent, qualem ex floribus apertis constipant apes. Lagon. — *Liquidoque fluentia cursu*, quæ facile decurrunt, et nihil asperum vel coactum habent, liquidi mellis instar. Respicit Homericum ῥέεν αὐδή. Calpurn. IV, 150, « Tam liquidum, tam dulce sonant »; et mox: « O mihi quam tenero decurrunt carmina versu! »

63. *Sed aperto pingere flore.* Ornatum et floridum dicendi genus describit, verborum delectu, tropis, figuris, sententiis venustis insigne, in quo appareant flores, e quibus dulcedo orationis confecta est.

64. *Inclyta Nestorei.* Homerus: Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Bersm.

66. *Numerosa laude*, copiosa et multiplice, ut *numerosa gloria* Trajani dicitur Plinio, Paneg. cap. 28.

67. *Meritas reddit tibi curia voces:* nempe acclamationes, laudes, gratulationes, quibus orationes tuas prosequitur. — *Reddere voces* est in

Digitized by Google

Quis digne referat, qualis tibi luce sub illa
Gloria contigerit, qua tu, reticente senatu,
Quum tua bis senos numeraret purpura fasces,
Cæsareum grato cecinisti pectore numen?
Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus
Auditura virum, si quando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus:
Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
Compositisque suas exercet litibus artes.

poetis respondere. In VI Æn. Virg. ni fallor, *notas audire et reddere voces*. Putem scripsisse: *meritos tibi curia honores*. In scriptis: *hors*. LAGOM.

69. *Reticente senatu*. Alii: *retinente*, male; quod Bersm. et Col. ediderunt, nescio unde: nam Mic. hic recte *reticente*, cum cæteris. LAGOM. — *Reticente senatu*, hoc est, attente audiente, ut Ovidius Pont. IV, 4, 35: « Curia te excipiet, Patresque e more vocati Intendent aures ad tua verba suas ».

70. *Quum tua . . . purpura fasces*. Quum consulatum adires, et fasces susciperes, oratione ad senatum habita, cujus etiam meminit Ovidius loco cit. v. 25: « Purpura Pompeium summi velabit honoris, etc. »

71. *Cæsareum grato cecinisti*. Gratias egisti Cæsari oratione consulari, quod inprimis fieri solebat, ubi consul a Cæsare suffectus erat. Pisonem consulem Claudio Cæsari ex Kalendis Juliis suffectum fuisse, ostendimus in procœmio. Et Plinium consulem suffectum Panegyrico, qui exstat, gratias egisse Trajano constat.

74. *Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus*. In posterum diem rejectis, aut comperendinatis, aut etiam ampliatis. Feriis res proferuntur, id est, lites et negotia differuntur. Pithœus, lib. II Adv. subsec. cap. 20. BERSM. Minus recte *res prolatæ* a Bersmanno miscentur comperendinatis, aut ampliatis. Istæ sunt feriæ judiciorum, messis et vindemiæ caussa habitæ. Scaliger Ciceronem pro Muræna, et Plautum in Captivis citat, qui posterior locus classicus est, Captiv. I, 1, 10 seqq. Nimirum res dicuntur *proferri* quum est justitium, *rerum prolatio* Ciceroni ad Att. VII, 12, ut *res* dicuntur *agi*, quum jus dicitur, et *rerum actus* apud Suet.; eædem dicuntur *redire* exactis feriis. De æstivis feriis luculente Statius Silv. IV, 4, 39: « Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges, Et pacem piger annus habet, messesque reversæ Dimisere forum ». De vindemialibus Minut. Felix, Octav. cap. 2: « Sane et ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant ».

75. *Tunc etenim. Tunc etiam* C. et Mic. Bersm. Col. — *Tunc etenim*. Dicit Pisonem feriis domi declamasse.—*Levibus proludit in armis*; tractum a ludo militari, et exercitiis tironum, qui confligendi artem docebantur in campo ad palum; quæ erant simulacra veræ pugnæ.

76. *Compositis . . . litibus*, i. e. fictis

Digitized by Google

Quin etiam facilis Romano profluit ore
Græcia, Cecropiæque sonat gravis æmulus undæ.
Testis Acidalia quæ condidit alite muros,
Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.

controversiis; quomodo et vocat auctor Dial. de orat. cap. 35: « controversiæ robustioribus adsignantur, quales per fidem, et quam incredibiliter compositæ ».—Col. vitiose *Compositusque*. Notum est Romanos juvenes, forensis eloquentiæ studiosos, exercitationis ergo, in causas præsertim Græcorum, Græce declamasse. De Nerone, Suet. c. 7: « Pro Bononiensibus latine, pro Rhodiis atque Iliensibus græce verba ap. consulem fecit ». De Lucano cujus omnino quædam primorum studiorum cum Nerone similitudo, vetus vita: « Declamavit et græce et latine cum magna admiratione audientiæ ». LAGON.

77. *Profluit ore*. Alii: *perfluit*, et ita Mic. Bersm. Col.

78. *Cecropiæque sonat*. Forte *sonas*. Cort. dedit *æmulus undæ*. — Id *undæ*, a quo habeat Cortius, Deus scit. Videtur operarum vitium, neque enim sensus inest. Omnes omnino *urbi*. LAGON. — *Cecropiæque sonat*. Substitue *sonas*, et melius respondebit τὸ *æmulus*. Cortius edidit *æmulus undæ*, nescio an errore scripturæ; nam omnes alii habent *urbi*, neque hoc ab illo pro variante apponitur. *Undæ* tamen non absonum, siquidem flumina, torrentes ingenii atque eloquentiæ nota. Et Claud. de Cons. Mall. v. 21: « Mox undare foro victrix opulentia linguæ, Tutarique reos ». Et notum illud ὅσα πόντος ἀείδει. Pro *gravis æmulus* Heinsius, lib. IV Advers. cap. 1, p. 557, emendat *favus æmulus*, idque probat Burmannus, Anthologiæ Lat. t. I, p. 743, quia *favus, mel, thymum, ros Cecropius* pro Græca eloquentia poni solet; quod pluribus locis adstruxit idem Anthol. t. I, p. 426. Sed tamen hoc loco *favus* non bene convenit τῷ *sonat*, neque video, cur *gravis æmulus* spernatur.

79. *Testis Acidalia quæ condidit alite muros*. Veneris Bœoticæ auspiciis, sic dictæ a fonte Acidalio in Orchomenis, Bœotiæ civitate. BERSM. Vid. Excursus secundus ad calcem hujus carminis. — Res jam ab aliis exposita et illustrata; Brouckusio, ad Propert. II, 21, 39; Ruhnkenio ad Vell. t. I, p. 14. Cæterum addi hic locus debet iis, quæ de hac re tradidit Jul. Cæs. Capacius, in Antiquit. et historia Neapolitana, c. 3; t. IX Thes. Ital. parte 2, pag. 11. Quod autem Euboicam arcem referre dicitur Neapolis, confirmari potest exemplo Pap. Statii, qui Silv. III, 5, 12, ad Claudiam: « Anne quod Euboicos fessus remeare penates Auguror? » LAGON.

80. *Euboicam referens*, Cumanam sive Chalcidensem; vid. Strab. lib. VI, ubi et sacri quinquennalis, et certaminis musici et gymnici fit mentio. BERSM. *Referens*, restituens, instaurans. Apud Cortium, vitiose, *referens secunda*. LAGON. — De ludis aliis in Cumano æquore actis, vide Ausonii Mosell. 208-214. ED. — *Fecunda*, ob soli fertilitatem, quam et Dionysius prædicat loco cit. in Excursu.

Digitized by Google

Qualis, io Superi! qualis nitor oris amœnis
Vocibus! hinc solido fulgore micantia verba
Implevere locos : hinc exornata figuris
Advolat, excusso velox sententia torno.
Magna quidem virtus erat, et si sola fuisset,
Eloquio sanctum modo permulcere senatum,

81. Malim *amœni*. Lagon. In MS chart. *qualis ie.* An fuit : « Qualis inest Superis, talis nitor oris amœni Vocibus », ut ad Mercurium, Deorum interpretem, eloquentiæ patronum respiciatur? Ed.

83. *Implevere locos.* Laudat vim argumenti in oratione Pisonis, quæ a thesi, sive loco communi, verbis splendidis et vibrantibus sententiis exornando, procedit ad hypothesin, sive res singulares inde colligendas. *Implevere* dicit, quia in his locis inest amplificatio et dilatatio argumenti. Quemadmodum significat Cicero in Bruto, cap. 93, ubi oratores ætatis suæ reprehendit : « Nemo erat, qui dilatare posset, atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis, ad communem quæstionem universi generis orationem traduceret ». Alii ab his sunt loci, qui dicuntur, sedes argumentorum cujusque causæ, quos Juvenalis innuit, VI, 244 : « Principium atque locos Celso dictare paratæ ».

84. *Excusso velox sententia torno,* h. e. argumentatio vel sententia, e superioribus collecta, brevi et rotunda verborum conclusione, tamquam torno, absoluta celeriter accidit animis. *Tornus* instrumentum, quo circumacto materiæ, ligna, vasa rotundantur, inde ad designandam sententiarum rotundam brevitatem transfertur. Et apposite Gellius, IX, 8 : « Hanc sententiam memini a Favorino inter ingentes omnium clamores detornatam, inclusamque verbis paucissimis ». Propertius de Elegis usurpat, ubi sententiæ singulis distichis inclusæ sunt, lib. II, 34, 43 : « Incipe jam angusto versus includere torno ». De usu ejus vocis copiose Bentleius ad *male tornatos versus* Horatii, Arte Poet. 441, disseruit, neque tamen hunc locum attigit. — Ideo forsan *male tornatos* versus perperam in *male formatos* refingebat. Fugit et hic locus virum doctum in Miscell. Observatt. Crit. 1743, t. V, pag. 416, Bentleio propterea insultantem. Lagon. — Noster præcipue spectat periodorum et enthymematum genera, quibus brevis argumenti conclusio inest, quæ quo magis accisa et rotunda sunt, hoc fortius feriunt. Unde Juvenalis, VI, 448, « curvum sermone rotato enthymema torqueri » dicit. — De *torno* et de verbis τορνοῦν et τορνεύειν, eorumque significatione luculentius egit Heynius vir cl. in *den antiquarischen Aufsätzen*, Parte II, p. 141, et seqq. Ed.

85. *Et si sola.* Alii : *etsi sola.* C.

86. *Permulcere senatum.* Alii : *perfulcire senatum.* C. Sic Bersm. Mic. et Col. ediderunt. — *Eloquio sanctum.* Sic de Lucano Statius, Silv. II, 7, 46 : « eloquente Cantu purpureum trahes senatum ».

Digitized by Google

Exonerare pios modo, nunc onerare nocentes:
Sed super ista movet plenus gravitate serena
Vultus, et insigni præstringit imagine visus.
Talis inest habitus, qualem nec dicere mœstum,
Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum
Possumus: ingenitæ stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, et digna suis natalibus ora.
Additur huc et justa fides, et plena pudoris
Libertas, animusque mala ferrugine purus;

87. *Exonerare pios.* Absolvere insontes. Bersm. Malo equidem, crimine atque invidia liberare: nam absolvere judicis est, non patroni. Ovid. Trist. I, 3, 36: « hanc odiis exonerate fugam; Cælestique viro, quis me deceperit error, Dicite; pro culpa ne scelus esse putet ». Et Petron. in carm. ad Priap. c. 133: « Exonera mentem culpæque ignosce minori ». — *Onerare* contra est reum premere, et crimen aggravare. Prorsus huc pertinet locus Suetonii in Caligula, 53: « Solebat etiam magnorum in senatu reorum accusationes defensionesque meditari; ac prout stylus cesserat, vel onerare sententia sua quemque, vel sublevare ». Ed.

88. *Movet plenus gravitate.* Τρόπος ἰσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος. Bersm. Similiter Claudian. de Cons. Mall. 245: « rigidi sed plena pudoris Elucet gravitas fastu jucunda modesto, etc. »

89. *Præstinguit* dat Corp. Aur. ex Pulmanno forte, qui ita solet in Lucano. Lagon.

91. *Nec fluidum*, h. e. inconstantem, laxum, lascivum, quomodo Statius, Silv. V, 2, 73: « Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla, nitorque Luxuriæ confine timens ». Sic *fluentem luxu* appellat Claud. IV Cons. Hon. 217. — *Lætam tetricitatem*, quam hic vocat auctor, Barthius cum verbis Statii comparat, Silv. II, 6, 41: « nec petulans acies, blandique severo Igne oculi ». Ego potius conferam cum elogio, quo Brutum adornat Silius, VIII, 610 seq. « Læta viro gravitas, et mentis amabile pondus, Et sine tristitia virtus: non ille rigoris Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat ».

93. *Digna suis natalibus.* Cornel. Tacitus: « Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies, etc. » Scal. Similiter Ovid. Trist. IV, 4, 32: « Deque meis illo referebat versibus ore, In quo pars altæ nobilitatis erat ».

95. *Mala ferrugine purus.* Avaritiæ cupiditate. Metaph. Hor. in A. Poet. vs. 330, « at hæc animos ærugo et cura peculi Quum semel imbuerit ». Bersm. Ego malim ferruginem de simulatione, invidentia et malignitate accipere, secundum illud Horatii, Sat. I, 4, 101: « hic nigræ succus loliginis, hæc est Ærugo mera ». Et Martial. II, 61, 5: « nimiaque ærugine captus Allatras nomen, quod tibi cumque datum est ». — Hic Lagonius: « Animi

Digitized by Google

Ipsaque possesso mens est opulentior auro.
Quis tua cultorum, juvenis facunde, tuorum
Limina pauper adit, quem non animosa beatum
Excipit, et subito juvat indulgentia censu?
Quodque magis dono fuerit pretiosius omni,
Diligis ex æquo; nec te fortuna clientum,

vitium a colore subnigro designarunt. De colore ferrugineo multa constipavit Jo. Arntzenius, dissert. de colore et tinctura comarum, Traject. ad Rhenum, 1725, in-8, pag. 92 ». Ed.

96. *Mens est opulentior auro;* h. e. mens liberalior et suis bonis ditior superat divitias; ut *virtus divitiis animosa suis*, quod ait Claud. de Cons. Mall. 5. Sic Statius, Silv. I, 2, 121: « Huic quamvis census dederim largita beatos, Vincit opes animo ». Opulenti, ut liberales et commodi, subinde opponuntur parcis et duris. Sallust. Jugurth. 89: « neque illos arcte colam, me opulenter », h. e. non ego illos arcte contenteque habebo, me ipsum indulgenter et delicate.

98. *Animosa beatum Excipit.* Beatos dici locupletes et felices, vulgatum. Sed quia auctor vult, Pisonem pauperes clientes excepisse, et opibus suis sublevasse, hinc Cuperus Observ. III, c. 1, putat *beatum* dici non potuisse exceptum, qui ipse dives et opulentus sit, atque hinc legit: *quem non animosa reatum Excipit*, h. e. eum, qui ob magnitudinem æris alieni reus peractus est. Sed *reatus*, pro eo qui reus factus est, verbum inusitatum et inauditum est: sin autem substantive pro conditione et statu reorum accipiatur, nec hoc admitti posse videtur, quod antecessit *pauper*. Itaque potius *beatum* de eo interpretor, qui primo quidem antequam excipieretur pauper erat, mox eo ipso, quod excipitur, beatus videtur sibi, aut proxime beandus et locupletandus est, sensu diviso, quod aiunt, non conjuncto. Et hoc maxime confirmatur eadem sententia Claudiani de Cons. Prob. 46: « Cernere semper erat, populis undare penates: Assiduos intrare inopes, remeare beatos ».

99. *Juvat indulgentia.* Liberalitas, beneficentia. Brasm. Corn. Tacitus: « Lenitati, ac magnificentiæ, aliquando luxui indulgebat ». Scal. Hæc potius referenda Taciti verba erant: « Facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu ». Tum scholiastes Juvenalis: « Magnificentissime vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere ».—Simillimus usus vocis *indulgentia* apud Calpurn. Ecl. IV, vs. 33, « tua nos alit indulgentia farre ». Ed.

101. *Diligit*, Mic. Col. Hi traxisse videntur ad nominativum *indulgentia*, vs. 99. Sed haud dubie Pisonem adloquitur; sequitur enim: *nec te fortuna*, etc. *Fortuna clientum*, Mic. Bersm. (qui tamen præferre videtur *clientum*, recte) Col. *Co-*

Digitized by Google

Natalesve movent : probitas spectatur in illis.
Nulla superborum patiuntur dicta jocorum;
Nullius subitos adfert injuria risus.
Unus amicitiæ summos tenor ambit et imos;
Rara domus tenuem non aspernatur amicum,
Raraque non humilem calcat fastosa clientem.
Illic casta licet mens, et sine crimine constet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.
Sed lateri nullus comitem circumdare quærit,

lentum laudat etiam Meibomius, in Mæcenate, p. 103. LAGON.

103. *Patiuntur dicta jocorum. Dicta* hic apud Plautum in Captivis: « Dixi unum de dictis melioribus ». Martialis, lib. I, epigr. 5 : « Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi, Materiam dictis nec pudet esse ducem ». Varro *dicteria* vocavit : « Et orthopallica attulit psalteria, Quibus sonant in Græcia dicteria ». LINDENBR.

104. *Adfert injuria.* Laudat *infert* Meibomius, in Mæcen. p. 103. ED. — *Subitos adfert injuria risus.* Conferenda cum his Satira V Juvenalis, in qua varias exponit injurias, quas subire cogantur parasiti pauperes in cœnis divitum et regum suorum.

105. *Summos tenor ambit*, id est, amplectitur, amicale verbum. Lucanus, VIII, 67: « quam (Corneliam) pectore Magnus Ambit, et adstrictos refovet complexibus artus ». In hoc quoque Calpurnia domus similis Mæcenatis, quocum infra suum patronum comparat. Conferri potest Horat. Serm. I, 9, 49: « domus hac nec purior ulla est, Nec magis his aliena malis : nil mi officit unquam, Ditior hic, aut est quia doctior: est locus uni Cuique suus ». LAGON.

106. *Rara domus.* Non frequentata, deserta, δυσπρόσιτος. Vel: Rara est domus, quæ non aspernetur ac fastidiat amicum tenuem: ut sit gnome antithetica in fastidium opulentiorum, quo aspernantur tenuiores, quantumvis honestos. BERSM. Posterior interpretatio vera est.

107. *Humilem calcat*, contemptissime tractat, quemadmodum de amicitia Ovid. Trist. I, 7, 15 : « Illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen Re tibi pro vili sub pedibusque jacet ». — *Fastosa* vox argenteæ latinitatis. Martial. X, 13 : « fastosæ limina mœchæ ».

108. *Illic casta licet.* Vir doctus : *Illi casta licet mens*, non male. C.

109. *Probitas cum paupertate jacebit*, i. e. contempta erit et oppressa. Contra Claud. de Stilichone, lib. II, 128 : « opibusque fluens et pauper eodem Nititur ad fructum studio, quum cernat uterque, Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia surgat Divitiis ».

110. *Sed lateri.* Laur. Santenius V. C. in literis ad me datis suadebat *Et lateri.* — *Sed lateri nullus comitem. Lateris* vocabulo sæpe utuntur Latini ad designandam amicitiam, usum, familiaritatem. Claud. in Præf. ad Laud. Stilich. III, 11 :

Digitized by Google

Quem dat purus amor, sed quem tulit impia merces,
Nec quisquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex æquo, vicibusque regatur ab illo :
Sed miserum parva stipe munerat, ut pudibundos
Exercere sales inter convivia possit.
Ista procul labes, procul hæc fortuna refugit,
Piso, tuam, venerande, domum : tu mitis et acri
Asperitate carens, positoque per omnia fastu,

« Hærebat doctus lateri... Ennius ». Statius, Silv. III, 3, 65 : « Cæsareum coluisse latus ». — *Comitem* simul nominat clientem, quod inter officia patrono præstanda inprimis erat deductio et assectatio, qua *latus tegere, claudere* dicebantur. Sic Martial. II, 18, 5 : « Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis ». Idem IX, 101 : « mane togatum Observare jubes atria, Basse, tua : Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam ».

111. *Sed quem tulit impia merces*, attulit vel conciliavit sportula vel cœna. Juvenal. I, 118 : « Sportula quid referat, quantum rationibus addat », et mox v. 128. Idem, Sat. V, 12 seq. « Primo fige loco, quod tu, discumbere jussus, Mercedem solidam veterum capis officiorum. Fructus amicitiæ magnæ cibus : imputat hunc rex, Et quamvis rarum, tamen imputat ». Martial. III, 7 : « Centum miselli jam valete quadrantes, Anteambulonis congiarium lassi ».

113. *Vicibusque regatur ab illo.* Vult esse amicorum paria officia et commoda, hoc maxime, ut invicem consiliis suis regant et regantur, non ut alter solus regnet, alter mercede conductus serviat. Ita respicere videtur Saleius ad solenne vocabulum, quo patroni et potentes amici *reges* et *domini*, eorumque patrocinia *regna* vocari solebant. Martial. X, 10, 5 : « Qui me respiciet, dominum regemque vocabo ». Idem, IV, 40 : « Prætulimus tantis solum te, Posthume, regnis ». Addenda loca Martialis et Juvenalis superius adducta.

114. *Parva stipe munerat.* Alii, nempe Mic. Bersm. Col. *parva stipe focilat.* C. Antiquæ edd. ante Scal. et Jun. ut et Bersmanni, sic habent. Pro *pudibundos* etiam quædam antiquæ habent *pudibundus*, et ita Mic. Col. — *Ut pudibundos*, quorum pudere ipsum debeat. Bersm. — Hoc sensu adfuit in fabulâ Pasiphaes, 19, huj. Op. t. II, p. 447. Ed. — Aliter apud Horat. Art. Poet. 232, « matrona pudibunda ».

116. *Ista procul labes, procul.* Alii : *Iste procul livor, procul*, etc. C. quod apud neminem reperi. Lagom. Bersm. *Ipse procul*, male, et ita Mic. Col.

118. *Positoque per omnia fastu :* quomodo Claud. VI Cons. Hon. 61, de Theodosio Aug. « privataque passim Visere deposito dignatus limina fastu ». — Hic de pompa et apparatu consulari ; sæpius tamen pro fastidio sumitur. Virg. Æn. III, 326, « stirpis Achilleæ fastus ». Ed.

Digitized by Google

Inter ut æquales unus numeraris amicos:
Obsequiumque doces, et amorem quæris amando.
Cuncta domus varia cultorum personat arte,
Cuncta movet studium: nec enim tibi dura clientum
Turba rudisve placet, misero quæ freta labore
Nil nisi submoto novit præcedere vulgo;
Sed virtus numerosa juvat: tu pronus in omne

119. *Inter et æquales*, Corp. Aurel. Ed. — *Unus numeraris amicos*, ὡς εἷς τῶν πολλῶν. Brasm. Ut unus de cæteris amicis, nulla prærogativa. Hoc modo laudari solent, qui se communes aliis et civiles gerunt, nihil sibi præ aliis arrogant. Cicero de Offic. I, 30: « In sermonibus alium quem, quamvis præpotens sit, efficere, ut unus de multis esse videatur ». Plinius, Paneg. cap. 2 de Trajano: « Unum ille se ex nobis, et hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat; nec minus hominem se, quam hominibus præesse, meminit ».

120. *Et amorem quæris amando.* Paria de Trajano prædicat Plin. cap. 85: « Tu amicitiam pulsam et errantem reduxisti: habes amicos, quia amicus ipse es... Potest fortasse princeps..... odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest ». Atque hoc præceptum frequens Veteribus. Seneca, Epist. IX ex Hecatone refert: « Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine: Si vis amari, ama ». Et Martial. VI, 11: « Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem. Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama ».

121. *Cultorum personat arte:* h. e. quoniam, qui in domum tuam confluunt, cultores atque clientes, homines sunt politissimi variaque arte exculti, hinc in ea assidue sermones de rebus eruditis audiuntur, et singuli aliorum æmulatione ad expromenda sua studia, et danda artis specimina excitantur.

124. *Nil nisi submoto.* Nihil aliud præstare patrono potest, quam quod lictores, duri et infimæ plebis homines, magistratui, qui præcedentes et populum submoventes viam faciunt: quod latius exposuit Lipsius, Elect. I, 23. Tangit officium et turbam deducentium et comitantium, qui præcedere, vel lateri hærere, vel subsequi solebant, de quibus ad vers. 110 vidimus, et consulendi docti viri ad Plin. Paneg. cap. 76. *Cinctum togatis post et ante Saufeium* vocat Martial. II, 74. *Greges comitum* dicit Juven. I, 46; *gregem togatum*, Mart. II, 57.

125. *Sed virtus numerosa juvat,* h. e. multarum artium, et ad multa utilis. Quomodo pueri lepidi elogium in antiquo lapide, *Corpore in exiguo res numerosa fui*, explicat Gronov. ad Plin. Epist. X, 48; cui adsentitur Longolius ad eumdem, et P. Burmannus ad Anth. lib. IV, ep. 351. Vide Nostri versum 66. Sic etiam interpretor apud Colum. lib. X, v. 6, « numerosum hortum », non modo amplum et in multas areas definitum, sed propterea etiam mul-

Digitized by Google

Pectora ducis opus, seu te graviora vocarunt,
Seu leviora juvant: nec enim facundia semper
Adducta cum fronte placet; nec semper in armis
Bellica turba manet; nec tota classicus horror
Nocte dieque gemit; nec semper Gnossius arcu
Destinat, exempto sed laxat cornua nervo:
Et galea miles caput, et latus ense resolvit.

tis usibus servientem. Apud Claud. Raptu Pros. III, 414, « numerosa parens », quæ multos liberos habet. — *Tu pronus in omne:* tu solerti et docili ingenio præditus, facile animum ad omne artium et operum genus applicas.

128. *Adducta cum fronte.* Alii, ut Bersm. Col. *Abducta*, male. C. *Adducta* recte Micyll. quod et in margine præfert Bersm. Eod. *nec semper in armis.* Alii, nempe Mic. Bersm. Col. *non semper.* C.—*Adducta cum fronte*, hoc est, contracta, Bersmannus adnotat. *Adducere* frontem, vultum, Latinis est ad severitatem contrahere, et *adductus*, gravis, severus, tristis. Hoc sensu Suetonius Tiberium scribit c. 68 incessisse « vulto adducto, plerumque tacitum ». Pluribus id probavit Lipsius ad Tacit. Hist. III, 7. Propertius eadem mente *subductum* dixit pro gravi, II, 10, 9: « Nunc volo subducto gravior procedere vultu ». Juvenalis *obductam frontem* de mœsta potius, quam gravi, Sat. IX, 2: « Occurris fronte obducta, ceu Marsya victus ». — Scil. mœstitiæ signum vultus velo obductus. Servius autem ad Æn. X, 64, *obductum dolorem* exponit cicatrice diuturna jam coopertum, quia obduci dicuntur vulnera, quæ cicatrice clauduntur. Ed.

129. *Classicus horror*, i. e. sonus classici, qui horrorem incutit, ut explicat Heynius V. C. ad Tibull. I, 1, 4. Horat. Epod. 2, 5: « Nec excitatus classico miles truci ». Calpurnius, IV, 131, *classica turbida* vocat. Seneca in Thyeste, v. 574, « murmur grave classicorum ». Sed adjectivum *classicus* hoc sensu nondum ab alio usurpatum vidi.

130. *Nec semper Gnossius arcu.* Alii: *non... arcus.* C.—*Non semper Gnosius arcus*, Mic. Col. Bersm. (præter quod *Gnossius*). Optimum forte *Gnosius* cum Brunckio ad Apollon. Rhod. pag. 154. Lagom. — *Nocte dieque gemit.* Nemo forte dixit classica *gemere.* Millies permutantur in scriptis *fremere* et *gemere.* Et hic forte *fremit.* Tamen hæret animo, quod forte alicubi lectum est: « Classica rauca gemunt ». Lag.—*Nec semper Gnossius arcu.* Hor. II, od. 10: « Quondam cithara tacentem Suscitat Musam, neque semper arcum Tendit Apollo ». Bersm. Talibus etiam exemplis pro otio commendando utitur Stat. Silv. IV, 4, 30: « Et sontes operit pharetras, arcumque retendit Parthus, et Elæis auriga laboribus actos Alpheo permulcet equos ».

131. Malim *laxat sed.* Lag. — *Destinat*, ad locum designatum, ad scopum, jaculatur. Stat. Theb. VIII, 438: « Phædimon Iasiden arcu Dircæus Amyntas Destinat ».

Digitized by Google

Ipsa vices naturâ subit, variataque cursus
Ordinat, inversis et frondibus explicat annum.
Non semper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terrificis obcæcat sidera nimbis.
Cessat hiems, madidos et siccat vere capillos:

133. *Ipsa vices natura subit.* Heinsius ex ingenio emendavit: *Ipsa vicis Natura suæ variata recursus Ordinat;* quam correctionem probare videtur Burm. Anth. Lat. t. II, 344. —*Ipsa vices natura subit.* Sic Horat. C. IV, 7, 3: «Mutat terra vices»: quem totum locum, de variantibus anni horis, respexit et imitatus est Noster, quomodo et a Lucilio in Ætna, v. 235 seq. factum esse vidimus. Heinsii emendatio nec necessaria est, et imitationem Horatii perimit.

134. *Inversis et frondibus.* Heinsius: *in vernis nec frondibus.* — Displicet: *inversis frondibus.* Quænam sunt frondes inversæ? aut ego plane cæcutio, aut verum est *frontibus*, ut diversæ anni facies dicantur, respectusque fiat ad Janum. Natura explicat annum frontibus inversis, i. e. mutatis. Alia frons veris, alia æstatis, alia autumni, alia denique hiemis. Lagon. — *Inversis et frondibus explicat annum.* Hæc declarant, quod prius dixerat, variari naturam et vices subire, exemplo et signo a mutatis silvarum frondibus petito. Sic Horatius Art. Poet. 60: «Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos, Prima cadunt». Vult Saleius, totum annum natura continuis conversionibus et mutationibus, quæ in frondibus præcipue intelliguntur, peragi. Heinsii emendatio nullo modo est necessaria; immo intempestiva videtur, et veris mentionem injicit, quod deinceps, post hiemem, v. 138, nominat.

135. *Non semper fluidis adopertus.* Heins. *Non semper pluviis.* — Horat. II, od. 9: «Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros». Bersm. — *Fluidis nubibus*, i. e. pluviis, fluentibus. Lucanus, IV, 77: «Spissatæque fluunt nubes».

136. *Obcæcat sidera nimbis*, hoc est, obtegit et occultat. Sic apud Livium, lib. XXXIII, cap. 7: «Densa caligo obcæcaverat diem». — Et fragm. veteris poetæ apud Ciceronem, de Orat. III, 39: «inhorrescit mare; tenebræ conduplicantur, et nimbum obcæcat nigror». Ed. — *Obcæcari* sidera dicit, quia hæc alias, tamquam cæli oculi, videre et despectare dicuntur. Juven. VIII, 149: «sed Luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos». Et Manil. I, 283: «Omnia quæ summo despectant sidera mundo». — Catullus ad Lesbiam, p. 17, Voss. «Aut quam sidera multa quum tacet nox, Furtivos hominum vident amores». Ed. — De hac metaphora vid. Zinzerlingius, Critic. Juvenil. pag. 202.

137. *Madidos et siccat.* Heinsius *madidos ut siccet* edidit. — *Siccat vere capillos.* Capilli tribui videntur Hiemi ad imbres perpetuos designandos, ut ab Ovidio, Met. II, 30, quem exprimit Beda in Ecloga, v. 7. Unde et Notum nimbos ferentem sic describit Ovid. Met. I, 266: «Barba gravis nimbis; canis fluit unda capillis». At, idem

Digitized by Google

Ver fugit æstates: æstatum terga lacessit
Pomifer Autumnus nebulis cessurus, et undis.
Ignea quin etiam Superum pater arma recondit,
Et Ganymedeæ repetens convivia mensæ,
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra.
Temporibus servire decet: qui tempora certis
Ponderibus pensavit, eum si bella vocabunt,
Miles erit; si pax, positis toga gestiet armis:

Hiemi ex alia ratione, tamquam seni, raros et albos capillos tribuit Met. XV, 213: « Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos ». Quando *Ver siccare capillos Hiemis* dicitur, respici videtur ad imaginem Veneris ἀναδυομένης, quæ veris Dea est, e mari prodeuntis et capillos siccantis: cujus mentionem injicit Ovid. Trist. II, 527: « Sic madidos siccat digitis Venus uda capillos: Et modo maternis tecta videtur aquis ».

138. *Ver fugit æstates.* Horat. l. c. (red. ad not. 133, 134) « ver proterit æstas ». Lucil. l. c. « Ver æstate perit ». — *Æstatum terga lacessit*, i. e. Æstates proxime insequitur.

139. *Nebulis cessurus, et undis.* Junius, Scalig. Pith. Corp. Aurel. *nimbis cessurus, et undis.* C. Heinsius: *nimbis cessurus et udis.* Barthius: *nivibus cessurus.* Apud Mic. Bersm. Col. Maittar. est *nebulis.* Lagon. — *Pomifer Autumnus.* Et hoc ex Horat. l. c. Per *nebulas*, sive, ut alii scribunt, *nimbos* et *undas* intelligitur Hiems, cujus ea sunt indicia.

140. *Superum pater arma recondit.* Fortasse *reponit* scribendum est, quia hoc verbum usitatius poetis in memoranda remissione Jovis, Ovid. Metam. III, 318: « Forte Jovem memorant, diffusum nectare, curas Seposuisse graves ». Et Calpurn. IV, 94: « Jupiter ipse parens... posito paullisper fulmine, sæpe Cressia rura petit ». — Ego vero nihil mutandum censeo. Ed.

142. *Qua gessit Fulmina.* Forte: *qua jecit.*—*Pocula sumit:* ut Statius, Silv. IV, 2, 11: « Iliaca porrectum sumere dextra Immortale merum ». Pro Ganymedea mensam Æthiopum ex Homero nominat Statius in simili comparatione, Silv. IV, 2, 53: « Talis ubi Oceani finem mensasque revisit Æthiopum, sacro diffusus nectare vultus, Dux Superum secreta jubet dare carmine Musas ».

143. *Temporibus servire decet:* δουλεύειν τῷ καιρῷ. Bersm. Egregie huc facit locus Elegiæ in obitum Mæcen. 97: « Tempora dispensant usus, et tempora cultus, etc. »

144. *Certis Ponderibus pensavit*, certo judicio perpendit, quid tempus quodque poscat.

145. *Toga gestiet.* Alii *toga vestiet*, multo languidius. C. Hoc etiam Bersm. pro variante apposuit, ipse tamen et cæteri *gestiet* ediderunt. —Nescio, unde Bersmannus cepit; neque Cortius indicavit, unde sit. Lagon. — *Toga gestiet*, h. e. togatus lætabitur, et jactabit se civilibus in officiis.

Digitized by Google

Hunc fora pacatum, bellantem castra decebunt.
Felix illa dies, totumque canenda per orbem,
Quæ tibi, vitales quum primum traderet auras,
Contulit innumeras intra tua pectora dotes.
Mira subest gravitas inter fora : mirus, omissa
Paulisper gravitate, lepos : si carmina forte
Nectere ludenti juvit fluitantia versu,
Aonium facilis deducit pagina carmen :
Sive chelyn digitis, et eburno verbere pulsas,
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus,
Et te credibile est Phœbo didicisse magistro.
Nec pudeat pepulisse lyram, quum pace serena
Publica securis exsultent otia terris;
Nec pudeat Phœbea chelys, si creditur illis

147. *Canenda per orbem.* Alii : *canenda per ævum*, bene. C. — Ita dant Mic. Berms. Col. In eodem versu legerim : « vitali quum primum traderet auræ ». Lucanus, VII, 266 : « privatæ cupidus me reddere vitæ ». Lagon.

152. *Nectere ludenti juvit fluitantia versu.* Carmina *fluitantia* sunt, quæ verbis adhuc incompositis sunt, metro vinciendis. Ovid. Trist. IV, 10, 25 : « Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos ». Idem, Pont. IV, 2, 30, « numeris nectere verba » dicit. Et Statius, Silv. V, 3, 101, « sive orsa libebat Aoniis vincire modis ».

154. *Et eburno verbere pulsas*, plectro. Videtur respicere versum Virgilii, Æn. VI, 647 : « Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno ». Claudianus in præfat. ad II de Raptu Proserp. 16 : « Pollice festino mobile duxit ebur ». Propertius, II, 1, 9 : « Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis, Miramur, faciles ut premat arte manus ».

155. *Sequitur testudine cantus :* fit cantus ipsa testudine Apollinis dignus. Quomodo Propert. II, 34, 79 : « Tale facis carmen docta testudine, quale Cynthius impositis temperat articulis ». — Pariter Phædr. Fab. III, 16, 12 : « Cantus tui, Sonare cithara quos putes Apollinem ». Ed.

156. *Phœbo didicisse magistro.* Propert. I, 2, 27 : « Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet, Aoniamque libens Calliopea lyram ». Et vid. Eleg. in obit. Mæc. v. 17.

158. *Exsultent otia*, i. e. gaudendi et exsultandi caussam præbeant. Catull. 52 : « Otio exsultas nimiumque gaudes ». Quod otium et pacem terrarum hic laudet Saleius, sub Nerone scribens, hoc pertinere ad suetas adulationes videtur, quibus poetæ ejus temporis extollere Neronis imperium solebant, quas vehementer Turnus in fragmento Satiræ, v. 3 seq. exagitat.

Digitized by Google

Pulsari manibus, quibus et contenditur arcus.
Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles,
Quamvis mille rates Priameius ureret heros,
Et gravis obstreperet modulatis buccina nervis:
Illo dulce melos Nereius extudit heros
Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.
Arma tuis etiam si forte rotare lacertis,
Inque gradum clausis libuit consistere membris,
Et vitare simul, simul et captare petentem;

161. *Ipse fidem movisse ferox*, Mic. Bersm. Col. *Sic movisse fides sævus.* C. — *Narratur Achilles.* Frequenter provocant poetæ ad hoc exemplum Achillis post abductam Briseidem otium citharæ cantu oblectantis. Ovid. Trist. IV, 1, 15 : « Fertur et abducta Lyrnesside tristis Achilles Hæmonia curas attenuasse lyra ». Statius, Silv. IV, 4, 34 : « major post otia virtus. Talis cantata Briseide venit Achilles Acrior, et positis erupit in Hectora plectris ». Et Epitome Iliad. Homeri, quam damus hoc tomo, vs. 585 : « aberat nam Troum terror Achilles, Et dulci cithara dirum lenibat amorem ». — Et Achillis *cithara Pelethronia* dicitur, Antholog. Lat. VI, epigr. 70. Ed.

162. *Priameius heros*, Hector. Et forte hoc nomen reponendum pro *heros*, ne ingrate repetatur versu 164. Et Propertius II, 8, 31 : « Viderat ille fugas, fractos in litore Achivos, Fervere et Hectorea Dorica castra face ».

163. *Obstreperet modulatis buccina nervis.* Similiter Calpurn. IV, 131 : « Turbida nec calamos exsurdant classica nostros ».

164. *Extulit heros.* Alii: *extulit.* C. et ita Pith. Genev. 1596, Corp. Aur.

165. *Quo Pelias ibat*, ipsa scilicet hasta Achillis. Ovidio, Pont. I, 7, 52 : « Missa graves ictus Pelias hasta tulit ». Et confer. Pont. II, 2, 26; Metam. XIII, 109.

167. *Inque gradum... consistere.* Vir doctus : *Inque gradu.* C. Ita correxit J. Lips. Saturn. II, c. 20. — *Inque gradum clausis* : lege *gradu.* Stare in gradu dicitur, pro esse in actu incedentis, ut dicitur et in statu. Seneca : « Quorum alter vulnus premit, et constat in gradu ». Bersm. Sane vix dubium est, *in gradu* legendum esse, quum sic etiam Ovid. Metam. IX, 42 : « ad bella coimus, Inque gradu stetimus, certi non cedere ». — *Clausis membris*, i. e. compositis et coercitis intra statum. Quomodo apud Statium, Theb. VI, 744, Pollux dicitur, Alcidamanta palæstra exercens, membra ejus ad pugnandum composuisse : « Ipse Deus posuitque manus, et brachia finxit, etc. » — Tale est hoc Epitomes Il. Homeri, vs. 297 : « Corpus collectum tegitur fulgentibus armis ». Pluribus hunc pugilum morem ex Antiquis descripsit Cuperus, Observ. lib. I, cap. 12, pag. 89 seqq. Ed.

168. *Et vitare simul.* Quidam : *Et virtute simul*, corrupte. C. — *Vitare*

Digitized by Google

Mobilitate pedum celeres super orbibus orbes
Flectis, et obliquis fugientem cursibus urges
Et nunc vivaci scrutaris pectora dextra,
Nunc latus adversum nec opino percutis ictu.
Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem,
Et non sperato fugientem reddere gestu.
Hæret in hæc populus spectacula, totaque ludos

et *captare* vel *petere* propria verba in designando congressu pugnantium. Cicero in Oratore, cap. 68 : « Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores, videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, etc. » Et expresse Ovidius, Metamorph. IX, v. 37 : « Et modo cervicem, modo crura micantia captat ». Luculentius hanc artem athleticam describit Statius, Theb. VI, 766 seqq.

169. *Celeres super orbibus orbes. Orbes* usurpant de flexo et variato discursu pugnantium in petendo et vitando. Virg. Æneid. XII, 481 : « Æneas tortos legit obvius orbes, Vestigatque virum » ; et 743 : « Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes ». — Vide notas Edit. nost. vol. IV, pag. 343 et 365. Ed.

171. *Et nunc vivaci.* Mic. Bersm. Col. *Nunc quoque vivaci.*— Barthius ex MS quod apud Eburones hospitanti sibi contigisse ait, Advers. XXVII, 13 : « Et nunc scrutaris vitalia pectora dextra » : neque sic locus sanus. *Vitalia* sæpe apud poetas, sed *pectora* non addunt. Lucan. VI, 197 : « Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus ». Et sic sæpius ille. Deinde hic de levi pugna et umbratica ; quis de tali dicat *scrutari vitalia*, quasi pugione in viscera merso? Lucan. VIII, 557, de percussore Pompeii : « quid viscera nostra Scrutaris gladio? » Nimis igitur sævum, nimis dirum in certamine ludicro *scrutaris pectora*. In scriptis : *scruptaris*, quod nihil melius. Retineo *vivaci dextra*, et unice corrigo *sectaris* : pectora enim *sectatur*, qui in hoc certamen immittitur ; *vivaci* autem manu, ut arguta, agili, habili ad percutiendum. Lagon. — *Scrutaris pectora dextra*, gladio seu mucrone vivacis dextræ : per hypallagen. Brasm. Sed præcipue attendendum est ad *scrutaris*, h. e. specularis et designas oculis pectus, quod arguta et vivaci dextra petas. Quomodo auctor Epitom. Hom. v. 456 : « Undique rimabant inimico pectora ferro ». Virgilius autem, Æneid. XII, vs. 920 : « Sortitus fortunam oculis ». Quam Barthius in scripto codice invenit, lectio *scrutaris vitalia pectora*, mihi quidem non probabilis videtur. *Vitalia* nude et simpliciter dici memini, non adjecta *pectora*.

173-175. *Nec tibi mobilitas minor est.* Vid. Excursus tertius ad calcem hujus carminis.

176. *Hæret in hæc.* Quidam : *Mæret in hæc*, male. C. — *Hæret in hæc populus spectacula;* h. e. intentis in hæc spectacula oculis, defixus

Digitized by Google

Turba repente suos jam sudabunda relinquit.
Te si forte juvat studiorum pondere fessum,
Non languere tamen, lususque movere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, et vitreo peraguntur milite bella,

hæret, adstat, permanet. Quomodo Virg. Æn. I, 495: « Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno ». Nescio an melius hoc loco legatur « Hæret ad hæc ». Sic enim Cicero, Acad. Quæst. IV, 3: « ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tamquam ad saxum, adhærescunt ».

179. *Non languere tamen*, h. e. tamen otio aliquo, non languido illo et inerti, sed cum aliqua mentis agitatione conjuncto, recreari.— *Lususque movere per artem*, i. e. artificiosum aliquem ludum exercere. Senftlebius de Alea Vet. cap. 12, pag. 182.

180. *Callidiore modo*. Hypotyposis scacchiæ sive latrunculorum ludi. Bersm. Vetus scholiastes Juvenalis ad Sat. V, 109, de Pisone: « in latrunculi lusu tam perfectus et callidus, ut ad eum ludentem curreretur ». Perperam vero a plerisque veterem Latrunculorum ludum applicari ad hodiernum Scacchorum existimat Thomas *Hyde*, in historia Nerdiludii, p. 176, ubi de Damiludio.—*Tabula variatur aperta*. Ex his verbis patet, tabulam antiquorum pari ratione, ac nostra moderna, interdum clausam fuisse, et quasi complicatam, ita ut explicare et aperire eamdem opus habuerint. Senftl. — Ex eo quod tabula dicitur aperta, non dixerim cum Senftlebio, de Alea, cap. 12, similem fuisse nostræ et complicatilem, quæ aperiri et claudi rursus posset. Immo vero *aperta* nunc est, ut campo aperto: referuntur enim nunc omnia ad militiam. Lagon. — *Variatur*, i. e. varie et ingeniose hinc inde deducitur. Senftl. Potest etiam de vario colore vel forma calculorum accipi. Totam rationem ejus ludi exposuimus Excursu quarto ad calcem hujus carminis.

181. *Calculus*. Calculorum lusus et latrunculorum idem est. Ovid. Art. Am. II, 207, « Sive latrocinii sub imagine calculus ibit ». Lucil. XIV: « Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, et Calces; delectes te, hilo non rectiu' vivas ». Nam *calces* sunt calculi, ut alicubi notat Festus. Hodie alludunt ad vetus nomen Itali et Galli; *scalculum* enim vocant. Puto artis verbum fuisse *excalculari*, de eo qui vinceretur, ut *excuriari* et *excuneari* Varroni; unde et eadem etymi licentia videntur dicti *Axedres*, ut Hispani vocant, quasi *exquadri*. Nam *squadrones* quadras phalanges vocant. Scal. — *Vitreo peraguntur milite bella*. Fiebant ut plurimum ex vitro. Mart. VII, 72, « vitreo latrone clusos ». — *Pugnantur milite bella*, laudat ad Martial. XIV, 17 Raderus, pag. 908, ex memoria. Lagon. — Apud Petronium in convivio Trimalcionis crystallinæ sunt tesseræ; cujus verba digna sunt, quæ adscribantur: « Sequebatur puer cum tabula terebinthina, et crystallinis

Digitized by Google

Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce cessit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hostem?
Mille modis acies tua dimicat: ille petentem 185

tesseris: notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis et nigris aureos argenteosque habebat denarios ». Lindenbr. Sed Petronio sermo est de tabula tesseraria, Nostro de latruncularia, quæ quoniam prælii vel latrocinii simulacrum erat, hinc calculi *milites*, *latrones*, *latrunculi* dicuntur, iique ex vitro, gemma, ebore, aliave materia facti. Ovid. Art. Am. II, 208: « Fac, pereat vitreo miles ab hoste tuus ». Martial. XIV, 20: « Insidiosorum si ludis bella latronum, Gemmeus iste tibi miles et hostis erit ». Hinc *vitreum bellum* vocari eum lusum in loco Julii Capitol. vita Pertin. cap. 8, putat Trillerus, Observat. Crit. cap. 8, p. 347, ubi pro monstrosa voce *Phallovitroboli* legi posse existimat *alvei vitrei belli*.

182. *Ut niveus nigros*. Duplices et gemini coloris calculi erant, quia in duas acies vel turmas divisi, albi et nigri. Hinc *discolores*, *bicolores* milites dicuntur, Ovid. Trist. II, 477; Martial. XIV, 17. Sidonius Apollin. epist. VIII, 12, « tabulam calculis stratam bicoloribus » vocat. Pro *nigris* etiam *rubentes* vel *russei* ponuntur; ut in epigr. de alea, Anthol. Lat. III, 76: « Decertantque simul candidus atque rubens »; et epigr. 78: « Namque acie æquali concurrit russeus albo ». — *Alliget albos*, h. e. ita occupet et obsideat, ut moveri nequeant. Seneca, Epist. CXVII: « Nemo, qui ad incendium domus suæ currit, tabulam latruncularium perspicit, ut sciat quomodo alligatus exeat calculus ». Dicit autem *albos*, quia unus calculus poterat duos discolores alligare. Vid. infra v. 190.

183. *Quis te duce cessit*, h. e. te lusore et ductore calculorum. Ut totus lusus tabulæ formam prælii habebat et calculi milites dicebantur, ita, qui ludebat calculis *dux*, et qui vincebat *Imperator* appellabatur. Vopiscus in Proculo: « Quum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies Imperator exiisset, quidam non ignobilis scurra, Ave, inquit, Auguste, allataque lana purpurea humeros ejus vinxit, eumque adoravit ».

184. *Quis non periturus perdidit hostem*; id est, quis calculus tibi peremptus est, qui non antequam periret, aliquot prius ipse perdidisset hostes, i. e. calculos contrarios. Senftl. — Meo judicio *periturus* est, qui dum perire videtur, dum summa pericula experitur, hostem potius perdit. Millies hoc ita fit in Scacchorum ludo. Certe hoc majoris laudis est, si ne perit quidem perdendo. Lagom.

185. *Mille modis acies tua*. Calculorum ludus nihil aliud est, quam castra, et instructa acies. Sed cave, ne duodecim scriptorum ludum cum latrunculis confundas. Alius enim est. Cujus inventorem tradiderunt Palamedem. Ovid. init. Art. Am. III, 363: « Est genus in totidem tenui ratione redactum Scripula, etc ». Ita enim legendum, non, ut vulgo, *spicula*. Mox nostrum hunc

Digitized by Google

Dum fugit, ipse rapit: longo venit ille recessu,
Qui stetit in speculis: hic se committere rixæ
Audet, et in prædam venientem decipit hostem.
Ancipites subit ille moras, similisque ligato
Obligat ipse duos: hic ad majora movetur,
Ut citus et fracta prorumpat in agmina mandra,

ita describit: «Parva tabella capit ternos utrimque lapillos, E quibus hic labor est continuare suos». Qui manifesto lusus hodie a pueris observatur. Nam qui lapillos in linea continuat, is vincit. Scal. Mirum est, hunc lusum puerilem a Scaligero pro latruncolario haberi, qui ipsa descriptione, quam affert, tam diversus apparet.

186. *Recessu, Qui stetit.* Alii hæc aliter distinguunt. C.—*Longo venit ille recessu*, e remotiore regione prorumpit, et totum tramitem percurrit: quod et hodie in ludo Scacchico fieri posse notum est.—Male Senftlebius refert ad ipsum illum calculum fugientem modo, et jam ex insidiis prodeuntem. Lagon.

187. *Qui stetit in speculis*, σκοπιαῖς, excubiis. Brasm. Qui quasi e longinquo speculatus occasionem prædæ est, et adhuc in insidiis stetit.—*Hic se committere rixæ*: alius propius stans duobus rixantibus ita se objicit vel interponit, ut hostis jam in prædam veniens reprimatur.

189. *Ancipites subit ille moras*; h. e. alius calculorum, cunctando interdum, rem restituit. Senftl. Alius videtur in difficilem et insidiosum locum deductus, et iners factus, periculum subiisse ab hoste pereundi.—*Similisque ligato*, Bersmannus exponit, obsesso vel capto.

190. *Obligat ipse duos.* Forte et hic: *Alligat.* C.—Lego *Adligat* cum Cortio. *Obligat ipse tuos*, pessime Col.—*Ad majora* est, ut ludo finem imponat, ut hostem penitus vincat. Lagon.—*Obligat ipse duos.* Duo contrarios adligari ab uno potuisse, ostendimus in Excursu.—*Hic ad majora movetur*, ad majus edendum facinus, nempe ad perimendos in ipso agmine hostes, quod majus est adligatione adhuc tentata. Sic *magnum opus* pugna periculi plena cum graviore hoste dicitur Gratio, Cyneg. 179.

191. *Ut citus effracta perrumpat*, vir doctus apud Danielem Sonterium in Palamede, s. de tabula lusoria, p. 62. Lagon.—*Ut citus*, celeriter et improviso promotus. *Ciere* proprium in lusu calculorum. Plauti locum in Excursu dedimus. Hinc *incitus* calculus immobilis et iners. —*Et pror. in agmina mandra.* Mandræ sunt jumenta, aut carri. Juven. III, 237, «stantis convicia mandræ». In lusu latrunculorum dicti Equites. Mart. VII, 72, «Mandria et vitreo latrone clusos». Nisi potius quadrigas eburneas intelligas, quarum et factiones ad imitationem quatuor illarum celebriorum factionum in ludo calculorum repræsentabantur. Nam et Neronem quadrigis eburnis lusitasse, auctor Suetonius. Scal. Posse etiam simpliciter mandram septum interpretari puto: ut et Glossarium, *Μάνδρα hic septus.* Hesychius, Μάνδραι, ἕρκη, φραγμοί, ὕλαι, σηκοὶ βοῶν

Digitized by Google

Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea sectis quamvis acerrima surgant
Prælia militibus, plena tamen ipse phalange,
Aut etiam pauco spoliata milite, vincis,
Et tibi captiva resonat manus utraque turba.
Sed prius emenso Titan versetur Olympo,
Quam mea tot laudes decurrere carmina possint.
Felix, et longa juvenis dignissime vita,
Eximiumque tuæ gentis decus, accipe nostri

καὶ ἵππων. Sicque eo magis, quia sequitur, « Clausaque dejecto populetur mœnia vallo ». Lindenbr. — *Fracta mandra*, disrupto ordine viliorum latronum et custodum, qui reliquum agmen præcingunt, tamquam *vallum*, quod sequente versu dicitur.

192. *Populentur*, ut in Col. male laudat Senftlebius, explicans *disrumpentur*. Lag. — *Populetur mœnia*, stragem edat in turba calculorum, quæ conjuncta tamquam in castris aut urbe munita stat. Unde Græci in eodem ludo πόλιν appellarunt. Singula amplius explicamus in Excursu ad h. l.

193. *Interea sectis*. Senftlebius de Alea Vet. cap. 12, legendum putat *septis*, hoc est, mandris, sive locis et quadris, quibus stabant calculi, tamquam milites in ordinibus. — Addit tamen: Potest etiam antiqua lectio obtinere *sectis militibus*, i. e. dissipato calculorum ordine. Bene, et mihi vulgatum melius placet. Lag. — *Interea sectis*. Non admitti posse videtur Senftlebii emendatio; immo *sectis* conjungendum cum militibus, et secti milites sunt divisi in duo agmina. Sic *secta mens* Ovid. Remed. 443 est, quæ affectum partitur in duos: « Secta bipartito quum mens discurrit utroque, Alterius vires subtrahit alter amor ». Apud Horat. Carm. III, 27, v. extr. « sectus orbis » est pars orbis ab altera divisa.

194. *Plena tamen ipse phalange*, i. e. integro numero calculorum.

195. *Pauco spoliata milite*. Putares: *spoliatus*. C. Sic edidit Hadr. Junius. — Sed nil obstat quominus *spoliata* referatur ad præced. *phalange*. Ed.

196. *Resonat manus utraque, turba*; h. e. repletur latrunculis, quos tamquam captivos et victos e tabula rapuisti.

197. *Versetur Olympo*, vergat in occasum, ut Virg. Æneid. I, 374: « Ante diem clauso componet Vesper Olympo ». Sed pro *versetur* nescio an rectius legatur *mersetur*, sc. Oceano. Nam *mergi* sol occidens frequentissime dicitur. Seneca in Thyeste, vs. 777: « O Phœbe patiens, fugeris retro licet, Medioque ruptum merseris cælo diem ». Et Lucanus, IV, 282, « mersum Phœbum » dicit pro occaso. — Et Epitome Homeri, vs. 619: « fessus in undas Cœperat igniferos Titan immergere currus ». Et Epistola Didonis ad Æneam, quam infra proferemus, v. 43, « mersus pallentibus umbris » dies dicitur. Ed. — Quin

Digitized by Google

Certus, et hoc veri complectere pignus amoris.
Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est ; animum, non carmina jacto.
Tu modo lætus ades, forsan meliora canemus,
Et vires dabit ipse favor, dabit ipsa feracem
Spes animum : dignare tuos aperire penates :
Hoc solum petimus ; nec enim me divitis auri
Imperiosa fames, et habendi sæva libido
Impulerant, sed laudis amor : juvat, optime, tecum
Degere, cumque tuis virtutibus omne per ævum

etiam *mergi* sæpe nihil aliud est, quam inclinare et deorsum verti, ut observat Barthius ad Stat.Theb. VI, 803.

201. *Certus ut hoc*, Mic. Col. sed Bersm. recte prætulit *et*. LAGOM.

202. *Quod si digna tua minus est.* Simillimus locus Tibulli, IV, 3 : « At meritas si carmina laudes Deficiant, humilis tantis sim conditor actis ».

203. *At voluisse sat est.* Formula a pluribus usurpata. Bersmannus versum Propertii, II, 10, 6, apposuit : « In magnis et voluisse sat est ». Et Tibull. IV, 7 : « Est nobis voluisse satis ». Infra, v. 239 : « superest animosa voluntas ». — *Animum non carmina jacto.* Simile illud Calpurnii, IV, 14 : « Dum mea rusticitas, si non valet arte polita Carminis, at certe valeat pietate probari ».

204. *Tu modo lætus ades, forsan.* Similis et hic Calpurnius, IV, 58 : « Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos Experiar calamos, etc. » Et v. 70 : « sed nec mihi Phœbus Forsitan abnuerit, tu tantum commodus audi ». — *Meliora canemus.* Alii : *meliora tenemus.* C. Sic Scaliger et Pithœus ediderunt, et ita Corp. Aurel. Maett. Junius et Bersm. *canemus*, quod rectum, et Lindenbrogius reposuit in Append. Scalig. 1595, p. 318 : exstitit jam apud Mic. Jun. Bersm. Col. LAGOM.

205. *Et vires dabit ipse favor.* Commode Bersmannus hunc locum Ovidii advocat Fast. I, 17 : « Da mihi te placidum ; dederis in carmina vires ».

208. *Imperiosa fames*, quæ quidvis facere et pati imperat. Virgil. Æn. III, 56 : « Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames ? » Et Horat. Epist. I, 10, 47 : « Imperat aut servit collecta pecunia cuique ».

209. *Impulerant.* Alii : *Impulerit.* C. — Et ita Scal. Jun. Pith. Corp. Aurel. Maett. LAGOM. — Videtur legendum *Impulerunt.*

210. *Omne per ævum Carminibus certare*, h. e. pro magnitudine et merito virtutum tuarum studium carminum pangendorum intendere, vel carminibus virtutes tuas assidue celebrare. Respexisse videtur, quod Tibullus Messalæ confirmat, IV, 191, « Non te deficient nostræ memorare Camenæ » ; et versu 203 :

Digitized by Google

Carminibus certare meis; sublimior ibo,
Si famæ mihi pandis iter, si detrahis umbram.
Abdita quid prodest generosi vena metalli,
Si cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta ferat, teretique fluentia malo
Possit, et excusso dimittere vela rudente?

« Nulla mihi statuent finem te fata canendi ».

211. *Sublimior ibo*, magis conspicuus et illustris ero, quasi capite eminens inter cæteros. Horat. Carm. I, 1 extr. « Sublimi feriam sidera vertice ».

212. *Si famæ mihi pandis iter, si detrahis umbram.* Sic plane Calpurn. VIII, 84 : « Præsens tibi fama benignum Stravit iter, rumpens livoris nubila plena ». — *Detrahis umbram*, i. e. obscuram ignobilitatem, quæ et tenebrarum et noctis nomine venit. Horatius, Carm. IV, 9, 26: « omnes illacrymabiles urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro ». Ovid. Trist. I, 8, 55 : « At nostrum tenebris utinam latuisset in imis, Expediit studio lumen abesse meo ». Hinc et *doctor umbratus* apud Petronium, cap. 2, qui obscure vivit in schola, forum et celebritatem non expertus; et *rhetorica umbra* scholastica, expers famæ et celebritatis apud Juvenal. VII, 173. Noster, infra, v. 244 : « Possumus impositis caput exonerare tenebris ».

213. *Abdita quid prodest.* Sic « avaris abdita terris lamina » Horat. Carm. II, 2, 2.

214. *Si cultore caret*, i. e. fossore metallario, vel scrutatore, ut vocat Lucanus, IV, 298. *Campi cultore carentes* apud Ovid. Pont. I, 3, 55. — *Quid inerti portu*, navigationi non apto, in quo a navigatione cessandum. Sic *æquora inertia* apud Lucan. VI, 207, quæ navigationem impediunt. — *Condita portu*, otiose latens, ut Horat. Epist. I, 1, 5 : « latet abditus agro ». Virg. Æneid. V, 243, de navi : « portu se condidit alto ».

216. *Armamenta ferat.* Alii : *Armamenta gerat.* C. et ita Mic. Bersm. Colon. — *Armamenta ferat*, omnia instrumenta nautica, quæ et *arma*. Virg. Æn. V, 15 : « Colligere arma jubet, validisque incumbere remis ». Statius, in Theb. VI, 21 : « Tranquillo prius arma lacu ; clavumque levesque Explorant remos ». Et conferatur Petronii carmen de Mutat. Reip. Rom. vs. 234, hujus operis t. II, pag. 110. Ed.

217. *Et excusso.* Copula, nisi plane abundat, conjungit *tereti malo* et *excusso rudente*, et utrumque refert ad *fluentia*, ut intelligas *vela*, quæ tereti malo et excusso rudente fluunt. *Excusso*, id est, evoluto et laxato. Virg. Æn. III, 266 : « Tum litore funem Deripere, excussosque jubet laxare rudentes ». — *Dimittere vela*, forte *demittere*. Lagom. — De verbo *demittere* in *dimittere* mutato vide quæ Burmannus adnotavit ad Anthol. Lat. III, 125.

Digitized by Google

Ipse per Ausonias Æneia carmina gentes
Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum;
Mæoniumque senem Romano provocat ore,
Forsitan illius nemoris latuisset in umbra,
Quod canit, et sterili tantum cantasset avena,
Ignotus populis, si Mæcenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,

218. *Per Aus. Æneia carmina gentes.* Sic ipse Virgilius de suis carminibus loquitur, Georg. lib. II, vs. 176: « Ascræumque cano Romana per oppida carmen »; et in epigr. ad Venerem, Anth. Lat. I, epigr. 63: « Troius Æneas Romana per oppida digno Jam tandem ut tecum carmine vectus eat »; ubi obiter notandum bene emendatum *Troius* pro *Troicus*, et sic correxit Heinsius. Ed.

219. *Qui canit* ex memoria laudat Meibom. Mæcen. pag. 104, male; nam mox 222 *Quod canit*. Lagon.— *Ingenti qui nomine pulsat Olympum.* Hoc velut proverbium de summa claritate natum est. Ennius: « Musæ, quæ pedibus magnum pulsatis Olympum ». Quod quidem nobis arcaniore intellectu ad rem metricam videtur alludere. Barth. Advers. XXVII, 13. *Pulsat Olympum* de ingenti fama ita mihi dici videtur, ut apud Virgil. Æn. XI, 832: « immensus surgens ferit aurea clamor Sidera ». Tale est ejusdem, Ecl. V, 43; « usque ad sidera notus », et Æneid. IV, 176: « sese attollit in auras, Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit ».

220. *Provocat ore*, æmulatur, et cum eo certat. Statius in lyrico ad Maxim. 43: « avumque provocet actis ».

221. *Nemoris latuisset in umbra.* Eleganter Saleius per umbram nemoris obscuram et tenuem famam significat, quia et vita rustica, tamquam in recessu et otio acta, urbanæ et magis illustri opponi solet, et Virgilius famam tenuem a pastorali et silvestri carmine primum orsus est. Hinc similiter de Virgilio, Nostri locum haud dubie respiciens, Calpurnius, IV, 160: « Tu mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem Tityron e silvis dominam deduxit in urbem ».

222. *Quod canit, et.* In MS Chart. *quod canitet.* Mihi totus versus interpolatus videtur. *Quod canit... tantum cantasset* vix ferendum est. Rescripserim: « Quod cecinit sterili tantum modulatus avena », ut simul adludatur ad carmen Virgilianum. Lagon.

224. *Et tamen haud uni*, laudat Meibom. Mæcen. p. 44 et 108. — *Patefecit lumina*, Barth. ad Gratium, v. 98, pag. 81, et postea in Advers. XXIV, 14, pag. 1198, ut sit, quod ille ait: ex ignoratis celebres effecit. Sed quis ita loquutus est? Mihi *limina* satis sanum videtur; nisi quod *patefacere* paulo durius. Lagon. — *Patefecit limina vati.* Est nobis suspicio scribendum *lumina.* Non enim tam domum Tusci equitis coluerunt, quam dempto nubilo ab eo paupertatis serenæ velut luci restituti. Sic ante dixit: « Si famæ mihi pandis iter, si detrahis umbram ».

Digitized by Google

Nec sua Virgilio permisit numina soli; 225
Mæcenas tragico quatientem pulpita cæstu
Evexit Varium : Mæcenas alta Thoantis

Barth. Advers. XXII, 22. Sed *limina* sanum et rectum est. Sic enim et Cicero « aperire fores amicitiæ » dixit Epist. ad Div. XIII, 10: « In omnibus novis conjunctionibus interest, qualis primus aditus sit, et qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur ».

225. *Permisit numina soli.* Alii : *permisit nomina.* C. Sic Scaliger, Pithœus, Junius et Corp. Aurel. dederunt, Solus Bersmannus *numina.* — *Permisit numina soli.* Quod docti viri ediderunt *permisit nomina*, non bene fecerunt. *Numina* enim Augustum denotant, cujus familiaritas felicitas erat poetis. Habebat vero ea in potestate velut Mæcenas, quod clare *permittendi* verbo indicatur, et Horatius egregie docet libro I, Sat. IX. Barth. Advers. XXIV, 14. — *Numina* verum est. Lagon. — Ego vero, non cum Barthio et Meibomio, Mæcen. pag. 44, ad Augustum *numina* traxerim, cujus numina permittendi amicis Mæcenatis licitum fuisse dicunt, quæ mira ratio videtur. *Sua numina* permisit est simpliciter *se permisit.* Lagon.

226. *Pulpita cæstu.* Alii : *pulpita gestu.* C. et ita Jun. Scal. Pith. et Micyll. cum Col. in margine. *Quatientem carmina cæstu* laudat Meib. l. c., p. 108, et ex illo haud dubie, non inspecto carmine ipso, *Richer, Vie de Mécénas, à Paris,* 1746, in-8, p. 145. Lagon. — Solus Bersman. *cæstu.* —*Tragico quatientem pulpita,* i. e. resonare facientem theatrum tragico carmine, tragœdiis scribendis illustrem. — *Gestu*, nam hoc malo, quum *cæstu* drama et actum exprimit. L. Varium intelligit, amicum Virgilii, qui quidem ab epico carmine commendatur ab Horatio, Carm. I, 6, 1, et Serm. I, 10, 44, sed ut tragicus laudatur a posterioribus, ut a Martiale, VIII, 18, 7 : « Et Vario cessit (Maro) Romani laude cothurni, Quum posset tragico fortius ore loqui ». Memoratur inprimis Thyestes ejus, tragœdia, a Donato in Vita Virgilii. Plerumque Virgilio, ut principi poetæ, adjungitur ab Horatio, qui se etiam a Vario commendatum Mæcenati prædicat Serm. I, 6, 65. Et tres amicos Mæcenatis, ut hic Noster, enumerat Martialis, XII, 4, 1 : « Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni Mæcenas, atavis regibus ortus eques ».

227. *Erexit Varum*, Mic. Bersm. Col. *alta tonantis*, iidem et C. *Toantis*, Jun. Scal. Pith. Barth. Advers. XXIV, 14, nomen *Thoantis* interpolatum ex Charisio grammatico videbatur, ubi junctum *Mæcenatis* vocabulo legatur. Pari jure dixeris grammaticum, qui exempla caussæ suæ conquireret, ex hoc loco utrumque in commentarios suos retulisse. Thoantem non novi, nec inquirere vacat; sed Barthii emendationem coactam putem, « Mæcenas ulta Latinos Eruit... nomina »; non enim de uno aliquo vate sermonem esse, sed caussam omnium agi. Non attigit hunc locum Meibomius, ubi de Mæcenatis amicis satis fuse. Quis vero librarius obviam et notissimam

Digitized by Google

Eruit, et populis ostendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam resonantia chordis,
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.

vocem *Latinos*, vel casu vel stupore etiam, si vis, mutasset in *Thoantis?* Quod autem de Charisio Barthius, ne verum quidem est. Si enim illum locum in animo habuit, qui est pag. 8 edit. Pustch. satis profecto longo intervallo illa nomina distant, ut mirum sit Barthium talia scribere potuisse. (Sed spectasse videtur locum qui est p. 15.) Tentavit ipse modo non uno, sed nullus mihi satisfacit. Lag. — Tollendum omnino e textu puto mendum antiquum et absurdum *alta Thoantis*, et recipienda lectio emendata, quæ unice vera est, et verecundius, quam par erat a Wernsd. posita, *alta sonantis*. Idem Noster, v. 218, « Æneia carmina sonat »; et Horat. Serm. I, 4, 44, de poeta: « Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os Magna sonaturum ». Ed. — *Mæcenas alta Thoantis*. Quum oppositos vates Romanos Graiæ ostentationi dicat, ego nequaquam dubito, non de uno aliquo vate sermonem cieri, sed de caussa omnium, quos opposuit erutos tenebris fastui transmarinorum Mæcenas. Scribe: « Mæcenas ulta Latinos Eruit, et populis ». Lis erat quædam inter poeticam Græcorum et Latinorum. Cedebant longe Latini, Enniis, Næviis, Pacuviis suis impares Græcæ venustati. Ulta sunt Latinorum caussam tot divina nomina, quæ et Graiis se opponere possent: paupertatis obstaculis repulsis fecit lucem poetis Mæcenas. — De fastu autem Græco ea ætate fracto, non inelegantèr Focas: « Quis fecunda tuos toleraret Græcia fastus, Quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem, Æmula Virgilium tellus nisi Tusca tulisses? » Corruptio vero ex toties nominata contractione literarum valde facilis. Abeat igitur Thoas ille tandem in malam rem ex loco bono, quem inutiliter tanto tempore insedit. Error fortasse inde, quod Charisius, lib. I Gramm. ubi de nominum propriorum in *es* declinatione agit, Mæcenas, Mæcenatis, *Thoas*, *Thoantis*, conjungit; atque hinc veniens aliquis ad lectionem hujus poetæ Mæcenati etiam Thoantem comitem dare voluit. Barth. Advers. XXIV, 14. Idem ad Stat. Theb. VIII, 239, versum sic emendatum, certus sententiæ suæ, protulit. Mirum est, alios omnes doctos viros locum obscurum et manifeste corruptum non tentasse. Barthii emendatio in se probabilis et elegans; hæreo tamen, an potius *alta sonantis*, i. e. poetæ tragici et epici, quos ante nominavit, et deinceps a *gracili* Horatio distinguit, vel *sonantum* poetarum legendum statuam, quod certe ad sonum et literas vocis corruptæ propius accedit, et a Calpurnio expressum videtur, qui Ecl. IV, 160, de Mæcenate: « qui dulce sonantem Tityron e silvis, etc. » Et ipse Noster supra vs. 78: « Cecropiæque sonat gravis æmulus urbi ».

230. *Ausoniamque chelyn*. Horatius ipse de se, Carm. IV, 3, 23: « Romanæ fidicen lyræ ». Cuperus, Observ. I, 5, pro *gracilis* aliquando voluit *facilis*, sed mox ipse rejicit.

Digitized by Google

O decus, et toto merito venerabilis ævo
Pierii tutela chori, quo præside tuti
Non unquam vates inopi timuere senectæ.
Quod si quis nostris precibus locus, et mea vota
Si mentem subiere tuam, memorabilis olim
Tu mihi Mæcenas tereti cantabere versu,
Possumus æternæ nomen committere famæ:
Si tamen hoc ulli de se promittere fas est,

—*Gracilis* vero dicitur a tenui materia, et brevitate carminum, ut Virg. in Culice: « Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia. — *Patefecit*, i. e. fecit ut appareret, ostendit, aperuit famæ. Quomodo Plinius, Epist. VI, 23, 2: « Mire concupisco bonos juvenes ostendere foro, adsignare famæ. — *Patefecit Horati*. Modo versu 224 erat *patefecit limina*, quamquam in alia versus sede. MS Chart. *profecit*. An fuit *provexit?* Certe non deterius fuerit *provehere chelyn* quam patefacere. Micyll. Col. hic turpissimo mendo *Arati* pro *Horati*, quod recte vitavit Bersmannus, qui vulgo Micyllum sequutus est. LAGON.

231. *O decus*. Pro elogio Mæcenatis hos versus accipit Meibomius in Mæc. cap. XVIII, p. 109. Hunc enim nunc compellat Saleius, et insigni laude admirabundus ornat, quo magis permoveat Pisonem ad exemplum ejus imitandum. Meibomius legit *in totum merito venerabilis ævum.—Et toto merito venerabilis ævo*. Alii: *in totum merito venerabilis ævum*. C. et ita Mic. Bersm. Col. atque sic laudat, ut supra, Meibom. in Mæcen. p. 109. LAGON.

233. *Non unquam vates inopi*. Mæcenatem opibus sublevasse poetas, in primis testatur Martial. VIII, 56, 9: « Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam Reppulit », et mox: « Quid Varos, Marsosque loquar, ditataque vatum Nomina? magnus erit quos numerare labor ».

236. *Tu mihi Mæcenas*, h. e. tu mihi Mæcenatis loco eris, et abs me, ut olim Mæcenas a poetis, cantaberis. Sic etiam Calpurnius loquitur l. c. « Tu mihi talis eris, qualis qui, etc. » Paria Tibullus Messalæ promittit IV, 1, 24: « At quodcumque meæ poterunt audere Camenæ... omne vovemus Hoc tibi; nec tanto careat mihi nomine charta ».

237. *Possumus æternæ*. Lucanus, IX, 980: « O sacer et magnus vatum labor! omnia fato Eripis, et donas populis mortalibus ævum ». BERSM. Et alii poetæ, ingenio suo et meritis confisi, solent satis animose æternam nominis famam polliceri. Vid. Horat. Carm. III, 30; Propert. III, 1, 35; Ovid. in fine Metamorph.

238. *Si tamen hoc ulli*. Submodeste restringit, quæ jactantius dixisse videbatur, ut Ovidius in fine Metam. « Si quid habent veri vatum præsagia, vivam ».

239. *Et Deus ultor abest*. Alii: *Et Deus auctor adest*. C. Mic. et Col. Hanc lectionem in margine ponit, et minus probat Bersmannus, qui et *abest*. Ego vero in nullo

Digitized by Google

Et Deus ultor abest; superest animosa voluntas,
Ipsaque nescio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum; tu, Piso, latentem
Exsere: nos humilis domus, et sincera parentum,
Sed tenuis fortuna sua caligine celat.
Possumus impositis caput exonerare tenebris,

meorum inveni. — *Et Deus ultor abest.* Videtur Nemesin intelligere ὑπερφιάλοις ἀντίπαλον, ut est in epigrammate Theæt. Nec obstat genus: nam et Virg. ita loquutus est, et Græci θεοῦ appellationem communem faciunt. Burm. *Ultor Deus*, tamquam proverbio, dicitur, quisquis ille sit. Seneca, Herc. fur. 385: « Sequitur superbos ultor a tergo Deus ». Ovid. Metam. XIV, 750: « et jam Deus ultor agebat ». Tibull. I, 8, 72: « Nescius ultorem post caput esse Deum ». Tamen et *ultores Deos* nominat Propert. III, 20, 22, eosque a Nemesi distinguit Ovid. Metam. XIV, 693: « Ultoresque Deos, et pectora dura perosam Idalien, memoremque time Rhamnusidis iram ». — *Superest animosa voluntas.* Sic Ovid. Rem. Am. 392 de se loquitur ad livorem: « vivam modo; plura dolebis: Et capiunt animi carmina multa mei ».

240. *Ipsaque nescio quid.* Similiter Ovid. Her. XII extr. « Nescio quid certe mens mea majus agit ».

241. *Tu nanti.* Cl. Santenius præfert *Audenti.* Idem referebat a viro docto ad hunc locum notatum *Tu nati.* — Hic Lagonius: « Cur vero *nanti?* An qui nat, etiam latet? Vel, an qui nat, semper manu protensa eget? MS Chart. *nati.* Verissimum videtur *vati. Tu vati protende manum.* Atque eodem modo primum Goettingæ editum vidi a Burmanno secundo ad Propert. I, 6, 25, pag. 66; nescio utrum e scripto libro, an ex conjectura. Sed nihil ibi monet, ut variatæ scripturæ rationem reddat. An igitur forte editum ab aliquo repererat? Idem Burmannus eodem loco tentabat *jacentem.* Cur vero? annon satis proprie dicitur *exserere latentem?* et *exseri jacentem* nusquam legi ». Ed. — *Tu nanti protende manum*, i. e. laboranti periclitanti opem fer. Proprie de naufragis, quibus litori adnantibus manus porrigitur, caput etiam manu elevatur. Qua imagine aliquoties utitur Ovidius, ut Trist. V, 9, 17, « Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto, Nec dederit nanti per freta sæva manum »; et ex Pont. II, 6, 13: « Brachia da lasso potius prendenda natanti, Nec pigeat mento supposuisse manum ».

242. *Et sincera parentum.* In Lucani exemplari bibliothecæ Leidensis, Lipsius sua manu notaverat *at sincera.*

243. *Sua caligine celat*, ignotum et minus spectabilem facit. Statius, Silv. V, 16, dicit « Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem, Plebeia de stirpe ».

244. *Possumus impositis.* Sic Virg. Georg. III, 9: « tentanda via est, qua me quoque possim Tollere humo ». — *Caput exonerare tenebris*, i. e. deponere obscuritatem, depellere obstacula, quæ famam impe-

Digitized by Google

Et lucem spectare novam, si quid modo lætus
Annuis, et nostris subscribis, candide, votis.
Est mihi, crede, meis animus constantior annis;
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, et nondum vicesima venerit ætas.
Quod si tam validæ mihi robur mentis inesset,
Et solidus primos impleret spiritus annos,

diunt: idem est, ac quod vs. 212 dixerat, *si detrahis umbram*. Caput obtectum tenebris habere dicuntur incelebres, ut caput conspicuum tollere, qui famam acquirunt. Ovid. Trist. IV, 3, 81: « caputque Conspicuum pietas qua tua tollat habet ». Horat. Carm. III, 16, 19: « Jure perhorrui Late conspicuum tollere verticem ». Adfinia notavimus ad Spurrinæ IV, 1. De verbo *exonerare* conf. vs. 87: e contrario tenebræ, nox, *premere*, *urgere* dicuntur. Horat. Carm. I, 4, 16, et IV, 9, 27. — Burmannus sec. ad Propert. 1, 10, 15, p. 110: « Emendandum forte: *caput exsertare tenebris*. Nam quid est, ait, *exonerare?* An pro liberare se tenebris, quasi imposito gravi onere? » Quidni vero? neque aliud sibi volunt illa, *impositis tenebris*. Tacitus, Hist. IV, 40, « et fastos, adulatione temporum fœdatos, exonerarent ». Ut adeo ne opus quidem sit cogitare onus. Et est simpliciter *débarrasser*. LAGON.

248. *Juvenile decus*, prima lanugo, ut explicat Bersm. signum incuntis juventutis. Statio, Silv. II, 1, 53, « genis optatus honos ». Calpurn. II, 89: « flore juventæ Induimus vultus ». Claudianus de Consul. Prob. 69: « Ante, genas dulces quam flos juvenilis inumbret, Oraque ridenti lanugine vestiat ætas ».

249. *Vicesima venerit ætas*. Alii: *venerit ætas*. C. Et sic Mic. Bersm. Col.; at Mic. et Col. in marg. *ætas*. Et in his desinunt Mic. cum Col. cæteris in alium locum rejectis. LAGON.

250. *Quod si tam validæ*. Alii: *jam validæ*. C. atque ita Mic. Bersm. Col. Quantum video, rectius *jam*. Non enim negat aliquando sibi adfore tale robur; sed nunc primis in annis deesse sibi queritur. Deinde nescio quomodo versus lenior fluere videbatur, si scriberetur: « Quod si jam validæ robur mihi mentis inesset ». LAGON.

251. *Et solidus primos impleret spiritus annos*, si primæ ætati meæ firmior ea vis animi, is spiritus esset, qui solet esse plenæ atque perfectæ. Affinia sunt ista Virgilii Æn. II, 638: « Vos o, quibus integer ævi Sanguis, ait, solidæque suo stant sanguine vires ».—*Impleret* est consummaret, vim et dignitatem adderet, ut satis validi aptique essent. Plin. Paneg. 15, 4: « quod denique tectum magnus hospes impleveris », i. e. tibi aptum, tua persona satis dignum feceris quum id intrares. Ovid. Trist. IV, 3, 73: « Materiamque tuis tristem virtutibus imple », i. e. ostende, materiam eam, quamvis tristem, dignam abs te haberi, in qua et virtutes tuas exerceas.

Digitized by Google

Auderem voces per carmina nostra referre,
Piso, tuas; sed fessa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadunt succiso poplite membra.
Sic nec olorinos audet Pandionis ales
Parva referre sonos, nec, si velit improba, possit.
Sic et aedonia superantur voce cicadæ,
Stridula quum rapido faciunt convicia Soli.

252. *Auderem voces.* Cl. Santenius scribendum putabat *dotes*. Sed *voces* auctorem voluisse, declarat sequens comparatio, v. 255 seqq.—*Auderem voces per carmina nostra referre*, eloquentiam, orationes, sententias tuas carminibus meis imitari, vel repetere. Vid. supra v. 80.

254. *Succiso poplite.* Petron. Arbiter: « Date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent ». Lindenb.—*Succisus* poples est, qui concidit et prolabitur, quasi nervis succisis: alias *succiduus* dicitur. Ovid. Met. X, 458: « Poplite succiduo genua intremuere ». Proprie usurpavit idem Metam. VIII, 364: « trepidantem, et terga parantem Vertere, succiso liquerunt poplite nervi ».

255. *Sic nec olorinos.* Alii: *Sed nec.* C. et Jun. Scal. Pith. Lagom. —*Pandionis ales*, philomela.

256. *Si velit improba*, si audeat arroganter. Martial. I, 54, 9: « Sic ubi multisona fervet sacer Attide lucus, Improba Cecropias effundit pica querelas ». Lucretius, III, 6: « quid enim contendat hirundo Cycnis ».

257. *Aedonia voce*, luscinias, quæ *aedon* et *vocalis longos ducere cantus* dicitur Calpurnio, IX, 61. *Aedoniæ voces* Lactant. in Phœn. 47. — Et Festus Avienus, in Sirenum Allegoria, v. 7: « Quodque leves calami, quod suavis cantat aedon »; ubi *aedonem* Musici nomen esse putabat Mariang. Accursius, quem recte refutavit Fortun. Licetus d. l. In Epitaphio Athenaidis et Probi apud Fabrett. cap. 10, pag. 702: « Quum te, nate, fleo, planctus dabit Attica aedon, Et comes his lacrymis veniet pro conjuge Siren, etc. » In epitaphio apud Pithœum, lib. III, p. 123: « Et super in nido Marathonis cantet aedon ». In Judicio coci et pistoris, quod tomo I, pag. 588 hujus operis edidimus, v. 53: « Tu facis in lucis ut cantet tristis aedon, Mœstaque sub mœsto sua murmuret acta chelidon ». Ita in carmine de Philomela, apud Pithœum in Prætermissis, p. 486 ed. Paris. « Judice me cycnus et garrula cedat aedon, Cedat et illustri psittacus ore tibi ». Itaque bene viri docti ad Petron. cap. 131, in Descriptione loci amœni castigaverunt *aedon* pro *Easdon*, v. 6: « Dignus amore locus; testis silvester aedon »; quod probabat Scaliger. Videatur et Heins. ad Ovid. Met. VI, 468. Ed.

258. *Stridula cum rapido.* Cl. Santenius suspicatur *rabido* scripsisse poetam. — *Cum rapido*, æstivo et torrenti soli. Vid. Calpurn. I, 10: nam æstu maxime et calescente die strepere cicadæ solent. Vid. Virg. Georg. III, 327, et auctor Copæ,

Digitized by Google

Quare age, Calliope, posita gravitate forensi,
Limina Pisonis mecum pete : plura supersunt,
Quæ laudare velis inventa penatibus ipsis.

meridianum calorem indicans, vs. 27 : « Et cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ ». — *Faciunt convicia soli*, perpetuos strepitus et stridores exercent in sole. *Convicium* de magno multorum et confuso clamore vel strepitu. Ovidius, Metam. V, 677, « nemorum convicia picæ », et Columella, lib. X, 12 : « Perpetitur querulæ semper convicia ranæ ».

259. *Quare age, Calliope, posita gravitate forensi*, deposito, omisso consilio laudandi graviora Pisonis acta, publica et forensia (coll. v. 150), quæ majora tuis viribus sunt; vid. v. 252 seq. Confer te, Calliope mea, ad res ejus privatas, virtutesque domi et inter familiares exercitas, in quibus sane multa invenies, quæ laudare velis.

Digitized by Google

EXCURSUS I

AD SALEII BASSI CARM. AD CALP. PISONEM, vs. 35 et 36.

Sic etiam, magno jam tunc Cicerone vigente,
Laurea facundis cesserunt arma togatis.

Recte Bersmannus ad hos versus allegavit, quæ apud Ciceronem, Offic. lib. I, c. 22, leguntur : *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Non enim dubium est, allusisse Saleium ad eum versum Ciceronis, quo ipse, post oppressam conjurationem Catilinariam, de se gloriabatur, quemque irrisum a multis improbis, ipse de Offic. l. c. et in Philipp. II, 8, et orat. in Pison. c. 29 et 30, queritur. Miror autem, a nemine doctorum virorum, qui ad locos Ciceronis allegatos commentati sunt, eum carminis nostri versum, pro constituenda vel asserenda versus Ciceroniani lectione, adductum esse. Nam ut interpretes Ciceronis plerique adnotant, præsertim duo Heusingeri in nupera accuratissimaque librorum Cic. de Offic. editione, quam his ipsis diebus primum mihi inspicere contigit, acute disquisiverunt, in locis Ciceronis de Offic. et in Pison. plerique codices MSS habent *concedat laurea linguæ*, alii, iique meliores, *laurea laudi*, quod præstantissimi Ciceronis interpr. Gronovius, Grævius, Ernestus, et ante eos Ursinus ac Vossius probarunt, quoniam ipse Cicero hanc lectionem asserere oratione in Pis. c. 30 videtur, ubi hoc versus membrum his verbis interpretatur : « Nam quum tu, timidus ac tremens, tuis ipse furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abjecisti, indicasti, non modo

Digitized by Google

amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse». Idem, lib. XV, Epist. 6, 3, «Quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem». Monet etiam Grævius ad orat. Cic. in Pis. l. c. *laudem* fere Tullio notare τὰ ἐπαινετὰ ἐν τοῖς πολιτικοῖς πράγματα καὶ σπουδήματα, et honesta hominum de iis judicia. Ut in Bruto: «At vero extra Græciam magna dicendi studia fuerunt, maximique huic laudi habiti honores illustre nomen oratorum reddiderunt». Et pro Plancio: *Itaque si quam habeo laudem.* Neque reticere possum rationem J. M. Heusingeri, ob quam in versu Ciceroniano probabilius *laudi*, quam *linguæ* legi putet: nam *laurea*, inquit, primum minus recte opponitur *linguæ*, quam *laudi*, id est, honorifico Senatus populique Romani judicio; deinde Cicero syllabarum antanaclasin adhibuisse videtur, ut in illo, *O fortunatam natam me Consule Romam:* propter quem æque irrisum esse Tullium Quintilianus, lib. IX, c. 4, et Juvenalis, X, 122, ostendit. Alteram tamen lectionem *laurea linguæ* jam antiquitus usu et sermone receptam, Ciceronique suppositam esse, nonnulli Veterum loci probant. Sequutus est eam auctor invectivæ in Ciceronem, quæ Sallustio tribuitur, et Quintilianus, lib. XI, cap. 1; inprimisque Plutarchus, quid Ciceroni propter eum versum vitio datum sit, declarat in Vita Cicer. vol. IV, pag. 849, edit. Reisk. ἡ δὲ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία τῆς περιαυτολογίας, ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει πρὸς δόξαν, βοῶντος, ὡς τὰ ὅπλα ἔδει τῇ τηβέννῳ καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην. Videor mihi ex hoc loco Plutarchi perspicere, inimicos et obtrectatores Ciceronis, ut invidiam ei moverent, de industria *linguam* in ejus dicto pro *laude* posuisse. Sic enim calumniari videbantur, quasi Cicero soli eloquentiæ suæ gloriam præ bellica virtute vindicasset, quum ipse non linguam vel eloquentiam solam opposuisset laureæ, sed *laudem*, id est, gloriam e rebus civilibus bene administratis quæsitam, cui eloquentia servit. Sed tamen hæc dicti mutatio ita vulgo prævaluit, ut scriptores etiam, qui obiter attingunt, eam sequi videantur. Sic enim Plinius libro VII, cap. 30, de Cicerone loquitur: «Salve, primus omnium parens

Digitized by Google

patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæque lauream merite, et facundiæ Latinarumque literarum parens». Etsi hic Plinius *linguæ lauream* aliter accipit, ac quando Cicero lauream linguæ cedere dixerit, ipsa tamen hæc verba suggessisse Plinio dictum Tullianum videtur, quo *laurea linguæ* jungebatur. Huc etiam refero Saleium Bassum in versu isto: *Laurea facundis cesserunt arma togatis.* Quod enim *facundos* et *togatos* conjungit, videtur etiam in Ciceronis versu, ad quem alludit, *linguam* et *togam* nominatam accepisse, et fortasse sic distinguendus hic versus est, ut Ciceronis illi, e quo manavit, similior fiat, et *laurea arma* non legantur conjuncta, sed *laurea facundis cessisse* dicatur, et *arma togatis.* Cæterum subit miratio, Saleium Ciceronis versum et sententiam in carmine ad Pisonem laudare, cujus in majoribus L. Calpurnius Piso, inimicus Ciceronis, eam et acerbe reprehenderat, et propterea acerrime castigatus a Cicerone erat. Quantumvis autem derisa et impugnata sententia Ciceronis ab ejus inimicis fuerit, veritas tamen ejus, ut ab ipso declarata passim in libris ejus erat, apud posteros agnita obtinuit, qui gloriam, quam sibi Cicero e consulatu suo et oppressa factione Catilinæ vindicabat, graviter ipsi adserunt et fatentur. Nam ut ille ad filium scribit, de Offic. I, 22: « Nobis rem publicam gubernantibus, nonne togæ arma cessere? neque enim periculum in re publica fuit gravius unquam, nec majus otium. Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quæ res igitur gesta unquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? » Ecce, quam candide hæc fatetur et repetit Lucanus, lib. VII, 62 seq.

> .....Romani maximus auctor
> Tullius eloquii; cujus sub jure togaque,
> Pacificas sævus tremuit Catilina secures.

Eodem respiciens Silius Ital. lib. VIII, 410, de Cicerone:

> Implebit terras voce, et furialia bella
> Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
> Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.

Digitized by Google

Et adhuc gravius luculentiusque Juvenalis, Sat. VIII, 237 seqq.

> Hic novus Arpinas ignobilis, et modo Romæ
> Municipalis eques, galeatum ponit ubique
> Præsidium attonitis, et in omni gente laborat.
> Tantum igitur muros intra toga contulit illi
> Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum
> Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
> Cædibus assiduis gladio.

Conferri his etiam possunt, quæ supra in Cornelii Severi fragmento, v. 4 seqq. de consulatu Ciceronis dicta sunt.

EXCURSUS II

AD SALEII BASSI CARMEN, vs. 79, 80.

> Testis Acidalia quæ condidit alite muros,
> Euboicam referens fecunda Neapolis arcem.

Parthenope, a qua Neapolis dicta est, cum classe et colonis ex Eubœa veniens, Phœbo auspice et augurio columbæ antevolantis ducta, in solo ad sinum Cumanum substitit, et urbem condidit: quamquam alii a Parthenope Sirene, ibi tumulata, appellatam volunt, auctore Eustathio ad Dionysium, v. 358. Statius Nostro congruens, Silv. III, 5, 79:

> Parthenope, cui mite solum trans æquora vectæ
> Ipse Dionea monstravit Apollo columba.

Idem adhuc luculentius de origine Neapolis, Silv. IV, 8, 45:

> Di Patrii, quos auguriis super æquora magnis
> Litus ad Ausonium devexit Abantia classis:
> Tu ductor populi longe emigrantis Apollo,
> Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem
> Respiciens blande felix Eumelis adorat.

Digitized by Google

Eo loco Abantia classis vocatur Euboica vel Chalcidensis, quod Eubœam Abantes habitarunt, quos Homerus nominat. Et memoriam Neapolis, a Parthenope columbæ augurio conditæ, ait poeta conservari in ea urbe statua Apollinis, columba lævo ejus humero insidente, quam adstans respicere Parthenope et adorare videatur. Hæc enim, auctore Domitio, est Eumelis, i. e. Eumeli filia. Qui Eumelus alias ignotus est, nisi idem cum Eumelo, Admeti regis Thessaliæ ex Alcesta uxore filio, habendus. Scaliger locum Statii in comment. ad Nostrum citans *Eumetis* legit, sed nihil super ea docet. Et Barthio videtur *Eumelis* sive *Eumetis* civitatis, aut loci potius, nomen esse, ubi antiquitatis index talis statua fuerit superstes. Idem tamen in re admodum dubia et obscura, cujus solus meminisse Statius videtur, nihil certius affirmare audet. Traditionem de columba antecedente etiam historicus servavit Velleius Paterc. lib. I, cap. 4: « Nec multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle et Megasthene ducibus Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu ferunt; alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit ». Quod autem Saleius Græcæ eloquentiæ Pisonis testem Neapolim citat, hæc caussa est. Neapolitanis, nempe a Chalcidensibus oriundis, ut patrii ritus Græcæque linguæ manebat custodia, ita quinquennale ludicrum erat, in quo poetæ, oratores, musici, athletæ certabant. Nobilissimi quique et doctissimi Romanorum, qui in amœnissimam hanc civitatem, otio et studiis deditissimam, frequentes commeabant, per ea certamina crebro artis et ingenii sui experimenta solebant edere. Silius Ital. lib. XII, 31:

> Nunc molles urbi ritus, atque hospita Musis
> Otia, et exemptum curis gravioribus ævum;

et Virgil. Georg. IV extr.

> Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
> Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

De Quinquennalibus ludis ejus sæpius Statius, ut Silv. II,

Digitized by Google

2, 6, ubi *patrii quinquennia lustri* nominat; et lib. III, 5, 92, *Et Capitolinis quinquennia proxima lustris*, ubi honore, celebritate, dignitate, apparatu proxima Capitolino agoni a Domitiano instituto dicere videtur. Et lib. V, Silv. 3, 109 seqq. Statius patrem suum, plane ut Noster Pisonem, in certamine Neapolitano Græcæ eloquentiæ gloriam retulisse memorat, patriam suam Parthenopen alloquens:

> Si tu stirpe vetus, famæque obscura jaceres
> Nil gentile tenens, illo te cive probares
> Graiam, atque Euboico majorum sanguine duci.
> Ille tuis toties præstrinxit tempora sertis,
> Quum stata laudato caneret Quinquennia versu;
> Ora supergressus Pylii senis, oraque regis
> Dulichii, specieque comam subnexus utraque, etc.

De eorum ludorum institutione et celebritate Strabo, lib. V, p. 377 edit. Almelov. de Neapolitanis agens: νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας, ἐναμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. Bernartius ad Statii Silv. II, 2, 6, ex vocibus νυνὶ δὲ colligit, certamen Neapolitanum institutum Strabonis ævo, et quidem in honorem Augusti, quod Suetonius indicare videtur in Octav. cap. 98: « Mox Neapolim trajecit, quamquam et tum infirmis intestinis, morbo variante: tamen et quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectavit ». Quamquam ex verbis hisce nondum certo constat totum ludorum Neapolitanorum solenne, quod etiam musicis et poeticis agonibus constabat, ævo demum Augusti initium cepisse, quum apud Suetonium solius gymnici, in Augusti honorem forte additi et seorsum celebrati, mentio fiat; quum tamen certiora deficiant testimonia, hac quidem ratione contenti sumus. Adjicimus tantum aliam observationem ex loco Statiano, ab interpretibus fere neglecto, capiendam, quæ ad tempus et celebrationem ludi quinquennalis Neapolitani pertinet. Sic enim Statius, Silv. II, 2, 6 seqq.

> Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,
> Quum stadio jam pigra quies, canusque sederet

Digitized by Google

Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes,
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit, etc.

Pigra quies stadii et *sedatus jam pulvis* significant haud dubie, clausum jam stadium et finita athletarum certamina a Papinio indicari. Sed finitorum eorum caussam addere in verbis sequentibus videtur, *ad Ambracias conversa gymnade frondes*, quæ sane obscura est. Domitius, qui solus fere hæc verba attigit, inepta interpretatione, quam ipse non intelligo, nihil efficit, de Ambracia loquens, in qua Sellas patriam habuerit pater Statii. Barthius *Ambracias frondes*, i. e. laureas rectius interpretatur Actiacos ludos, post victum eo loco M. Antonium ab Augusto institutos. Vid. Sueton. Aug. cap. 18. Hos igitur ludos Nicopoli ad Actium celebratos caussam fuisse prodit finiti vel sublati agonis Neapolitani, quia *gymnas*, i. e. gymnicus agon, vel turba athletarum, tum *conversa* fuerit ad *Ambracias frondes*, Actiacos ludos celebrandos. Hujus pronuntiati duplex ratio et sententia afferri potest: vel imminutam tum fuisse ludorum Neapolitanorum celebritatem, eosque citius finiendos, quum prævalens Actiacorum fama athletas non minus, quam spectatores abduceret; vel Actiacos ludos ita subsequi Neapolitanos, ut his vix finitis studia hominum ad certamina Actiaca visenda et celebranda convertantur. Atque hæc, quam posterius posui, sententia in se veri admodum similis, et ab Adriano Turnebo, Advers. lib. XI, cap. 15, probata est, qui eo anno, quo hæc scripsit Statius, accidisse dicit, ut Actiaci ludi Neapolitanos sequerentur. Idque ipsum ex anni tempore, quo utrique celebrati videntur, facile est colligere. Suetonius Augustum quinquennale certamen Neapoli paucis ante mortem diebus perspectasse narrat, cap. 98. Is vero decessit XIV Cal. Septembr. teste Suetonio, cap. 100. Hinc mense Augusto id certamen agi solitum, manifestum est, idque ipsum mensis honor, ut credamus, suadet, quod in se probabile est, ludos honori Augusti institutos et actos eo mense esse, qui Augusti nomine nuncuparetur. Actiaci ludi haud dubie eo mense celebrati sunt, quo victoria ad

Digitized by Google

Actium parta est. Auctor vero est Dio Cassius libri LI initio, pugnam navalem ad Actium IV Nonas Septembr. commissam esse. Unde palam est, ludos in ejus memoriam institutos initio mensis Septembris habitos esse, atque adeo vix peractis Neapolitanis initium cepisse.

EXCURSUS III

AD SALEII BASSI CARMEN, vs. 173-175.

Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem,
Et non sperato fugientem reddere gestu.

Locus hic satis luculentus et fere primarius est, ex quo ars atque ratio lusus pilæ apud Romanos, præcipuique in eo jactus pulsusque intelligantur, ut sane mirandum sit, scriptores, qui de eo lusu egerunt, plerosque hoc loco Saleii non usos esse. Nempe ignorata fere, aut parcius lecta a doctis carmina minora reperio, quæ edo. Legi certe Hier. Mercurialem, Art. Gymnast. lib. II, cap. 5; J. C. Bulengerum, de ludis priv. et domest. c. 9; Matth. Raderum, comment. ad Martial. IV, 19; Gonsal. *de Sales*, comment. ad Petron. c. 27; Vossium, de art. popul. c. 3, § 65; Turnebum, Adv. lib. VII, c. 4: sed nemo hunc locum carminis ad Pisonem, ad explicandum pilaris lusionis modum adhibuit, quod optime fieri poterat. Solus est, quem quidem reperi, Laur. Ramiresius in hypomn. ad Martial. lib. IV, epigr. 19, qui verba Nostri ad explicandum ejus ludi modum, quamquam parum accurate et acute, applicavit. Petrus Faber, in Agonist. lib. I, cap. 6, obiter recitavit. Atque est quidem ratio ejus ludi per se parum aperta, nec ab ipsis Antiquis

Digitized by Google

explicata, ut docti viri fatentur; noster tamen locus sic satis luculentus videtur, ut lucem adfundere aliis possit. Et quoniam Saleius Pisonem a scientia et usu ejus ludi laudare vult, inde necesse est ea inprimis memorari, in quibus ars maxime et præcipuum officium ludentium spectabatur. In variis pilæ generibus, quomodo ab Antiquis, et maxime a Martiale, libro XIV, epigr. 45-48 describuntur, hic non immoramur. Saleius *pilæ* nomine inprimis respicere *follem* videtur, qui vento tumens in circulis, vel corona adstantium, pugno emitti pulsarique solebat. *Arenariam* pilam vocare videtur Isidorus, Orig. XVIII, cap. ult. Ab eo non multum diversa pilæ *trigonalis* ratio videtur, quæ licet minor *folle* et solida, plumisque referta esset, et a tribus tantum ludentibus, in trigono seu triangulo consistentibus, invicem pulsari, captari, excipi et reddi solebat, idem tamen in plurium etiam circulo evenire sæpissime debuit, ut pila in adversum conjecta pulsu obliquo vel transverso in trigonum abiret. Et utrumque genus *pila* appellari, sine vocis alterius adjectione, solet. Horat. Sat. II, 2, 11 :

> ..... seu pila velox
> Molliter austerum studio fallente laborem,
> Seu te discus agit;

et Propertius, III, 14, 5, *Quum pila veloci fallit per brachia jactu.* Trigonalem ἁπλῶς pilam nominat Martialis, VII, 32,

> Non pila, non follis, non te paganica thermis
> Præparat;

nam quatuor genera pilarum enumerans, ubi *trigonem* non exprimit, hanc communi nomine *pilæ* designat. Trigonali pila Trimalchionem apud Petronium, cap. 27, ludere contendit Gonsalius. Ego vero in circulo lusisse, verius mihi persuadeo. Narrat enim senem inter pueros capillatos pila sparsiva se exercuisse, *follis* etiam et *circuli* mentionem injicit. At vero follis pueris et senibus aptus lusus habebatur, teste Martiale, XIV, 47 :

> Folle decet pueros ludere, folle senes.

Digitized by Google

Quod vero et in narratione Petronii quædam insunt, quæ convenire trigoni videntur, ea similem utrumque ludum esse ostendunt. Communis utrique ludo ars et summa erat, ut pila quam diutissime manibus ludentium ultro citroque jactaretur, neque in terram cadens effugeret. In trigonali hoc laboriosius, quod, ludentibus certo loco constitutis, pila intra limites et justa spatia continuo jactari, et pulsibus certus modus adhiberi debebat, et, qui ultra spatium jecerat, vel effugere in terramque cadere siverat, is deliquisse censebatur. Quod igitur ut impedirent, utraque manu utebantur lusores, et vel expellebant, vel excipiebant manu, ne unquam caderet. Martial. XII, 83:

> Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
> Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.

Follis, quocumque volaret, in circulo excipi ab alio, pulsarique ultra, et in terram decidens, indeque resultans, aut ultra justum spatium fugiens revocari reddique poterat (1). Diversos eosque præcipuos pulsationum modos Saleius verbis *geminare*, *revocare*, *reddere* exprimit, quæ collata cum iis, quibus alii scriptores utuntur, rationem ludi haud parum declarant. Nempe emissa ab uno pila in alterumque conjecta, ab hoc repetito pulsu vel rejici et remitti ad priorem debebat, quod dicebatur *reddere*, vel alioversum in obliquum jaci, quod *expellere*, *expulsare*, *expulsim ludere*. Quæ omnia Saleius complecti verbis *volantem geminare pilam* videtur. Verbo *reddere* eo sensu, quo diximus, uti videtur Martialis, XIV, 46, sub lemmate *Pila trigonalis:*

> Si me mobilibus scis expulsare *sinistris*,
> Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Nempe remittere et retundere pilam in auctorem facilius erat, quam eam expulsare, et justo modo aliorsum pellere.

(1) Hinc Isidorus, Orig. XVIII, cap. ult. « Arenaria est, qua in grege *luditur*, dum ex circulo adstantium spectantiumque emissa, ultra justum spatium pilam excipere lusumque inire consueverunt ».

Digitized by Google

Quamquam non diffiteor fortasse rectius *redde pilam* de eo intelligi, qui, quia scite expulsare pilam non poterat, utraque manu captabat, ut redderet vel restitueret lusori ad finiendum vel renovandum lusum. Quo sensu alio loco Martialis, XIV, 163:

Redde pilam, sonat æs thermarum : ludere pergis?

Clarius *remittere* dixit Seneca, de Benef. lib. II, c. 32: «Sicut in lusu est aliquid, pilam scite ac diligenter excipere; sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite remisit, quam exceperat». *Expellere* et *expulsare* est pilam venientem de cursu suo aliorsum pellere, quod si sæpissime repeti, diutissimeque impediri casus in terram poterat, jucundissimus lusus, et summa laus habebatur. Petronius, c. 27: «alter numerabat pilas; non quidem eas, quas inter manus lusu expellentes vibrabant, sed eas quæ in terram decidebant». Varro apud Nonium, pag. 104: «Purgatum scito, quam videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.» Nonius ibi *expulsim* dictum ait a *frequenti pulsu*. Et frequentem vel repetitum pulsum Saleius indicat verbo *geminare*, quod sæpissime significat aliud alii addere, repetere, iterare, continuare. Horat. Art. Poet. 13, *Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.* Virgil. Georg. II, 508, *geminatur plausus;* apud eumdem, Georg. I, 333, *ingeminant voces corvi;* et Æn. V, 457, *dextra ingeminans ictus* dicitur. Manilius, lib. V, 167, *glomerare ictus* dicit, quod Saleius *geminare pilam:*

Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis.

Ad expellendam pilam in trigonali sinistra manu usos esse ludi peritos, e versu Martialis superius citato patet, ampliusque confirmatur istis ex libro VII, 73:

Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ,
Nec laudet Polybi magis sinistras.

Hoc inde esse arbitror, quod pila trigonalis plerumque ita emittebatur in alterum, ut ab hoc expellenda in dextrum

Digitized by Google

latus, vel ad tertium dextrorsum stantem esset, qui ictus sinistra maxime indigebat. Ad eumdem actum ludi pertinere videtur, quod Martialis, IV, 19, 7, *partiri follem* dicit:

> Plumea seu laxi partiris pondera follis.

Quidquid enim interpretes alii comminiscantur, *partiri pondera follis* nihil aliud esse existimo, quam follem in diversas partes circuli mittere et remittere, et ludere in commune. Nam qui pilam emittit primus, et qui expellit, nunc in hanc, nunc in aliam partem mittit, adeoque unam pilam, vel pondera pilæ, h. e. lapsum volatumque partitur inter plures, et communicat. Hoc, idem est, quod alii *datatim ludere* dicunt, ut Plautus, Curcul. Act. II, 3, 17:

> Tum isti, qui ludunt datatim servi scurrarum in via,
> Et datores, et factores omnis subdam sub solum.

E quo loco observavit Turnebus, Advers. VII, 4, et Taubmannus ad Plautum, qui alterum exscripsit, *datores* dictos esse in lusu pilæ, qui pilam dabant; alios autem *factores*, qui faciebant, id est, qui feriebant et ludebant, quique in factiones erant divisi, id est, ut dicimus a consuetudine, *in partes*. Ego *datores* magis intelligo de iis, qui pilam primi emittunt; cæteri, qui apte respondent ad missam, eamque vel reddunt et remittunt, vel expellunt, *factores* vocantur, quia hoc ipso ludum efficiunt. *Factiones* in ludo pilæ, Græcis αἱρέσεις et πράξεις dictas esse, docet Scaliger ad Manil. lib. II, p. 117. Porro laudem continuati ludi habet, quod apud Saleium sequitur, *pilam revocare cadentem*, hoc est, follem, qui forte in terram decidens resultat, denuo impellere, et sursum jacere. In *folle* hoc subinde fiebat ad renovandum lusum: in alio pilæ genere, quod *harpastum* vocabant, continuo fiebat, ut pila, quæ propterea durior minorque erat, illisa in terram et repercussa raperetur, et rapta illideretur; quamquam aliter *harpasti* rationem explicat Domitius ad Statii Silv. libri IV præfat. Unde ob pulverem inde perpetuo excitatum *harpasta* dicuntur *pulverulenta*. Martialis, IV, 19, 6, *Sive harpasta manu pulverulenta rapis*, qui versus fere

Digitized by Google

totus repetitur lib. VII, 32, 10. Aliud et diversum a verbis Saleii significat versus Martialis, XII, 83, 5 : *Colliget, et referet lapsum de pulvere follem.* Nam hic sermo est de officioso homine et parasito, qui follem delapsum et jam quiescentem tollit de pulvere, ut referat ad dominum, vel datorem, qui *repetere* pilam dicebatur, si rursus daret vel emitteret. Petronius, cap. 27 : *Nec pilam amplius repetebat, quæ terram contigerat, sed follem plenum habebat servus; sufficiebatque ludentibus.* Denique aliud mobilitatis et virtutis genus in ludo pilæ erat, *non sperato fugientem reddere gestu.* Scilicet si pila longius fugere atque extra spatium circuli cadere videbatur, poterat celeri corporis conversione, gestu, saltu, quem nemo suspicaretur aut speraret, rejici et revocari, ut redderetur circulo ludentium. Hoc fere iisdem verbis in ludo pilæ describendo expressit Manilius, lib. V, 165 seq.

> Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
> Et pedibus pensare manus, et ludere saltu,
> Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis.

— Exstat in Anthol. Lat. Burmanni, lib. III, epist. XXIX, Ursi Togati Pilicrepi, cujus versu 1, *vitrea pila* dicitur. Salmasius quidem, ad Lamprid. Elagab. cap. 19, intelligebat pilam trigonalem vitrei coloris; sed recte Octav. Ferrarius, lib. I, Elect. cap. 6, vere vitream pilam fuisse, ludumque hunc novum ab Urso excogitatum credit, quia primus vitrea pila lusisse dicitur, quæ si in terram caderet crepabat et dissiliebat, quod cavere erat illius qui vincere volebat. Hinc dubitare licet an *pilæ leves* apud Ovid. Art. Am. III, 361, per *vitreas* exponendæ sint, quippe eo tempore nondum notæ, et an non *lenes* illic præstet ex codice Palatino secundo. Pilæ autem crepantis lusu, unde *pilicrepus*, se exercebant Romani ante balnei usum, ab hora octava in nonam, dum thermæ temperarentur. Ed.

Digitized by Google

EXCURSUS IV

AD SALEII BASSI CARMEN, vs. 180 sq.

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, et vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos, etc.

Quoniam hic locus Saleii a versu 180 ad 196 primarius et luculentissimus omnium veterum scriptorum est, qui de ludo latrunculorum, lautis et ingeniosis hominibus olim celebratissimo (1), agunt, neque tamen ad singulos ejus versus omnia ad notitiam ludi illius instruendam idonea ex Veterum monumentis cumulare licebit, suscipiemus hunc laborem, et singulari dissertatiuncula tabulæ, et calculorum, et lusus ipsius peragendi rationem atque formam describemus. Etsi enim hæc materia dudum a doctis viris abunde pertractata est, et non solum in commentariis ad veteres scriptores, ut Matth. Raderi ad Martialem, et cl. Salmasii ad Vopisci Carinum; sed et in antiquitatum collectionibus, Alexandro ab Alex. lib. III, cap. 21, Dempstero in Paralip. ad Rosini Ant. Rom. lib. V, cap. 1, Jo. Meursio, J. C. Bulengero de Ludis privatis; tum vero singularibus li-

(1) Ne quis miretur, inter laudes Calpurnii Pisonis a Saleio dexteritatem ejus et scientiam ludendi pila et calculis recenseri, meminisse oportet, excellentissimis antiquioris ævi viris idem laudi datum, dignasque iis remissiones animi habitas, in quibus ars aliqua et exercitatio ingenii appareret. Ad excusandum Pisonem inprimis facit, quod Cicero libro I de Oratore, cap. 50, memorat: « Licet ista ratione dicamus, pila bene et duodecim scriptis ludere proprium esse juris civilis, quoniam utrumque P. Mucius optime fecerit ». Hæc consuetudo Scævolæ, jureconsulti, tam celebrata Veteribus est, ut ille propter juris non magis, quam eorum ludorum scientiam laudetur. Val. Max. VIII, 8, 2; Quintil. XI, 2, 38; vetus epigramma Anthol. Lat. III, 77.

Digitized by Google

bellis, a Cælio Calcagnino, Dan. Souterio, Andr. Senftlebio, Jo. Cornelio *de Pauw;* et Thoma *Hyde* (1), de alea et tabula, et cognatis tabulæ ludis, tam fuse actum est, ut nihil fere aliis idem ausuris relictum videatur; ipsa tamen hæc copia nos adigere videtur, ut de ea re paullo brevius magisque distincte agamus, nonnulla etiam perperam ab iis intellecta et dicta corrigamus. *Tabulam lusoriam* breviter describit, et duo ejus latera duplicemque usum fuisse prodit Martialis, lib. XIV, epigr. 17:

> Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto:
> Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Nempe unum latus, in quo tesseris simul et calculis ludebatur, duodecim lineis vel scriptis insignitum erat, in quibus calculi varie disponebantur, prout tesseræ cecidissent: qui ludus propterea *duodecim scriptorum* dicebatur (ut in locis Ciceronis et Quintiliani supra adductis, et apud Nonium in voce *Scripta*), descriptus ab Ovidio, Art. Am. III, 363:

> Est genus in totidem tenui ratione redactum
> Scriptula, quot menses lubricus annus habet.

Alterum tabulæ latus in multas regiones et areas descriptum ludo latrunculorum inserviebat. Iste lusus, in quo tesserarum usus, et fortunæ non minus, quam arti locus erat, Latinis proprie vocatur *alea*, Græcis κυβεία vel πεττεία, et tabula ei destinata *aleatoria*, *alveus* (Plin. lib. XXXVII, c. 2), *alveolus* (Cic. de Fin. V, 20), *alveolum* Festo. Alter lusus, de quo nunc maxime agimus, quique solis calculis scite ductis agebatur, *calculorum* vel *latrunculorum* dicebatur, Græcis subinde πεττεία, et tabula ei accommodata *latruncularia* (Sen. Epist. CXVII), vel *abacus* (Macrob. Saturn. I, c. 5), Græcis πλινθίον, i. e. laterculus, ob formam quadratam et plura in eo descripta πλινθία. Non dissimilem fuisse ejus ta-

(1) Hic Historiæ Nerdiludii sive de ludis Orientalibus, libro II, pag. 173 seq. inseruit historiam Damiludii, seu latrunculorum, et ejus capitis § 2, p. 191, integrum locum carminis ad Pisonem recitat.

Digitized by Google

bulæ descriptionem nostræ, qua hodie in ludo calculorum utimur, ostendit Pollux, Onomast. lib. IX, cap. 7, ubi τὸ πλινθίον dicit χώρας ἐν γραμμαῖς διακεκριμένας ἔχον, « loca lineis inclusa vel distincta habens ». Probat etiam Varro, qui libro IX de L. L. p. 130, « in tabula, in qua latrunculis ludunt, ordines binos dirigi ait, unos transversos, alteros directos ». Ordines scilicet dicit series regionum vèl locorum, colore diversorum, et alternatim junctorum, quæ tam directe, quam transverse diriguntur. Præterea e Polluce intelligimus, πόλιν etiam vocatum esse tum ipsum πλινθίον, tum singulas ejus regiones. Unde de ipso ludo dicebatur πόλεις παίζειν, *urbes ludere*. Quod explicat Hesychius : πόλεις παίζειν, παροιμιῶδες· καὶ δοκεῖ μετενηνέχθαι ἀπὸ τῶν ταῖς ψήφοις παιζόντων, ταῖς λεγομέναις νῦν μὲν χώραις, τοτὲ δὲ πόλεσι.

Calculi, quibus utuntur hoc in ludo, sigillatim vocantur *milites*, *bellatores*, vel *latrones*, Græcis κύνες, quia formam aliquam prælii vel oppugnatæ urbis habet, omniaque ex insidiis aguntur. Ut Saleius *milites* vocat, ita Ovidius *latrones*, Art. Am. lib. III, 357 :

> Cautaque non stulte latronum prælia ludat,
> Unus quum gemino calculus hoste perit,
> Bellatorque suo prensus sine compare bellat.

Latrunculis ludere Seneca, epist. CVI, et de Tranquill. animi, cap. 14, et Plinius, Hist. Nat. VIII, c. 54, dicit. Latrones autem antiquitus dicebantur milites stipendia merentes, ut Souterius, de Aleat. I, cap. 5, e Plauti aliorumque locis probavit. A prosaicis scriptoribus calculi magis latrunculi, quam milites vocantur, quia latronum vocabulum, ad grassatores, prædones et sicarios traductum, magis convenire huic ludo visum est, in quo omnia insidiis et calliditate aguntur; siquidem Varro de L. L. lib. VI, p. m. 75, latrones ab eo dictos tradit, *quod lateant ad insidias faciendas*. Unde Martialis, XIV, 20, ludum eum *insidiosorum bella latronum* vocat. Materia calculorum varia. E vitro et gemma latrunculos factos plurimi Veterum loci docent, sed et ex ligno et ebore subinde sectos probabile est. Mucianum fictas

Digitized by Google

cera icones latrunculorum habuisse, Plinius tradit Hist. nat. VIII, 54, si genuina lectio est, quam Harduinus adserit. Et quum Suetonius Neronem, cap. 22, memoret *eburneis quadrigis quotidie in abaco lusisse*, inde etiam latrunculos eburneos in usu fuisse, haud difficulter colligitur. Quod et indicari a Juvenale videtur, Sat. XI, 132:

> ..... adeo nulla uncia nobis
> Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac
> Materia.

Varia latrunculorum genera et officia, diversasque adeo figuras fuisse, nonnulla Veterum loca indicant, adeo quidem, ut iste ludus non tam Damiludio hodierno, quod Thomæ *Hyde* visum est, quam tabulæ Scacchorum similis habendus sit. Potissimum id colligo ex loco Isidori, Hispal. Orig. lib. XVIII, cap. 67, quem ab aliis non eam in partem adductum expensumque miror (1). « Calculi, *inquit*, partim ordine moventur, partim vage. Ideo alios ordinarios, alios vagos appellant. At vero qui moveri omnino non possunt, incitos dicunt ». E loco Varronis supra allegato didicimus, binos ordines in tabula latruncularia descriptos fuisse, directos et transversos. Jam *ordinarii*, qui ab Isidoro dicuntur, calculi sine dubio ab ordinibus locorum, in quibus movebantur, sic appellati sunt, quoniam et Isidorus, lib. XVIII, c. 62, quod calculi per vias ordinales, quasi per calles eant, hoc eos nomen accepisse putat. Igitur quum bini fuerint ordines in tabula, duplicis quoque generis fuisse videntur *ordinarii* latrunculi, qui ordine directo, et qui transverso, sive obliquo, pergerent; *vagi* denique illi, qui nullos ordines tenerent, et saltu quodam lineas et vias ordinales transilirent. Et hac ratione Veterum lusus, qui calculorum sive latrunculorum dicebatur, cum ludo Scacchico, qui hodie obtinet, satis commode comparari potest. Etenim calculi vel latrones *ordinarii directi* sunt, qui in Scacchico ap-

(1) Adducit quidem locum eum Isidori Thomas *Hyde* in Historia Damiludii, pag. 187, sed ita, ut inde nihil ad rationem ludi intelligendam colligat, unde tamen similitudo cum Scacchico nostro patebat.

Digitized by Google

pellantur elephanti, gallice *tours ; ordinarii transversi* sunt, qui cursores vel sagittarii, gallice *fous ; vagi* denique equites. Forte etiam bini cujusque generis, sicut hodie, latrones fuerunt, quoniam Ovidius, loco superius citato, bellatori suum *comparem* tribuit:

> Bellatorque suo prensus sine compare bellat.

Videtur quidem in hac divisione latronum illud genus vilius desiderari, quod in Scacchico ludo pedites vel gregarios vocamus, et propterea fortasse alii, quibus nec ego prorsus refragari velim, malint per *ordinarios* calculos intelligere viliores nostros, vel pedites, qui recta via et lente procedunt, per *vagos* vero omnes reliquos, quod hi ultro citroque moventur, nec certos itineris sui fines et metas habent. Sed tamen multo probabilius esse judico, quod superius dixi, tres latrunculorum ordines ab Isidoro indicari, et, ne quis quartum genus, quod pedites vocamus, ab eo plane ignoratum aut exclusum putet, notandum est, Isidorum eorum tantum genera memorasse, qui maxime bellarent et latrones vocarentur, cæteros vero, quos gregarios dicimus, et quorum minor vis est, a Veteribus singulari nomine *mandras* esse appellatos. Etenim diserte Veteres *mandras* a latronibus distinguunt, eisque non tam pugnam, quam reliquorum custodiam et munitionem tribuunt. Martialis, lib. VII, 72, 7:

> Sic vincas Noviumque Publiumque
> Mandris et vitreo latrone clausos ;

et Noster versu 191: *Ut citus et fracta prorumpat in agmina mandra.* Proprie alias *mandræ* dicuntur jumenta, carri, plaustra cum aurigis et equisonibus, quæ in unum coacta vias ita occupant et claudunt, ut transiri nequeat. Sic Martialis, V, 22, 7:

> Vixque datur longas mulorum rumpere mandras;

et disertius Juvenalis, Sat. III, 236:

> ..... rhedarum transitus arcto
> Vicorum in flexu, et stantis convicia mandræ
> Eripient somnum Druso, vitulisque marinis.

Digitized by Google

In exercitu et prælio hoc frequens est, ut impedimenta in unum conducta et nexa, quasi vallum objiciantur, et calones militesque alii ad ea custodienda relinquantur. Igitur per *mandras* in latrunculis recte puto viliorem latronum turbam significari, easque in acie latrunculorum instructa idem præstitisse, quod in exercitu impedimenta, lixæ et calones. His mandris objectis quia reliqui latrones ita tegebantur, ut, nisi iis disjectis, capi non possent, hinc mandras quasi vallum et mœnia esse dicit Noster v. 192: *Clausaque dejecto populetur mœnia vallo.* Quem usum plane confirmat Hesychius: Μάνδραι, ἕρκη, φραγμοί, ὗλαι, σηκοὶ βοῶν καὶ ἵππων (1). Scaliger *mandras* in lusu latrunculorum equites dici putat, forte quod equi possunt ad mandras referri. At in mandris non sola jumenta, sed præcipue equisones, aurigas et viliores quosque homines intelligendos, e loco Juvenalis supra recitato abunde patet. Neque convenire alii generi magis, quam huic potest, quod a Saleio vallum et munimentum reliqui agminis dicitur. Multo minus probare Salmasii sententiam possum, qui in comment. ad Vopisci Proculum, p. m. 738, existimat, *mandras*, septa, vallos vocari loca illa sive sedes in tabula, in quibus veluti clusi tenebantur latrunculi, et, si calculus in discoloris calculi sedem dicatur impetum facere, ut eum capiat, et sede sua pellat, tum mandram ejus sive vallum frangere intelligi. Enimvero hæc interpretatio, ex ipsis verbis Saleii, haud difficulter refelli potest. Nam si mandræ sunt calculorum

(1) Commodum juxta et aptum est hunc Hesychii locum, quo melius probet, simul a mendo haud levi liberare. Nam ubi Hesychius scribit: Μάνδραι, ἕρκη, φραγμοί, ὗλαι, mihi non dubium est pro ὗλαι legendum esse ἴλαι, *greges*, *agmina*. Quod nescio an docti viri in recentissima optimaque Hesychii editione, quam in fine nuperi sæculi prodiisse scio, sed jam ad manus non est, adnotaverint. Contra quod hic obiter observo, in alio loco Hesychii ἴλαι mendose positum est. Nam in voce Σκυτάλαι, ubi exponit βακτηρίαι καὶ αἱ ἱππικαὶ ἴλαι, καὶ ὀρέων εἶδοι φλαγέλλια, λῶροι, palam est τὰς ἱππικὰς ἴλας nihil omnino pertinere ad interpretationem vocis σκυτάλαι. Itaque legendum esse καὶ αἱ ὑφαὶ ποικίλαι, καὶ ὀρέων εἶδος videtur, ut demonstravit V. C. Wernsd. in Antiquitatibus Balearicis, pag. 84. Ed.

Digitized by Google

sedes et stationes, unusquisque calculorum suam mandram habet, neque Saleius mandram distinguere ab agmine latronum potuit, ut diceret: *et fracta prorumpat in agmina mandra.* Etenim in sede vel area calculorum nihil est, quod pro vallo aut septo calculi haberi possit. Lineæ, quibus inclusæ sunt areæ, ad distinguendam calculi stationem valent, non ad muniendam. Neque igitur in calculo tollendo mandra ulla aut septo frangendo opus est. At si mandræ sunt viliores et infirmiores calculi, qui reliquos custodiæ caussa circumsistunt et tegunt, ut re vera hodie fit in ludo scacchorum, tum intelligi demum potest, quid sit *fracta mandra in agmina prorumpere.* Confirmare aut illustrare notionem *mandræ*, quam dedimus, videtur, quod Græci tabulam πόλιν vocarunt, et calculos κύνας. Pollux lib. IX, cap. 7: τὸ μὲν πλινθίον καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη κύων· etenim πόλιν dictam esse existimo non nudas regiones tabulæ; quod aliis placere video, sed quod Saleius *mœnia* et *agmina*, ipsam calculorum turbam in stationibus suis dispositam, qui collecti quasi civitatem efficiunt, vel urbem tenent: κύνες autem præcipue sunt ii calculi, qui *mandræ* nomen apud Latinos habent, quod reliquis appositi calculis urbem tamquam custodes cingunt.

Declaratis calculorum in tabula variis ordinibus, viis et motibus, plenius nunc intelligitur, quid sit illud Saleii: *tabula variatur aperta Calculus*, nempe variis itineribus huc illuc ducitur. Pro discrimine isto calculorum dubitari non potest, varias etiam distinctasque singulorum generum figuras, formas et signa fuisse, quæ tamen a nemine Veterum diserte indicantur. Exstat quidem locus Euripidis Iphig. in Aul. v. 195, ubi Protesilaum et Palamedem dicit ἐπὶ θακοῖς πεσσῶν ἡδομένους μορφαῖς πολυπλόκοις, *in sedibus calculorum oblectantes se figuris multiplicibus;* sed istæ μορφαὶ πολύπλοκοι, æque dubium est, utrum de formis singulorum calculorum, an de figuris, quas implicitæ et errantes eorum viæ efficiant, accipi debeant. Similiter dubitandum est de iconibus latrunculorum cera fictis, quas a Plinio memorari vidimus, an diversas etiam figuras inferant. Progredimur potius ad cal-

Digitized by Google

culos considerandos, quos Isidorus nominatis eorum diversis generibus subjungit, atque *incitos* vocat. « Qui, inquit, moveri omnino non possunt, incitos dicunt. Unde et egentes homines inciti vocantur, quibus spes ultra procedendi nulla restat. » Palam est, *incitos*, qui ab Isidoro describuntur, non singulare genus calculorum esse, qui natura et destinatione sua nunquam moveri possint, nec debeant, sed qui e quoque genere per artem lusoris reddantur inciti, h. e. ita alligentur, ut moveri non possint. Igitur quo melius horum rationem intelligamus, prius de universa ludi ratione, et de arte ac legibus, quibus peractus, nobis agendum est.

Artem inprimis et ingenium in ludo eo exercendo valuisse, plurimi Veterum loci probant, qui et calliditatem ei tribuunt, ut Noster, et subtilitatem adeo, ut Seneca, Epist. CVI: *Latrunculis ludimus, in supervacuis subtilitas teritur.* Primaria lex totius ludi erat, adversarii calculos vel *alligare* vel *tollere*. Alligabat, si ita obsidebat calculis suis, ut moveri sine periculo non posset: tollebat si quem nudum et indefensum deprehenderet, et medium inter duo discolores concludere posset. Quod artificium tam frequenter exercitum in eo ludo, ut quasi proprium et primarium ejus laudari soleat. Julius Pollux lib. IX, c. 7: Διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἔστι, περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὴν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν. Sic Ovidius, Art. III, 358, et Trist. II, 478:

Quum medius gemino calculus hoste perit.

Et Martialis, XIV, 17: *Calculus hic gemino discolor hoste perit.* Hinc inter leges ludi erat, ne quis calculus incomitatus procederet, h. e. ut eum in locum moveretur, in quo concoloris calculi præsidio defendi posset. Ovid. Trist. II, 479:

Ut mage velle sequi sciat, et revocare priorem;
Ne tuto fugiens incomitatus eat.

Qui nudus deprehendi et capi poterat, scite se recipiebat in tutum. Ovid. Art. III, 359:

Bellatorque suo prensus sine compare bellat;
Æmulus et cœptum sæpe recurrit iter.

Digitized by Google

Ubi majoris artis et ingenii erat, si quis ita fugeret, ut simul hostem alium adoriretur. Sic Noster v. 184:

> .....quis non periturus perdidit hostem?
> Dum fugit, ipse rapit.

Sed ut tolli atque interimi non nisi unus calculus a duobus discoloribus poterat, sic contra alligari ab uno duo discolores. Noster, v. 182, *Ut niveus nigros, nunc et niger alliget albos;* et v. 189:

> Ancipites subit ille moras, similisque ligato
> Obligat ipse duos.

Qui ab Isidoro vocatur calculus *incitus*, non alius est, quam alligatus, quomodo a Seneca dicitur Epist. CXVII: « tabulam latruncullariam perspicit, ut sciat, quomodo alligatus exeat calculus ». Quum igitur duplex ratio debellandi frangendique adversarii esset, duplex etiam modus erat vincendi. Nam vincebat, qui vel omnibus calculis adversarium spoliasset, vel reliquos ejus ita alligasset, ut nullus sine damno cieri posset. Qui ita victus erat, proverbio dicebatur *ad incitas*, vel *incita*, *redactus*. Et quoniam Isidoro auctore egentes homines translate appellati *inciti*, hinc patet, proprie hoc vocabulum non de solo calculo immobili, sed de ipso lusore usurpatum esse, qui calculis fere omnibus spoliatus reliquos etiam incitos haberet. Salmasius ad Script. Hist. Aug. tom. II, p. 740 edit. Hack. observat calculum *incitum* hodie eodem in ludo *Scacchum mattum* dici solere, id est, contritum et subactum eoque loci adactum, ut moveri non possit: idque ipsum vocabulum antiquum esse, et in Glossis exponi *humectum*, *emollitum*, *infectum*. Provocatque adeo ad locum Ciceronis ad Att. XVI, 13, ubi *longulum sane iter et via matta*, h. e. lutosa et humecta. Sed vulgatior meliorque lectio, quam Grævius etiam servavit, est *via inepta*, et quæ e veteribus Glossis exempla vocis *mattus* adducuntur, vocem eam non antiquam esse ostendunt. Neque notio ejus ad calculum *incitum* traducta satis apta est. Quod autem hodie scacchum *mattum* dicimus, ejus ratio in

Digitized by Google

vernacula nostra satis idonea continetur, ut ad Latinam linguam confugere non necesse sit.

Sed de phrasi ista *ad incitas rediger*e, quam superius a ludo latrunculorum ductam esse diximus, facere non possumus, quin hoc loco paullo uberius disputemus. De cujus origine et sensu quoniam Josephus Scaliger eam sententiam professus est, quam, vulgo licet receptam et approbatam, multum a vero aberrare judicamus, placet nunc eam diligentius exponere, et a perversa interpretatione vindicare, qua opera simul nonnulla ad meliorem ipsius ludi illustrationem proferre licebit. Phrasin *ad incitas* vel *incita redigere* antiquiores inprimis scriptores frequenter usurparunt, et Nonius Marcellus, Cap. 2, n. 422, aliquot locos Plauti et Lucilii recitat. Ille Trinum. act. II, 4, 136:

> Alii exsulatum abierunt, alii emortui, alii se suspendere.
> Hem! nunc hic cujus est, ut ad incitas redactus.

Idem in Pœn. IV, 2, 85:

> .....tacitus tace modo,
> Profecto ad incitas lenonem rediget, si eas abduxerit;
> Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.

Lucilius, lib. III, Sat.

> Illud ad incita quum redit, atque internecionem.

Idem, lib. XXV:

> Villicum Aristocratem, mediastinum atque bubulcum
> Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

De hac igitur phrasi Jos. Scaliger in Append. ad Conject. in Varr. lib. VI, p. 186, ita disserit: « Antiqui fines seu terminos, quos amplius promovere non est, *incitos* vocabant. Et qui eo rerum redacti erant, ut nullum certum rerum suarum consilium capessere possent, *ad incitas redacti* dicebantur; ubi subaudiendum *lineas*. Metaphora enim a ludo duodecim scriptorum. Nam quum ad ultimam lineam promoti erant calculi, tum is cujus interierat, ad incitas lineas reda-

Digitized by Google

ctus, calculi vero ipsi *inciti* dicebantur, quod adnotat Isidorus. Apud Græcos alia erat tabula calculorum, quippe quinque linearum. Itaque non in ultimis lineis erant inciti calculi, sed in media. Quare, quum alteruter ex lusoribus in incitam lineam cogeretur, nunc movebat calculum ab eadem media linea, hoc dicto, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς, nam linea illa vocabatur ἱερά. » Sed fallitur omnino Scaliger, quod in phrasi *ad incitas redigere* subaudiendum *lineas* putat. Et quando incitas lineas exponit per ultimas, videtur lineas in stadiis, ad quas contendebant currentes, cum tabulæ lineis confundere. Nam in stadiis lineæ extremæ et ultimæ vocabantur, quas ultra progredi nefas erat, et quæ cursui finem dabant. Hinc Horat. Epist. I, 16, *mors ultima linea rerum est;* et Sophocles in Antigone, quem Stephanus in Thesauro allegat, ἐπ' ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν κακῶν, *Devenimus summam ad malorum lineam.* Hinc et Seneca, ep. XXVI, *decrepitos et extrema tangentes* appellat. Fallitur etiam, quod metaphoram, quæ in phrasi ista latere videtur, a ludo duodecim scriptorum repetit, atque in iis ultimam lineam fuisse putat, quæ incita diceretur. Ego ultimam lineam in XII scriptis non memini ab aliquo vetere scriptore ita memorari, ut probabile sit, inde originem proverbio esse; neque lusus XII scriptorum ita comparatus fuit, ut ultimæ lineæ periculum inesset. Qui calculos suos omnes poterat ad ultimas lineas cogere, propior erat victoriæ, tantum aberat, ut ad ultimas redigi periculosum esset. Præsidium quidem sententiæ suæ Scaliger a similitudine πεττείας πεντεγράμμου Græcorum, h. e. quinque linearum, arcessit, in qua quum esset linea media, quæ sacra diceretur, sic perinde in ludo XII scriptorum ultimam sacram fuisse perhibet. Sed Scaliger et male comparat XII scriptorum et πεντέγραμμον ludum, sive confundit potius, qui plane erant dissimiles, et perperam intelligit sacram lineam. Etenim in hac non victi lusoris discrimen ultimum, ut ille vult, sed perfugium erat; neque, ut quis ludo vinci posset, in sacram lineam adigebatur, sed lusor pæne victus desperatis rebus summum inde auxilium petebat, calculum

Digitized by Google

a sacra linea movendo, ut rem aliquantum (1) restitueret. Proinde calculi *inciti* male a Scaligero in sacra linea collocantur. Inciti dicuntur, qui moveri non possunt. At tantum aberat, ut calculus in sacra linea moveri non posset, ut potius, si urgente necessitate alii essent immobiles, hunc a linea movere necesse esset. Quod si tandem ex mente Scaligeri proverbium illud ad lineam ultimam vel sacram in XII scriptis referendum est, cur, quæso, Veteres dicunt ad *incitas* redigere, non *incitam*, quum non plures una sint lineæ incitæ. Perperam igitur Scaliger in phrasi ista lineas intelligit, eamque ad ludum XII scriptorum refert. Rectius nos per *incitas* subintelligimus *calces*, quæ, ut Festus voce *Cancri* ait, per diminutionem *calculi* dicebantur, et proverbii rationem a ludo calculorum vel latrunculorum petimus, quod etiam Salmasius ad Script. Hist. Aug. tomo II, p. 739, et Souterius, de Aleat. lib. I, cap. 22, senserunt. Inciti tantum calculi dicuntur, non lineæ. Ii vero ad eumdem ludum pertinent, ad quem calculi ordinarii et vagi, quos Isidorus eodem loco nominat. *Calces* autem pro calculis antiquiores scriptores Latini, atque ii ipsi dixerunt, qui formulam *ad incitas redigere* frequenter usurparunt. Sic Lucilius, lib. XIV:

> Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare et Calces.

Præcipue hoc palam fit ex loco Plauti, quem supra adduximus:

> Quin prius disperibit, faxo, quam unam calcem civerit.

Verbum *ciere* proprie de movendo calculo usurpatur. Hinc *citus* dicitur Nostro, v. 191, qui promotus est; atque *incitus*,

(1) Hæc plane mens est Julii Pollucis, lib. IX, 7, de πεττείᾳ et sacra linea loquentis. Et proverbium, quod ille memorat, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς fere ejusdem sententiæ est, ac illud ἱερὰν ἄγκυραν χαλάζειν, *sacram ancoram solvere*, h. e. ad extrema præsidia confugere. Nam validissima ancora sacra vocatur, eaque tum demum mittitur, quum extremo laborant discrimine. Gallice, *ancre de salut, de miséricorde*. Ed.

Digitized by Google

qui non movetur, nec moveri potest. Igitur *ad incitas redactus* proprie lusor dicitur, qui plurimis calculis spoliatus, reliquos nullos habet, nisi alligatos, quorum nullum movere sine magno detrimento potest; translate autem infelix et afflictus, qui fortunis atque opibus accisus in summa rerum difficultate et consilii inopia versatur, ut expedire se nequeat.

Hæc sunt, quæ ad rationem veteris ludi latrunculorum elucidandam disserere placuit. Quæ forte alia huc referri poterant, et ab aliis referuntur, vel ad aleam et XII scriptorum ludum pertinent, quocum iste a multis confundi solet; vel ad summam rei declarandam parum faciunt. Nonnulla tamen alia ad reliquos poetæ nostri versus in adnotatione nostra monuimus.

— Apud poetas Latinos recentiores, præter Marci Hieronymi Vidæ celeberrimum poema, quod inscribitur *Scacchia*, Romæ 1527, exstat et in opere cui titulus *Delitiæ Poetarum Italorum*, t. II, pag. 1187, Julii Ascanii Tuccii Cremensis *Duellum Scacchorum*, poematium lyricis versibus, non vero satis felicibus contextum. Hunc quoque ludum versibus Gallicis descripsere viri clarissimi *Cerutti* (*Recueil de Littérature en prose et en vers*, *Glascow et Paris*, 1784), et *Roman* (*les Echecs, poème en quatre chants, Paris*, 1807). Sed noscuntur præsertim versus aliquot insignes de ludo Scacchico celeberrimi Nostratis *Delille, l'Homme des Champs*, I, v. 197 seqq. Cæterum multa de origine hujus ludi a doctis viris indagata sunt, neque tamen ad eum omnino referri possunt quæ de latrunculis Romanorum dicuntur, quamvis multa similitudinis indicia hic adferat Wernsdorfius. Hispani et Angli accurate de Scacchis egerunt, et primi omnium præcepta ludicri istius belli typis mandaverunt. Celeberrimus apud nos in hac scientia habetur *A. D. Philidor*, qui anno 1749 librum prodire jussit, cui titulus: *Analyse des Echecs*. In Germania vir nobilissimus, Dux Brunovicensis, quatuor tomos *Vom Schach-und Kœnigs-Spiel* edidit sub nomine Gustav. Seleni. Ed.

Digitized by Google

V.

T. PETRONII ARBITRI

CARMINA MINORA.

I. DE SOMNIIS *.

SOMNIA, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt,

*Hoc et alterum, ei adjunctum, epigramma de Somniis legitur in Petronii Satirico, cap. 104 et 128. Scaliger utrumque protulit inter Catalecta vet. poet. lib. II, p. 254, repetiitque P. Burmannus in fine libri VI Anthol. Lat. pag. 641. Hoc testante, in codice Claudiani Vossiano præfixa erant Præfationi ante VI Cons. Hon. ubi de somniis prorsus similia dicuntur: « Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno, Pectore sopito reddit amica quies, etc. » Sed uterque poeta hæc ex fonte Lucretiano hausit, lib. VI, v. 960 seqq. qui locus omnino conferendus cum Nostro. Barthius Nostrum illustrat, et cum loco Claudiani componit in Advers. lib. LI, cap. 3. Stephanus inter fragmenta Petronii prius epigramma non retulit, atque idem in codice, quem e membranis Cujacii sua manu descripserat Scaliger, et cujus meminit in notis ad Catalecta, p. 200, hoc loco defuisse memorat Burmannus.

1. *Volitantibus umbris*, i. e. dum Manes noctu vagantur, cum quibus et somnia emitti credebat vetustas superstitiosa. Ovidio, Amor. I, 6, 13: « Nec mora, venit amor: non umbras nocte volantes, Non timeo strictas in mea fata manus ». Apud Propert. IV, 7, 87, umbra Cynthiæ apparens: « Nec tu sperne piis venientia somnia portis... Nocte vagæ ferimur: nox clausas liberat umbras... Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti ». Virg. Æn. VII, 89: « Multa modis simulacra videt volitantia miris ». Idem, ibidem, X, 641: « Morte obita quales fama est volitare figuras, Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus ». — Vid. notata nostra ad Halieut. alterum, quod est Nemesiani, ad versum 62, hujus operis t. II, p. 234. ED.

2. *Non delubra Deum*. Hoc ad ex-

Digitized by Google

Sed sibi quisque facit : nam quum prostrata sopore
Languent membra, quies, et mens sine pondere ludit;
Quidquid luce fuit, tenebris agit : oppida bello
Qui quatit, et flammis miserandas sævit in urbes,
Tela videt, versasque acies, et funera regum,
Atque exundantes profuso sanguine campos.
Qui caussas orare solent, legesque, forumque,
Et pavido cernunt inclusum corde tribunal.
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum.
Venator saltus canibus quatit; eripit undis,
Aut premit eversam periturus navita puppim.

cubationes et incubationes templorum pertinet. Soliti enim erant Veteres, captandis rerum eventibus, somnia quærere, excubantes in delubris idolorum, Æsculapii et aliorum; quam fatuitatem sæpius irridet Lucianus. Barth. Advers. LI, cap. 3.

4. *Languent membra, quies*, etc. Sic Scalig. edidit. Rectius videtur apud ipsum Petronium legi « Urget membra quies ». Sic Horat. Carm. I, 24, 5 : « urget perpetuus sopor ». — P. Francius hic corrigebat *Mulcet membra quies*. Ed.

5. *Quidquid luce fuit, tenebris agit.* Hanc lectionem probat et illustrat Barth. Advers. LI, cap. 3, sed idem ad Claudian. p. 215 mavult « Quidquid luce facit, tenebris agit ». Quod probandum censet Burmannus sec. nisi modo præcessisset, « Sed sibi quisque facit ».

6. *Oppida bello Qui quatit.* Sic Lucret. l. cit. « In somnis eadem plerumque videmur obire : Induperatores pugnare ac prælia obire ». Virgil. Æn. IX, 608 : « Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello ».

8. *Atque exundantes profuso.* In Petronio editum *perfuso*. Francius voluit *effuso*. Virg. Æneid. X, 24 : « inundant sanguine fossæ ». Statius, Achill. I, 87 : « tepido modo sanguine Teucros Undabit campos », pro *inundabit*.

9. *Qui caussas.* Scaliger edidit *Quin caussas*.

10. *Et pavido cernunt :* illi etiam cernunt.—*Inclusum tribunal* Barth. Advers. LI, 3, intelligit obsessum cancellis, qualibus munimentis veterum judicantium cathedræ clausæ erant, ad majestatem videlicet conciliandam, et ad incursum populi sustinendum.

12. *Saltus canibus quatit*, id est, cursu et latratu canum. Val. Flacc. III, 21 : « Dum volucri quatit asper equo, silvasque fatigat Cyzicus ». De turba hominum vel animantium super solum trepidantium τὸ *quatere* accipi Gronovius statuit, ad Senecæ Hercul. OEt. 1523. Sed de equorum fortiore cursu hoc valere, loca a Gronovio adducta docent. De canibus ubi usurpatur, malo ad eorum latratum referre, quo et silvæ personant, et feræ excutiuntur : quo sensu *silvas*

Digitized by Google

Scribit amatori meretrix; dat adultera munus;
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

movere dixit Gratius, Cyneg. v. 3, et *silvas impellere* v. 66.

14. *Dat adultera munus.* Douza legit *nummos.*

15. *Leporis vestigia latrat: tranat* conjecit Daniel: *lustrat* etiam legi posse, h. e. inquirit, et investigat, putat Burmannus sec. Et hoc fere proprium esse de canibus, ferarum latebras investigantibus, ex usu Gratii, Cyneg. vs. 221, patet. Sed non movendum *latrat*, h. e. latratu indicat. Ovid. Amor. II, 19, 40: « Quid latrent nocte silente canes ». Horat. Epod. V, 47: « senem adulterum latrent Suburanæ canes ». Quamquam latrare prius, quam visa et excitata fera, vitiosum in cane putant venatici. Vid. Grat. v. 186.

16. *In noctis spatio.* Patissonii et Wowerii editio *spatium*, quod rectius videtur Burmanno, ut *in spatium trahere* pro extendere, extrahere, dixit Ovid. Metam. XI, 176. Et sic in veteri codice Ausonii, in quo multa epigrammata vetera habentur, legi affirmat Burmannus secundus, not. 16.

ITEM.

Nocte soporifera veluti quum somnia ludunt
Errantes oculos; effossaque protulit aurum
In lucem tellus, versat manus improba furtum,
Thesaurosque rapit: sudor quoque proluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri.

1. *Veluti quum somnia.* Pro eo Lambrecius, lib. II de biblioth. Vindob. p. 933, ex mspto codice bibliothecæ Cæsareæ, qui hoc epigramma habet, profert *si quando somnia ludunt.*

3. *Versat manus improba.* Alii libri habent *non sit*, id est, *non scit*, cui tamen Scaliger *versat* præferebat.

4. *Proluit ora:* sic cod. Tragur. et alii: sed pleræque edd. Petron. *perluit ora:* quidam etiam *perluit artus* dederunt. Post hunc versum quidam scripti et editi alienum intruserunt: « Candidiorque dies secreto favit amori ». Sed aberrasse hunc ab alio epigrammate, quod descriptionem loci amœni continet, et Anthol. Lat. tomo I, p. 493 exhibetur, observavit Burmannus sec.

6. *Excutiat gremium*, i. e. quatiendo palpandoque exquirat, et ejiciat: quo sensu est apud Terent. Phorm. IV, 1, 20. Et Petron. carm. de Bello civ. 14: « Quæritur in sil-

Digitized by Google

Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veraque forma redît; animus, quod perdidit, optat,
Atque in præterita se totus imagine versat.

vis Mauri fera, et ultimus Ammon Afrorum excutitur», i. e. exquiritur.

8. *Vera forma redit.* Sic Petron. in alio epigr. quod dedimus hujus operis tomo II, pag. 127, fragm. VIII, v. 8: «Vera redit facies, dissimulata perit». ED.—*Animus, quod perdidit, optat.* In eadem re Claud. in præfat. ante VI Cons. Hon. «Et vigil elapsas quærit avarus opes». Similiter Horatius delirum hominem morbo animi, tamquam ex dulci somnio, relevatum, et ad se redeuntem, sic loquentem inducit Epist. II, 138: «Pol me occidistis, amici, Non servastis, ait: cui sic extorta voluptas, Et demptus per vim mentis gratissimus error».

II. AD PRIAPUM *.

NYMPHARUM, Bacchique comes, quem pulchra Dione
Divitibus silvis numen dedit, inclyta paret
Cui Lesbos, viridisque Thasos, quem Lydus adorat
Vestifluus, templumque tuis imponit Hypæpis;

* Exstat Satyrici cap. 133. Stephanus repetiit inter fragm. poet. pag. 401, et in Catalecta retulit Scaliger, lib. I, p. 224. Burmannus in Anth. lib. I, epigr. 51.

1. *Quem pulchra Dione.* Brassicanus legere vult *quam*, id est, Venerem, Diones filiam. Sed allocutio est ad Priapum, et Dione est ipsa Venus, ut sæpe, quæ hoc loco dicitur Priapum, filium suum, *divitibus silvis*, i. e. hortis, numen dedisse. Nam Priapus vulgo hortorum custos. Et in Veneris tutela hortos fuisse docet Varro, Lat. Ling. lib. V, et Festus in *Rustica Vinal.*

2. *Divitibus silvis*, i. e. arboribus vel hortis pomosis, feracibus: ut *dives area*, id est, ferax, Claud. de Nupt. Hon. 92, et *nemus opulentum* pomorum ferax Senecæ, in Hercul. fur. v. 239.

3. *Cui Lesbos.* In antiquis codicibus corrupte legebatur cui *Iesos* et *Iæsos*; sed *Lesbos* recte substituit Hadr. Junius, Animadv. VI, 15; Auratus, Scaliger.

4. *Vestifluus*, de fluentibus et mollibus Lydorum vestibus exponendum, quales nominat auctor Eleg. in obitum Mæcen. v. 77, et Propert. III, 17, 32. Veteres omnes scripti et editi, sicut et Scaliger, *Septifluus* dederunt. Gonsalius vero præterea legebat *quem Nilus adorat Septifluus*, quod et margini apposuit Stephanus. Sed quamquam Priapum apud Ægyptios cultum esse constat, *septifluus* tamen an verum vocabulum sit, dubito. Profecto *septemfluus*

Digitized by Google

Huc ades, o Bacchi tutor, Dryadumque voluptas,
Et timidas admitte preces : non sanguine tristi
Perfusus venio, non templis impius hostis
Admovi dextram ; sed inops et rebus egenus
Attritis, facinus non toto corpore feci.
Quisquis peccat inops, minor est reus. Hac prece, quæso,
Exonera mentem, culpæque ignosce minori.
Et, quandoque mihi fortunæ adriserit aura,

flumina Nili dicit Ovid. Metam. XV, 753; et, si *Nilus* hoc loco legendum est, sequentia non conveniunt *templumque tuis imponit Hypæpis*. Recte igitur Turnebus, Advers. XXVI, cap. 6, et Lindenbr. in Var. lect. ad Catalect. emendarunt *Vestifluus*, quos cæteri sequuti sunt.—*Hypæpa* oppidum Lydiæ est, cujus meminit Ovid. Met. VI, 13 : « Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis ». Veneri sacrum fuisse, Strabo et Stephanus de Urb. indicant, ut Priapo, hic locus. Bene, ni fallor, Jungermannus et Munckerus conjiciebant legendum *suis imponit*. Auratus audacius : *imponit honores*.

5. *Dryadumque voluptas*. Sic in Priapeiis : « Naiadas antiqui, Dryadesque habuere Priapi ».

7. *Non templis impius hostis*. Majorum facinorum rei, ut parricidæ et sacrilegi, invisi Diis, a sacris arcebantur. Tibull. III, 5, 11 : « Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes ».

9. *Rebus egenus Attritis*. Scaliger e codice suo in Catalectis edidit *rebus egenis Attritus*, quod minus proprium et aptum est. Nam res, opes, vires attritæ, ut et accisæ, lassæ, fessæ frequentissime dicuntur historicis ; et ipse Petronius, cap. 116, « post attritas bellis frequentibus opes ». — Simili fere sensu *inopia deperditum* dicit Phædrus, Fab. I, 14. Ed.—Cæterum hoc loco nequiter id dictum esse, Gonsalius, præeunte Douza, monet.

10. *Minor est reus*. Francius legebat *minus est reus*.

11. *Exonera mentem*, sollicitudine et dolore libera, placari patere. Sic Saleius, vs. 87, Pisonem dicebat « Exonerare pios modo, nunc onerare nocentes ».

12. *Et, quandoque*, i. e. quandocumque, ut in illo Horatii Art. Poet. 359 : « Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus ». — *Adriserit aura* scripsit Burmannus sec. ex emendatione Scaligeri, Lipsii, Pithœi, aliorum. Quod aptum omnino puto, non quidem ut Weitzius ad hunc locum prodit, quatenus aura ventum, faventem et favorem significat, sed quia notiones lucis et serenitatis bene convenire τῷ *adriserit* videntur. Quemadmodum Ovidius, Trist. I, 4, 27 : « Dum juvat et vultu ridet fortuna sereno ». Sed tamen omnes priores, ipseque Scaliger in Catal. et Petr. Burmann. patr. in Petronio ediderunt *adriserit hora*; atque hanc vocem cum *aura* frequenter confundi in antiquis codicibus, adnotatio Heinsii ad Ovid. Her. III, 44, multis exemplis docet.

Digitized by Google

Non sine honore tuum patiar decus : ibit ad aras,
Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras
Corniger, et querulæ fetus suis, hostia lactens;
Spumabit pateris hornus liquor, et ter ovantem
Circa delubrum gressum feret ebria pubes.

13. *Non sine honore*, h. e. sacrificio et victima : ut Virg. Æn. III, 118 : « meritos aris mactavit honores ». Idem in epigr. ad Ven. « maxima taurus Victima sacratos tinget honore focos ».

14. *Sancte, tuas hircus.* Hunc versum omisit Stephanus et Scaliger, et in aliis codicibus totum abesse affirmat Pithœus, in editione Patiss. neque tamen cum Burmanno sentio, qui eum facile exsulare posse existimat, quia inconcinne duo versus in iisdem verbis *ibit ad aras* desinant. Nam hæc repetitio elegans promisso pondus et confirmationem addit, atque ipsa in caussa fuit, ut librarii aberrantes versum similiter exeuntem præterirent. Cæterum Priapo hircum immolatum, quod negare Burmannus cum Gonsalio videtur, facile probat Catullus in Priapo : « Sanguine hanc etiam mihi, sed tacebitis, aram Barbatus linit hirculus, cornipesque capella ».

15. *Querulæ fetus suis.* Ita correxit Turnebus, Advers. XXVI, c. 6, quum antiquiores vulgatæ corrupte haberent *festus suis.* Intelligitur porculus lactens. Porco enim frequenter fiebat Priapo. Carmen in Priapeiis : « Hic tibi, qui rostro crescentia lilia mersit, Cæditur e tepida victima porcus hara ». Ratio ejus victimæ haud dubie, quia, ut Cicero ait, « ea pecude nihil genuit natura fecundius ».

16. *Spumabit pateris hornus liquor*, h. e. vinum novellum, hornotinum, hujus anni : quemadmodum Horat. Carm. I, 31, 2 : « quid orat, de patera novum Fundens liquorem ». Innuit libationem vini sacrificio adjunctam, quæ fieri debebat *vino horno*, sicut immolatio *horna fruge*, quam vocat Horat. III, 23, 3. Vid. Calpurn. II, 71.

17. *Ovantem gressum feret*, i. e. circa delubrum, vel aram, dum victima crematur, lætabunda saltabit. Quem ritum sacrificiorum præcipue agrestium fuisse indicat Virg. Æn. VIII, 285 : « Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum, Populeis adsunt evincti tempora ramis ». Nam Salii hic non alii esse videntur, quam saltatores et ludiones.

III. SAGA MULIER *.

Quidquid in orbe vides, paret mihi : florida tellus,

* Exstat in Petronii cap. 134. Retulerunt Steph. in Fragm. poet. p. 401 ; Scaliger, Catalect. lib. II, p. 255 ; Burmann. Anthol. lib. VI, epigr. 93. Totum ex veteri codice emendat Delrio ad Claudian. lib. I in Ruf. 154, nisi quod tres ultimos versus non addat. Ex veteri etiam

Digitized by Google

Quum volo, spissatis arescit languida succis:
Quum volo, fundit opes scopulis; atque horrida saxa
Niliades jaculantur aquas: mihi Pontus inertes
Submittit fluctus, Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hircanæque tigres; jussi servire dracones.
Quid leviora loquar? Lunæ descendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusque furentes

codice Memmiano adfert Lambinus ad Horat. Epod. V, v. 46, p. 324.

2. *Quum volo.* Hoc repetendo Ovidium imitatur qui pariter de saga, Am. I, 8, 9: « Quum voluit, toto glomerantur nubila cælo: Quum voluit, puro fulget in orbe dies ». Similiter Ovid. Met. VII, 199, et Tibull. I, 2, 49, repetit *Quum libet.* — *Spissatis arescit.* Sic vulgatæ. Sed probum videtur, quod Delrio et Lambinus e codd. protulerunt *siccatis*, quomodo Ovid. Met. II, 211: « Fissaque agit rimas, et succis aret ademptis ».

3. *Fundit opes scopulis:* at *fundat aquas scopulus atque arida* cod. Delr. *opes scopulique atque arida saxa* cod. Memm. apud Lamb. *fundit opes; scopulique atque horrida saxa* cod. Scaligeri; quem descriptum Burm. sec. inspexit. *Fundit opes scopulis* probavit atque edidit Burmannus prior, quia sequenti versu *aquas* sequitur, et passim fruges *opum* et *divitiarum* nomine veniunt.

4. *Niliades.* Sic habent editiones priscæ et Tragur. sed *Niligenas* cod. Delr. *Niliades* Memm. et Scal. Heinsius in margine notaverat, forte *elicitas*. Puto Niliacas dici pro uberibus et exundantibus ad similitudinem fluminis Nili.

5. *Submittit fluctus*, quomodo Ovid. Met. VII, 200: « concussaque sisto, Stantia concutio cantu freta ».

6. *Ante meos sua flabra pedes.* Magnifice et superbe dictum. Sic Apuleius, Metam. I, p. 3 ed. Pric. « magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare, etc. » Claud. in Ruf. I, 158: « et flamina stare coegi », uti legendum contendit Barthius, licet alii velint *et fulmen stare.* Idem post, ut Noster, flumina nominat: « Versaque non prono curvavi flumina lapsu ».

7. *Jussi servire dracones.* Ita Scaliger dedit; Stephanus *jussi et servire.* Burmannus ex priscis edd. *et jussi stare dracones*, quomodo et Delrii codex: *et jussi stare leones* cod. Scal. et Memm. apud Lamb. Tibullus, I, 8, 20. « Cantus et iratæ detinet anguis iter ».

9. *Carminibus deducta meis.* Vulgatissimum hoc apud poetas, cantu magico Solem, Lunam, sidera posse deduci, converti, turbari. Virgil. Æn. IV, 489: « Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro ». Ovid. Amor. II, 1, 23: « Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ, Et revocant niveos Solis euntis equos ».

11. *Tantum dicta valent. Dicta*, ut verbum *dicere*, quod toties repetit in Diris Cato, proprie de devotio-

Digitized by Google

Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent! Taurorum flamma quiescit,
Virgineis exstincta sacris. Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutavit Ulyssi.
Proteus esse solet, quidquid libet. His ego callens
Artibus, Idæos frutices in gurgite sistam,
Et rursum fluvios in summo vertice ponam.

nibus et incantationibus usurpari, notavi dudum ad Catonis Diras, v. 8. — *Taurorum ut flamma quiescat* legit Delrii codex, perperam.

12. *Virgineis exstincta sacris*, i. e. Medeæ. Nam hinc nobilissimarum sagarum facta extollit, Medeæ et Circes, adjuncto Proteo. Respicit ad fabulam de artibus Medeæ, quibus adjutus Jason in Colchis tauros ignivomos perdomare, iisque terram arare potuit. Quam Apollonius, Argon. lib. III; Valer. Flacc. lib. VII; Ovid. Metam. VII, 104 seqq. et Heroid. XII, 93 seq. aliique plures referunt.—*Phœbœaque Circe* habuit Delrii, Memmii et Scaligeri codex.

13. *Carminibus magicis*. Totus hic versus est ex Virg. Ecl. VIII, 70: « Carminibus Circe socios mutavit Ulyxi ».

14. *Proteus esse solet*. Cujus fabula exponitur respectu ad Virg. Georg. IV, 405 seqq.

15. *Idæos frutices*. Vetera exemplaria legunt *Idæo in gurgite:* qua mendosa lectione deceptus Barthius ad Claudian. lib. I in Ruf. v. 158, putavit mutandum *Ægeo frutices in gurgite*, quod mare illud notissimum, et flumina ad montem Idam Phrygiæ vix digna commemoratione. At vero *Idæos* frutices, saltus et arbores montis Idæ, saga ait suis artibus posse vicino gurgite fluvii collocari, quod in teratologiis magicis poetarum memoratur. Calpurnius, XI, 70: « Cantavit, quod Luna timet, quo rumpitur anguis, Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos ». Claud. in Ruf. I, 158: « Ire vagas quercus, et fulmen stare coegi », quod Heinsius bene restituit. Sed apud Ovid. Epist. VI, 87, *obliquaque fulmina sistit* male reponit. Cæterum sæpe *fulmen* et *flumen* mutantur. Ad Tibull. Eleg. I, 2, 44: « Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi, Fluminis hæc rapidi carmine sistit iter », clarus Brouckusius *Fulminis* propugnavit et edidit. Ed. — Alii codices hic legunt *Idæos latices*, quod contra sententiam est.

16. *In summo vertice*, scil. Idæ, quia præcessit *Idæos frutices;* et in alio carmine Petronius: « Idæo quales fudit de vertice flores ». Gonsalius plane falso intelligit hunc locum, et *verticem*, ait, hoc loco a Petronio vocari, quod Ovidius caput fluvii, Amor. I, 8, 6, « Inque caput liquidas arte recurvat aquas »; quasi hoc loco dicat saga, fluvios sua arte cogi ad fontes suos relabi. Sed hæc prodit sententia: Potero arbores e monte in fluvium, et vicissim fluvium in summum montem traducere.

Digitized by Google

IV. DE ANTIQUORUM TENUI VICTU CULTUQUE*.

Indum non fulgebat ebur, quod inhæserat auro,
Nec jam calcato radiabat marmore terra,
Muneribus delusa suis; sed crate saligna
Impositum cereris vacuæ nemus, et nova terræ
Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu.

* Ex Petronii cap. 135, apud H. Stephan. in Fragm. vet. poet. p. 402; Scalig. Catalect. lib. I, p. 195; Jo. Frid. Christ. in Excursu ad Villaticum, p. 267, et Petr. Burmann. Anthol. Lat. lib. III, epigr. 140.

1. *Indum non.* Scaliger cum aliis edidit *Non Indum.* Sed in aliis codicibus est *Non nitidum.* De lacunaribus versum accipit Gonsalius, de quibus Cicero in Paradoxis inquit, *tecta ebore et auro fulgentia.* Cui accedit Horat. Carm. II, 18, 1: «Non ebur neque aureum Mea renidet in domo lacunar». Et commode lacunari versu sequente subjungitur pavimentum.

2. *Calcato radiabat marmore.* Vetus codex *falcato*, male; nam *calcato* plures confirmant loci. Lucanus, X, 117: «Purpureusque lapis, totaque effusus in aula Calcabatur onyx». Martial. XII, 50: «Calcatusque tuo sub pede lucet onyx». Similiter pavimentum cum tecto conjunxit Tibull. III, 3, 16: «Auratæque trabes, marmoreumque solum.»

4. *Impositum cereris vacuæ nemus.* Gonsalius accipit haud sinistre de tecto rustico rudis ævi, quod lignis inter se connexis, et palea ad imbres arcendos addita, constructum erat. *Cereris vacuæ nemus* igitur est aristarum vacuarum, vel straminis, connexa strues. Quemadmodum in Priap. carm. 88 legitur: «Villulamque palustrem, Tectam vimine junceo, caricisque maniplis». Et Tibullus, II, 1, 39, de priscorum agrestium tectis: «Illi compositis primum docuere tigillis Exiguam viridi fronde operire domum». Sed Burmannus, Nic. Heinsii mutationem, *Impositum cereris flavæ penus* approbans, iis verbis canistra intelligit, quibus cererem expediebant teste Virgilio, Æn. I, 701, quæque e saliginis virgultis fieri Palladius docet in Nov. tit. XVIII. Sed hæc sententia quia non, nisi mutatis vocibus *vacuæ* et *nemus*, stabiliri potest, vulgata autem lectio auctoritate codicum satis confirmata, superiorem potius interpretationem de tecto stramineo poscit, hæc quin alteri præferenda sit, vix dubitari potest.

5. *Facili rota finxerat actu.* Sic Burmannus prior edidit cum Stephano, quod rectum puto. Burmannus sec. cum Scaligero *astu*; alii *fastu*; Traguriens. *facili vilis nota finxerat hasta.* — Hoc loco *actus* est circumactio rotæ, de qua Seneca epist. XC: «Anacharsis invenit rotam figuli, cujus circuitu vasa formantur». Vid. Horat. Art. Poet. 22. Et Tibull. II, 3, 49: «At tibi læta

Digitized by Google

Hinc molli stilla lacus, et de caudice lento
Vimineæ lances, maculataque testa Lyæo.
At paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto: clavus numerabat agrestes;
Et viridi junco gracilis pendebat arundo.

trahant Samiæ convivia testæ, Fictaque Cumana lubrica terra rota ». Idem de priscorum poculis, ut Noster ipse, lib. I, 39 : « Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula, de facili composuitque luto ».

6. *Hinc molli stilla lacus.* Cod. Scaligeri, ejusque editio, præferunt *Hinc molli stilla latus.* Sed Scaliger jam margini adscripserat *lacus*, et sic legendum contendit Lindenbrogius, Var. lect. in Catal. et Christius in Excursu post Villat. p. 267. *Hinc molli scillæ latus* Stephan. et Tragur. cod. Unde Wouwerius volebat *Hinc mollis stillæ lacus:* Burmannus vero dedit *mollis scillæ lacus*, ut indicet *vinum scillinum*, cujus ratio conficiendi traditur a Columella, XII, 33, idque cæteris virorum doctorum conjecturis præferendum putat Burmann. sec. Ego vero vini scillini compositionem a simplicitate priscæ vitæ, quæ hic describitur, plane alienam puto, et *molli stilla lacus* præfero. Atque alias vel conjecturas, vel aberrationes codicum prætereo, ut *mollis tiliæ*, *molistilla*, *molliscellæ*. Lacus est *lacuna ubi aqua contineri potest*, ut ait Varro, L. L. lib. IV. Christius exponit cisternam aquæ cælestis plenam. Significat Petronius, prisca ætate non fossis inducta maria, nec tantis impensis piscinas habuisse, sed contentos lacuna, qualem stillæ confluvia fecerant.

7. *Vimineæ lances.* Tragur. *viminеo*, alii *ulminiæ*. Intelligo lances ligneas, vel vascula lento vimine contexta. — *Maculataque* Burman. vult exponere rubra ex colore vini, deinde etiam *cumulata* substituere, i. e. plena et coronata vino. Sed melius Christius, qui adspersam potius fæce vini, quam repletam mero intelligit, atque inde vilem potum.

8. *Palea satiatus inani,* i. e. stramine et palea abunde repletus, densatus vel inductus, quemadmodum Statius, Silv. I, 2, 153 : « Robora Dalmatico lucent satiata metallo », i. e. crasso auro inducta. Et « saturatas murice vestes » dixit Ovid. Her. XIII, 37.

9. *Fortuitoque luto,* h. e. ubique obvio, et forte oblato. Sic Horat. Carmin. II, 15, 17: « Nec fortuitum spernere cespitem Leges sinebant ». Sic autem priscorum parietes factos alii similiter memorant. Plin. lib. XXXV, c. 14 : « Illini quidem crates parietum luto, et lateribus crudis exstrui, quis ignorat? » Seneca, epist. xc : « Virgeam cratem texuerunt manu, et vili obleverunt luto ». — *Clavus numerabat agrestes.* Sic cod. Tragur. prima edit. Scaliger, atque Stephanus, ubi tamen *clausos* in margine. Unde Gronovius dedit, Observ. II, 5, « clausos umbrabat agrestes », quod multis arrisit. Vulgatam lectionem *clavis numerabat agresteis* defendit Gonsalius, et Perizonius, Animadv. hist. cap. 5, quæ tamen a Tragur. le-

Digitized by Google

Præterea quæ fumoso suspensa tigillo,
Conservabat opes humilis casa : mitia sorba
Inter odoratas pendebant texta corollas,
Et thymbræ veteres, et passis uva racemis.

ctione nihil differt. Douza et Palmer. volunt *clavos numerabat*. Recte autem accipiuntur hæc de *clavis*, per quos numerabant agricolæ vetusti. Et Erhardus hic de *clavo annali* sermonem esse putat, qui, auctore Festo, « figebatur in parietibus ædium, per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum » : et propterea permutatis ultimis versuum verbis, hic legit *clavus numerabat et annos*, et præcedente versu *palea satiatus agresti*. Ego vero, absque ulla mutatione, malim simplicius interpretari, clavum numerasse, i. e. clavorum in pariete fixorum numerum significasse singulos illius domicilii agrestes, et, quoniam sequitur, *Et viridi junco*, etc. singulos habuisse clavum suum in pariete, quo arundinem suam, utpote pastores, aut aliam supellectilem suspenderent.

11. *Præterea, quæ fumoso*. Memm. codex *quam*, unde Douza *quas*. Exhibeo eos versus eo ordine, quem Stephanus, cum eoque Burmannus, observavit, et codex Scaligeri tuetur, et quem contextus ratio poscit. Scaliger in Catal. hunc versum sequenti postponit, eumque sequuti sunt Christ. et Burm. sec. — *Fumoso suspensa tigillo casa* est, cujus tectum tigno innititur, quod fumosum est propter focum subjectum, et fumum ipso tecto inclusum, nec facile exeuntem. Etenim olim, certe in casis rusticis, nulli camini. Ex eo tigno simul succidiæ, lardum, tomacula suspendi solebant, ut fumo indurarentur, et carnarium vocabatur. Petronius hoc ipso capite : « clavum fumoso pariete reddidit ... mox cucumam ingentem foco apposuit, simulque pannum de carnario detulit furca ». — Vid. notata nostra ad Sereni Moretum, hujus nostræ edit. I, p. 626. Ed.

12. *Mitia sorba*. Steph. *servo*, et in margine *porro*, ex quo alii *porra* facere voluerunt. Bongarsian. scriptus *sorva*, unde vulgata lectio verisima. Hæc sorba cum sequentibus sunt opes casæ, quas ante dixit : *mitia* sorba matura, ut *mitia poma* Virgilio, et *immitis uva* Horatio.

13. *Inter odoratas*. Cod. Scal. Steph. et alii *adoratas*, perperam. — *Pendebat texta* Tragur. alii *pendebat testa : pendebant exta* Scaligeri cod. et edit. quæ lectio commoda iis maxime est, qui hunc versum post superiorem *Præterea quæ* ponunt. Sic enim videntur *exta fumoso tigillo suspensa*, tanquam in carnario, dici. Rectius vero *texta* legitur, referturque ad *sorba*, quæ dicuntur corollis odoratis, i. e. sertis fasciculis herbarum odoratarum conjuncta vel contexta pendere.

14. *Et thymbræ veteres*. Tragur. *tinibre ;* alius *et ymbræ*. In Glossis est *Thymbra, sive conila, sive satureia : veteres* interpretor aridæ et jam diu servatæ. Aridarum etiam usum ostendit Columella, XI, c. ult. « Et viridis esui est jucunda, nec arida inutilis ad pulmentaria condienda ». Heinsius conjiciebat *thymbræ series*, i. e. fasciculi. — *Passis uva racemis*,

Digitized by Google

Qualis in Actæa quondam fuit hospita terra
Digna sacris Hecale, quam Musa loquentibus annis

i. e. expansis et pendentibus, ut pensilis uva indicetur, non passa sole fumove, aut condita. Suspensæ e camera dùrabant per hiemem. Plin. lib. XIV, c. 1. Et Varro, de R. R. lib. I, cap. 68: « Pensilia, ut uvæ, sorba, ipsa ostendunt, quando ad usum oporteat promi ». Auctor Copæ v. 21: « Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis, Est pendens junco cæruleus cucumis ».

15. *Qualis in Actæa.* Hic deesse versum, quo describebatur anus, quacum comparetur sequens Hecale, interpretes monent. Ego vero hiantem sententiam non video. *Qualis* hoc loco ex poetarum usu interpretandum est, nempe quali ratione olim vixit et rem familiarem administravit pauper illa Hecale, ob hospitium Thesei celebrata. *Actæa terra* est Atheniensis, nam Acte regio Attica vocabatur.

16. *Digna sacris Hecale.* Sic edidit Scaliger. *Hecates* Stephanus, qui tamen in margine *Hecale*: alii *Hecate*. Et facilis erat hæc permutatio, quum utrumque sensus ferre possit. — Pari mendo apud Plaut. Cistell. act. I, sc. 1, 50, vulgo legebatur *nunquam Hecata fies*, ubi optime *Hecalen* restituit cl. Douza. Ed. — Hecale erat pauperrima anus in Attica, quæ Theseum in taurum Marathonium exeuntem hospitio et convivio comiter exceperat, ut refert Plutarchus in Theseo, cap. 14. Mentio ejus a pluribus Græcis Latinisque. Ovid. Rem. 747: « Cur nemo est, Hecalen, nulla est, quæ ceperit Irum? Nempe quod alter egens, altera pauper erat ». Apuleius, Met. I, p. 17 ed. Pric. « Thesei illius cognominis patris tui virtutes æmulaveris, qui non est aspernatus Hecales anus hospitium tenue ». Allusit etiam paucis verbis Statius, Theb. XII, 582: « nec fudit vanos anus hospita fletus ». Hæc anus hospita hic dici propter paupertatem poterat *digna sacris Hecates*, respiciendo ad cœnam Hecates, quæ sacris Hecatæ factis in triviis poni, et a pauperibus rapi solebat. Sed tamen et *Hecale* anus dici potuit *digna sacris*, iis scilicet, quæ Theseus ejus caussa instituisse dicitur. Nam Plutarchus loco cit. memorat, quoniam Hecale pro Theseo ad pugnam proficiscente, si sospes revertisset, Jovi hostias voverat, diem autem suum ante illius reditum obierat, hanc ei hospitalitatis gratiam jussu Thesei relatam esse, ut sacrum Hecalesium a circumjectis populis, concilio indicto, Jovi Hecalo fieret. His observatis aliena ab hoc loco videtur *Hecates* Deæ mentio, et servandum anus nomen *Hecale*, quæ hospitalitate sua meruit, ut propriis sacris coleretur. — *Loquentibus annis*, i. e. fama celebrantibus, ut in illo Catulli 7, 9: « te omnia sæcla Noscent, et, qui sis, fama loquetur anus ». — Idem Catullus in Eleg. ad Manl. Carm. 67, vs. 46: « facite hæc charta loquatur anus ». Ed. — *Et fama loquax* a Martiale dicitur XII, 4, 4. Infeliciter autem Barthius, Adv. XXIII, 24, *loquentibus armis* emendare vult, quomodo *arma Demosthenis* a Nostro alibi dicantur.

Digitized by Google

Battiadæ veteris vivendo tradidit ævo.

17. *Battiadæ veteris vivendo*. Sic edidit Scaliger, quem sequutus est Burmannus sec. Stephanus *Baccineas veteres*, qui tamen in margine *Battiadæ veteri*. Aliæ editiones cum codice Tragur. *Baccineas veteres mirando*, quam lectionem servavit Burmannus senior. Inde Gronovius *mirandam* legendum censuit, quod sane ipse velim. Et quod alii conjecerunt, *Battiadæ vatis*, id ipsum perplacet, i. e. Callimachi poetæ, qui Hecalen justo poemate celebravit, ut testatur Plinius, lib. XXII, 22, sect, 44, et alibi, ubi herbas quasdam nominat, quas Callimachus dixerit Hecalen Theseo apposuisse: præterea Suidas in Ἑκάλη, et Crinagoræ epigramma in Hecalen Callimachi, quod exstat Anth. Gr. lib. I, cap. 67 in poetas, p. 95. —Vid. Schottus, Obs. II, 29. Ed.

V. DE MULIERE FORMOSA*.

Candida sidereis ardescunt lumina flammis;
Fundunt colla rosas, et cedit crinibus aurum;
Mellea purpureum depromunt ora ruborem,
Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis:

* Primum edidit Binetus, quamquam vitiosissime, in vet. poet. ep. p. 12; unde inter Petronii fragmenta exhibuit editio Patissoniana, p. 118; Frelloniana, p. 182. Hadrianides et Burmannus inter eadem primo loco posuerunt. In Stephani fragm. poet. vet. non legitur. Comparari potest cum Petronii cap. 126, ubi similis formæ emendatissimæ descriptio est, sed etiam cum Arborii elegiaco carmine ad virginem nimis cultam, et lyrico ad Lydiam, quod utrumque tomo II Poetarum min. proposuimus.

1. *Sidereis ardescunt lumina flammis*, id est, oculi instar siderum radiant. Petron. cap. 126: « oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus ». Familiare hoc poetis. Ovid. Amor. III, 3, 9: « Argutos habuit, radians ut sidus, ocellos ». Arborius ad nympham, v. 33: « Cum radiis certare Jovis tua lumina possent, Et possent radiis vincere signa Jovis ». Et confer quæ notavimus ad Corn. Galli epigr. 2, 15.

2. *Et cedit crinibus aurum*. Sic correxit in margine Binetus, qui corrupte edidit *cedit et rivibus*. Flavum capillitium, quasi aureum, in magna dignatione Veteribus. Carmen ad Lydiam, v. 6: « pande capillulos Flavos, lucentes ut aurum nitidum ». Arborius ad virgin. 12: « Aurea nam nudo vertice tota nites ». Gallus, epigr. 2, 6: « Anne coma ex auro flava est tibi Gentia ».

4. *Sublimat pectora sanguis*. Burmannus sec. verbum *sublimat* rejicit, tamquam non conveniens ætati hujus poetæ, atque ei substituit *sublinit*, id est, suffundit, ruborem candori miscet. Ego *sublimat* rectum et elegans esse puto, accipioque de amplitudine decora pectoris, quam

Digitized by Google

Ac totus tibi servit honor, formaque Dearum
Fulges, et Venerem cælesti corpore vincis.
Argento stat facta manus, digitisque tenellis
Serica fila trahens, pretioso stamine ludis.
Planta decens modicos nescit calcare lapillos,
Et dura lædi scelus est vestigia terra.
Ipsa tuos quum ferre velis per lilia gressus,
Nulli sternuntur leviori pondere flores.

affluentia sanguinis, et corporis habitudo efficit, uti ipse jam explicavi ad vers. 23 carminis ad Lydiam, ubi *luxus nivei pectoris* dicitur.

5. *Ac totus tibi servit honor*, h. e. quidquid ad honorem et pulchritudinem pertinet, id videtur in tua, quasi dominæ, potestate esse, ut te ubique circumdet, comitetur, exornet. Plane ut Tibullus, IV, 2, 7 : « Illam, quidquid agit, quoquo vestigia movit, Componit furtim subsequiturque decor ». Similiter locus est Calpurnio, II, 75 : « totus tibi serviet hortus ».

6. *Cælesti corpore*, una Dearum vel Cælitum digno, divino. Sic ab Arborio, Eleg. ad virg. 89, *cælestis imago* dicitur forma Dearum similis. Apuleius, Metam. X, p. 234, Veneri tribuit « corpus candidum, quod cælo demeat ».

7. *Argento stat facta manus :* tanto candore est, ut ex argento facta videatur. Plinio, lib. II, cap. 25, dicitur « Candidus cometes, argenteo crine ». Ex eadem ratione *marmorea manus* vocatur Martiali, VIII, 56, 14. — *Stat facta* idem valet quod *est facta*, ut usurpatum videmus apud Horat. Carm. I, 16, 18 : « et altis urbibus ultimæ Stetere causæ cur perirent Funditus ». Ed.

8. *Pretioso stamine ludis*. Similiter epigramma in Catalect. Petronii et Anthol. Burm. III, 214 : « Hoc sibi lusit opus de stamine floricolore Hesperie teneras officiosa manus ».

9. *Nescit calcare lapillos*, id est, plantæ decor et teneritudo cavet, ne quo lapillo calcando lædatur. Sic Reposianus, carmine mox sequente, vs. 98 : « Ibat pulchra Venus, vix presso pollice cauta, Florea ne teneras violarent spicula plantas ».

10. *Lædi scelus est vestigia*. Sic Binetus bene correxit in margine, qui edidit « Et dura lædis cælum et vestigia ». *Scelus est*, pro non decet, nefas est, sumptum videtur ab Ovidio, qui Am. I, 14, 27 : « Clamabam, scelus est, istos scelus urere crines ». Innuit vero, dignam esse, quæ nunquam per duram solidamque terram incedat, sed cui incedenti flores ubique substernantur, tamquam Deæ aut Nymphæ alicui, quibus poetæ fingunt Tellurem gradientibus aut cubantibus flores et gramina submittere. Petron. cap. 127 : « Idæo quales fudit de vertice flores Terra parens » : quocum cf. Cato in Diris, v. 170. Val. Flacc. lib. III, 527, de Nymphis venantibus : « Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum Personat, et teneris submittit gramina plantis ».

12. *Nulli sternuntur*. Sic restitue-

Digitized by Google

Guttura nunc aliæ magnisve monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti : tu sola placere
Vel spoliata potes. Nulli laudabile totum,
In te cuncta probat, si quisquam cernere possit.
Sirenum cantus, et dulcia plectra Thaliæ
Ad vocem tacuisse reor, qua mella propagas
Dulcia, et in miseros telum jacularis amoris.

runt viri docti ex vitiosa Bineti lectione *Nullis Herunes leviori*. Attribuitur summa levitas corporis pulchræ feminæ, quæ ut teneritas contigua pulchritudini. Idem de Nymphis et Deabus affirmabant. Et de Camilla Virg. Æn. VII, 808 : « Illa vel intactæ segetis per summa volaret Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas ».

13. *Magnisve monilibus.* Ita castigandum monuit Douza, lib. III Præcid. cap. 6, circa finem, quum pleræque editiones, Burmanniana etiam, habeant *magnis monilibus*, quod metro adversum est.

15. *Vel spoliata*, ornamentis omnibus detractis. Pari sententia Arborius, Eleg. ad virg. vs. 17 : « Incendunt niveum lunata monilia collum ; Nec collum simplex dedecuisse potest ». Collum simplex est nudum, inornatum.

17. *Sirenum cantus.* Solenne est Veteribus suavem mulierum vocem vel poesin Sirenum cantui adsimilare. Ipse Petronius, c. 127 : « Hæc ipsa quum diceret, tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentabat aera, ut putares, inter auras canere Sirenum concordiam ». Sic in epigrammate Græco, quod Homonœæ epitaphio adjunctum, sed a nobis omissum est : Ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυφωνοτέρη dicitur. Et in ara sepulcri Petroniæ Musæ posita apud Grut. p. 1118, 9 ; Spon. in Miscell. p. 46 ; Fleetwod. in Syll. inscr. p. 201 : Τίς μου τὴν Σειρῆν' ἁπαλὸν κακὸς ἥρπασε Δαίμων ; Τίς μου τὴν γλυκερὴν ἥρπασε ἀηδονίδα ; Plura hanc ad rationem suppeditat Burmann. ad Anthol. t. II, p. 98.

18. *Qua mella propagas Dulcia.* Burmannus edidit *quæ mella propagas*, quod minus placet : nam *qua* referendum est ad *vocem*, et rationem indicat, cur ea vox Sirenes et Thaliam vincat. Burmannum sec. offendit *dulcia*, quod modo adfuit, et, quia hoc amatorium Encolpii existimatur, quo formam Albuciæ efferat, hinc conjicit reponi posse *qua mella propagas Albucia, in miseros*, etc. quod mihi æque minus placet : nam copula perit, quæ necessaria est. Cæterum vulgata poetarum ratio est, orationis suavitatem mellis, favi, thymi nomine condecorandi. Statius, Silv. II, 1, 50 : « Et mixtæ risu lacrymæ, penitusque loquentis Hyblæis vox tincta favis ». Licentius in carmine infra proferendo : « Conceptum in lucem vomuisti nectareum mel ». Et in epigr. Alcimi inter Catalecta Petron. « spirans Cecropium dulcius ore thymum », uti quidem emendat Burm. Anthol. Lat. III, 211.

19. *In miseros telum jacularis amo-*

Digitized by Google

Cor grave vulnus alit, nullo sanabile ferro;
Sed tua labra meo sævum de corde dolorem
Depellant, morbumque animæ medicaminis hujus
Cura fuget, nec tanta putres violentia nervos
Dissecet, atque tuæ moriar pro crimine caussæ.
Sed, si hoc grande putas, saltem concede precanti,
Ut jam defunctum niveis ambire lacertis
Digneris, vitamque mihi post fata reducas.

ris. Burmannus secundus *amantes* corrigit, quod probo. Idem de venusto puellæ risu prædicat Pseudo-Gallus, ep. 3, « Subrides si Virgo, faces jacularis ocellis ».

20. *Cor grave vulnus alit*. Quale est hoc ex carmine ad Lydiam, v. 16: « Cor mihi penetrant hæc tua basia ». Virgil. Æn. IV, 2: « Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni ».

21. *Sed tua labra*, i. e. oscula. Sic Petron. c. 98: « osculis tamquam fomentis aggressus est ».

23. *Nec tanta putres*. Lego *ne tanta*.—*Violentia*, vis et ardor affectus mei.

24. *Dissecet*, solvat, languidos efficiat: quo sensu *succisi nervi* dicuntur, quod vidimus ad versum Saleii 254. Sic auctor carminis ad Lydiam, v. 24: « Sæva, non cernis, quod ego langueo ».—Vid. huj. op. t. II, p. 456. Ed. — *Atque tuæ moriar*. Legerem: *atque tua moriar, pro crimine, caussa*, h. e. ne tu mihi caussa mortis sis pro crimine.

VI. IN SUPERSTITIONEM *.

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cælo
Fulmina quum caderent, discussaque mœnia flammis,

* Sub Petronii nomine hoc carmen edidit Scaliger in Catalect. p. 234, qui in schedis suis msp. idem ex veteri codice descripserat, sed nullo auctoris nomine præfixo. Idem ab editoribus Petronii inter fragm. ejus relatum est, propterea quod primum ejus hemistichium *Primus in orbe Deos fecit timor* sub Petronii nomine citat Fulgentius Mythol. lib. I, cap. 1, unde etiam adducit, eidemque Petronio tribuit Lutatius, Scholiastes Statii, ad Theb. III, 661, qui eamdem sententiam usurpavit. Verba ejus sunt: « Negat, Deos ulla alia re celebrari, nisi timore mortalium, ut Lucanus, *Quæ finxere, timent;* et Petronius Arbiter, istum sequutus: *Primus in orbe Deos f. timor* ». Ex hisce verbis quidem viri docti opinati sunt, Petronium Statio posteriorem a Lutatio habitum esse, quod verba *istum sequutus* ad Statium traherent.

Digitized by Google

Atque ictus flagraret Athos; mox Phœbus ad ortus
Lustrata dejectus humo, Lunæque senectus,
Et reparatus honos; hinc signa effusa per orbem,
Et permutatis disjunctus mensibus annus

Sed nodus hic sine necessitate nectitur, et verba ista ad Lucanum, quem proxime nominavit, spectant, quem omnino Petronius sequutus dici potuit, siquidem ex carmine Petronii de bello civili, quo Lucanus manifeste reprehenditur, constat Petronium post Lucanum scripsisse. Cæterum Barthius ad Statii locum cit. et lib. XXII Advers. cap. 4, quædam in hoc carmine emendavit, quæ cum aliis interpretum adnotationibus conferemus.

3. *Atque ictus flagraret Athos.* Athos, mons Macedoniæ in Ægeum prominens, frequenter apud poetas meta est fulminum Jovis. Virgil. Georg. I, 332, quem locum tunc Noster respexisse videtur : « Ipse pater ... corusca Fulmina molitur dextra :... mortalia corda Per gentes humilis stravit pavor : ille flagranti Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo Dejicit ». Cf. Val. Flacc. lib. I, 664.

4. *Ad ortus Lustrata dejectus humo.* Corruptam scripturam esse apparet; Barthius ad Statii loc. cit. emendat *lustrata redit actus humo.* Sed hac mutatione insertum verbum *redit* sententiam claudit, quæ procedere debet ad versus septimi verbum *Projecit.* Melius quidem Nic. Heinsius ad Ovid. Metam. I, 11, legit *devectus.* Sed et *Sol devectus ad ortus* vix commode dici potest, sed *revolutus* aut *revectus* debet. Itaque malim *subvectus* aut *provectus* scribere, quanquam nulla satis apta ratio emendandi succurrit. Credo auctorem his et sequentibus verbis significare, non solum timorem ob fulmina cadentia, verum et perennes siderum cursus, variationes et vicissitudines temporum effecisse, ut Dii crederentur. — *Lunæ senectus* est decrescentis lumen imminutum. Apuleius, Florid. IV, de Thalete : « Idem Lunæ vel nascentis incrementa, vel senescentis dispendia, vel delinquentis obstacula reperit ». Lucilius in Ætna, v. 234 : « æstas ipsa senescit ». Et *venti atque fulmina consenescere* dicuntur apud Dictyn Cret. lib. I, cap. 21. *Flammæ senescere* apud Amm. Marcellinum, lib. XXIV.

5. *Et reparatus honos :* ut Horat. Carm. IV, 7, 13 : « Damna tamen celeres reparant cælestia Lunæ ». Ovid. Metam. I, 11 : « Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe ». — Et videatur infra hoc tomo Epist. Didonis ad Æneam, v. 38. Ed. — *Signa effusa per orbem* Cuperi a Burmanno exscripta adnotatio exponit de simulacris Deorum per orbem erectis ; plane falso. Intelligenda signa cælestia, sidera, per quæ Sol annuos cursus conficit; quod sequens versus evincit. Et sic Tibull. I, 4, 20 : « Annus agit certa lucida signa vice ».

6. *Et permutatis*, i. e. variatis et per vices succedentibus divisus. Sic Petronius in alio epigrammate, de vitando fastidio, quod subsequitur : « Ipsa dies ideo nos grato perluit haustu, Quod permutatis hora, recurrit equis ».

Digitized by Google

Projecit vitium hoc : atque error jussit inanis
Agricolas primos Cereri dare messis honores,
Palmitibus plenis Bacchum vincire, Palemque
Pastorum gaudere manu; natat obrutus omni
Neptunus demersus aqua, Pallasque cavernas
Vindicat : et voti reus, et, qui vendidit orbem,

7. *Projecit vitium hoc.* Palmerius in Spicileg. hoc explicavit *fecit commune, effudit* in omnes partes mundi, idque probat Barthius l. c. Sic *projecta libidinum audacia* dicitur pro effusa et immodica. In schedis manuscriptis Scaligeri exstitit *Projectum vitium atque error*, quod ille in margine correxerat *Projectum vitium hinc.*

8. *Agricolas primos.* Prima sacra Deorum post inventam agricolationem instituta, et agricolas primos fuisse Deorum cultores, auctor hic adserit, et latius exponit Tibull. II, 1, 51 : « Agricola assiduo primum satiatus aratro, etc. » Atque hinc Cereris antiquissima et religiosissima sacra esse pronuntiat Cicero, Verr. IV, cap. 49. — *Dare mensis honores* perperam editum a Scaligero, atque etiam in schedis ejus msptis lectum. *Messis* correxerunt duo Burmanni.

9. *Palmitibus plenis*, i. e. racemis uva gravidis. Sic in Flori excerpto I : « Bacche vitium repertor, plenis adsis vitibus ». Et Calpurn. X, 18 : « Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis Vitea serta plicas ». Ut Cererem spicis, ita Bacchum vitibus coronare agricolæ in sacris solebant. Tibullus in descriptione sacri ambarvalis, lib. II, 1, 3 : « Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva Pendeat, et spicis tempora cinge, Ceres ».

10. *Pastorum gaudere manu*, i. e. a pastorum turba coli. — *Natat obrutus.* Barthius l. c. hanc sententiam esse dicit : Neptunum tantum Deum fingi, tam ridiculum, ut in omni aqua natantem deprehendere liceat.

11. *Pallasque cavernas.* Tenebant *pallidasque tabernas* schedæ Scaligeri, qui ad marginem conjecerat *liquidasque tabernas*, sed in altero latere apposuerat *Pallasque.* Barth. ad Stat. l. c. laudat emendationem Delrii, commentar. in Sen. Herc. fur. v. 299, *Pallasque lucernas*, siquidem etiam Arnobius, lib. VI, Minervam « luminis ministram et lucernarum modulatricem » appellavit. Ipse Barthius ibi conjicit *palæstras* ab olivo; quamquam in Advers. XXII, 4, *Camenas* scribendum dixerat. Ego ex omnibus hisce prætulerim, quod scripti libri habent, *tabernas*, quia tabernæ sunt opificum, et opifices omnes in Minervæ tutela.

12. *Et, qui vendidit orbem.* Et hoc corruptum, vel valde obscurum visum est. Barthius in Advers. l. c. *vendidit urbem* corrigit, patriam nempe, ut in noto Virgilii versu : « Vendidit hic auro patriam » : idem tamen ad Statium *orbum* præfert, id est, heredipetam, qui orbum, quem adulatur, carissime magnoque pretio vendidit, bona sua summo cum emolumento elargiens : nihilque potuisse et ingenio suo et re

Digitized by Google

Jam sibi quisque Deos avido certamine fingit.

ipsa dignius scribere satiricum auctorem existimat. Mihi, si quid intelligo, stare vulgata lectio hoc sensu posse videtur: « Tum ille, qui accrescere cupit divitiis, et vota facit, tum etiam, qui votorum omnium compos ita crevit, ut totius orbis merces vendidisse videatur, h. e. pauper et dives *avido certamine*, certatim conantur suos sibi Deos fingere, quibus supplicent, et quibus accepta referant ».

VII. DE VITANDO FASTIDIO *.

Nolo ego semper idem capiti suffundere costum;
Nec toto stomachum conciliare mero.
Taurus amat gramen mutata carpere valle,
Et fera mutatis sustinet ora cibis.
Ipsa dies ideo nos grato perluit haustu,
Quod permutatis hora recurrit equis.

* Sub Petronii nomine edidit Scalig. pag. 235, et in fragm. Petronii, p. 874; Burman. Anthol. Lat. III, epigr. 120. Ed.

2. *Toto mero*. Forte *noto*, quod probant Barthius et Brouckusius, i. e. familiari, quotidiano. Sic *noti amnes, notæ silvæ, flumina nota* passim occurrunt. Burmannus tamen *notum merum* de eodem vino, quod quis sæpius bibat, posse dici negat. Forte *solito* præstiterit. Ed.

3. *Taurus amat*. Totum hunc locum expressit Urfæus, Astreæ Gallicæ auctor, t. III, l. v, p. 179. Ed.

5. *Ipsa dies*, etc. Locus mendosus. Quomodo enim dies nos *grato haustu perluit?* Forte *grato pellicit astu* vel *auctu*, i. e. alterna diei et noctis permutatione allicimur quotidie, quasi auctu novorum dierum, quum fastidium nos caperet si semper dies esset. Ed.

6. *Quod permutatis*. Repetitio verborum *mutare, permutare* studio ab auctore captatur, quia fastidium mutatione vitandum canit. — *Hora* pro die vel tempore; ut apud Ovid. Art. Am. III, 64: « Nec, quæ præteriit, hora redire potest ». Ed.

Digitized by Google

VI.

T. CÆSII TAURINI

VOTUM FORTUNÆ PRÆNESTINÆ.

Tu, quæ Tarpeio coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex semper Fortuna meorum;
Accipe quæ pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem nostri conservatura parentis;
Cujus ne taceat memorandum litera nomen,

1. *Tu, quæ Tarpeio.* Cur hic vicina Tarpeio Tonanti dicitur Fortuna, quæ Prænestina est, et in lapide celebratur, qui Præneste inventus est? Scilicet, Fortuna Prænestina cognomine vocabatur Primigenia, testantibus id tot aliis saxis Præneste inventis, quæ in Gruteri corpore, pag. 75 seqq. producuntur, explicanturque a Boxhornio Quæst. Rom. IV, « Fortunæ Primigeniæ et Jovi puero » dicata. Quem titulum illustrat locus Ciceronis, de Divin. II, c. 41 scribentis: « Jovem puerum lactentem cum Junone in Fortunæ Prænestinæ gremio sedere, et mammam appetere ». Sed eadem Fortuna sub Primigeniæ nomine templum habebat Romæ in Capitolio, quod ei posuit Servius Tullius rex, teste Plutarcho de Fort. pop. Rom. pag. 322, et Quæst. Rom. 72. De Primigenia etiam hunc versum intelligit Gyraldus, Hist. Deor. Synt. XVI, p. m. 392; atque ejus templum non longe a Capitolio Jovis dissitum fuisse, recte ex eodem colligit Rycquius, de Capitol. Rom. cap. 43.

3. *Quæ pietas ponit tibi.* Apianus expressit *ponit sibi*, perperam: Pighius in Inscript. *posuit*, at in Herc. Prod. *ponit*, quomodo cæteri omnes, recte. Smetius quidem exhibet *donat tibi dona*, et sic apud Merulam legitur, nec ab usu linguæ abhorret; sed tamen *ponit* præferendum, quoniam hoc proprie dedicationem vel consecrationem significat, atque infra v. 21 repetitur: « Hoc posuit donum ».

4. *Conservatura parentis.* Apianus vitiose *Conservaciva*, Scaliger *conserva Diva*, quod nescio utrum ex

Digitized by Google

Cæsius hic, idemque Titus, primusque vocatur.
Qui largæ Cereris messes fructusque renatos
Digerit in pretium : cui constat fama, fidesque,
Et, qui divitias vincit, pudor; ire per illos
Consuetus portus cura studioque laboris,
Litora qui præstant fessis tutissima nautis.
Notus in urbe sacra, notus quoque finibus illis,
Quos Umber sulcare solet, quos Tuscus arator.
Omnibus hic annis votorum more suorum
Centenas adicit numero crescente coronas,
Fortunæ simulacra colens, et Apollinis aras,

membrana veteri, an ex emendatione istius vitiosæ lectionis sit. Boissardus idem, quod Scaliger. Sed hæc lectio minime probanda, quod alienum sensum affert; et cæteri omnes editores in eam, quam ipsi dedimus, conspirant.

6. *Idemque Titus. Titius* est apud Mazochium, Ferretium, et Fabricium : *hicque Titus* Boissard.

7. *Qui largæ Cereris messes. Large* apud Mazoch. *longe* vetus Caroli Moroni codex Heinsio collatus.

8. *Digerit in pretium.* Ita omnes: solus Mazochius ac Fabricius habet *dirigit*, vitiose. Est autem *digerit in pretium* idem, ac divendit, dispertitur et distrahit ad redimendum; indicatque adeo mercatorem frumentarium, aut curatorem annonæ, qualem Præneste fuisse inscriptio lapidis ibi reperti docet.

9. *Et, qui divitias vincit, pudor.* Sic Smetius, Mazochius, Ferretius, Gruterus, alii, recte. *Et cui divitias nectit pudor* Pithœus, Scalig. et Boissardus. *Æqui divitias* Apian. Sensus est : cui præterea singularis pudor et modestia adest, quæ impedit, quominus ob divitias superbia efferatur. — *Ire per altos* Scaliger ac Pithœus ediderunt.

11. *Litora qui præstant*, h. e. qui portus tutissimum refugium præbent nautis e longa navigatione eo appellentibus : *præstant* plerique editores : *præstat* Boissardus, Apianus, Scaliger ac Fabricius. Similiter Virg. Georg. lib. IV, v. 421 : « Deprensis olim statio tutissima nautis ».

12. *Notus in urbe sacra*, id est, Roma, quomodo et appellat Rutilius, Itin. lib. I, 417. Urbis *sacræ*, *Augustæ*, *æternæ* nomina frequentare solent ævi Theodosiani scriptores. Unde de ætate hujus carminis conjicere licet.

14. *Omnibus hic annis.* Cod. Moroni *anni.* Mazoch. edidit *hinc.*

15. *Centenas adicit.* Sic omnes pro *adjicit*, qui scribendi mos usitatus poetis, correpta prima syllaba. Manilius, lib. IV, initio : « adice et civilia bella ». Stat. Thebaid. VII, 4 : « proclamatque adici cervicibus Atlas ». Hoc modo et *subicit* occurrit. Solus Fabricius edidit *adjicit.* Mazochius *Contentus adicit.* Videtur *adicit* pro verbo sacrificali accipien-

Digitized by Google

Arcanumque Jovem; quorum consentit in illo
Majestas, longæ promittens tempora vitæ.
Accipe, posteritas, quod per tua sæcula narres.

dum, ut augere, mactare, adolere, unde *adjiciales* cœnæ sacerdotum.

17. *Arcanumque Jovem.* Difficillimus locus et multis conjecturis vexatus. Apud Apianum hiatu quodam relicto signa ejusmodi expressa sunt, e quibus VII elicere possis, unde Pith., Scal. et Boissardus ediderunt *Arcanumque Vii*. Scaliger ad Catalecta, p. 242, id ad Mercurium Deum Vium refert, et alios Deos Vios, viarum præsides ex Servii et Solini locis mutatis fingit. — Etiam Gutberlethus *Vii* legit, Mercurium intelligens, de mysteriis Deorum Cabir. cap. X, p. 73. Ed.—Contra quem disputat Everard. Otto de Diis Vial. cap. 7, et de Tutel. viar. cap. 9, p. 154 seq. Aldus, Smetius, Gruterus, Merula, Pighius in Herc. Prod. et Ferretius in Mus. lap. habent *Ægeriumque Jovem*. Sed apud Mazochium, Fabricium, Suarezium, et in veteri Moroni codice, quem vidit Heinsius, exstat *Arcanumque Jovem*, quod vulgatam *Arcanumque Vii* propius refert. Burmannus sec. inde aliquando conjecit, forte legendum *Albanumque Jovem*. Sed deinde admonitus *Arcanum Jovem* in duabus inscriptionibus apud Fabrettum et Muratorium, iisque Prænestæ repertis, memorari, eumdem in hac Prænestina indicari judicavit. Et mihi ratio ea tanti momenti videtur esse, ut *Arcanumque Jovem* cæteris lectionibus præferendam non dubitem. Sed de significatione Arcani Jovis adhuc dubium. Quidam docti a Burmanno memorati, ita dictum putarunt Jovem, quod in arca, aut sacrificiis a vulgi notitia remotis cultus fuerit; alii, quod in antro Cretæ latuerit; alii ad *arcam* sortium Prænestinarum respici putarunt, cujus meminit Sueton. Tiber. cap. 63. Et ab arca quidem usitatius diceretur *Arcarius*, quod vocabulum etiam in titulis lapidum occurrit. Sed quum illud facile mutare, et cum alio usitato miscere potuerit usus serioris latinitatis, cujus hoc carmen est; præterea in Muratorii inscriptione, quam etiam Gorius ad Inscript. Don. p. XLI protulit, *cultores Jovis arcani ex regione macelli* memorentur, qui eum lapidem *P. Acilio Paullo curatori annonæ* et *curatori calendarii, patrono suo*, dedicant, facile mihi persuadeo, *Arcanum Jovem* ab arca publica civitatum aut collegii mercatorum dictum esse, cultumque ab iis, qui arcam curarent, pecunias civitatis aut societatis tractarent, mercaturam, negotia exercerent.

18. *Majestas.* Hoc vocabulum quasi proprie de Diis Prænestinis usurpatum est. Sueton. in Tib. cap. 63: « Majestate Prænestinarum sortium territus destitit, quod obsignatas devectasque Romam non reperisset in arca, nisi relatas rursus ad templum ».

19. *Quod per tua sæcula narres.* Ita plerique editores. Pighius tamen in Inscript. et in Herc. Prod. ut et Merula et Schottus, habent *post tua sæcula*: et sic Smetius ac Metellus, ut in novissima Gruteri editione margini adnotatum est. Sed *per tua sæcula* rectum, idque ex

Digitized by Google

TAURINUS, cari jussus pietate parentis,
Hoc posuit donum, quod nec sententia Mortis
Vincere, nec poterit Fatorum summa potestas;
Sed populi salvo semper rumore manebit.

Ovidii fine Metamorph. expressum videtur, quem locum noster poeta imitatus est: « Ore legar populi, perque omnia sæcula fama, Si quid habent veri vatum præsagia, vivam».

21. *Sententia Mortis*, i. e. ipsa mors et interitus, quasi judicium capitale, quo omnes homines damnantur, et addicuntur morti. Ea loquendi ratio sequiore latinitatis ævo videtur in usum venisse, maxime in saxis et monumentis. Sic *vadimonia mortis* occurrunt in monumento Juliæ Secundæ, Anthol. Lat. IV, epigr. 230: « Nobis porro alia est trino de numine fati Dicta dies leti, quam propagare suopte Visum ollis tacito arbitrio, cum lege perenni, Sisti quæ cunctos jubet ad vadimonia mortis ». Diversa omnino hæc ratio a judicio, quod alias poetæ Æacum aut Minoa habere de defunctorum Manibus apud inferos dicunt, ut Horatius, Carm. IV, 7, 21: « Quum semel occideris, et de te splendida Minos Fecerit arbitria ».

23. *Sed populi salvo*, etc. Optime Cannegieterus in Rescript.; Boxh. de distich. Cat. c. 23, in fine, illud *salvo* exponit, et legit *salvom* vel *salvum*. — Contra *adverso rumore*, apud Sueton. in Tito, cap. 7. ED. — Alias si cum *rumore* conjungatur, exponendum erit *perpetuo* et non pereunte. *Populi rumor* idem valet ac *popularis aura*, fama secunda, ut apud Horatium, Epist. I, 10, 9: « Quæ vos ad cælum effertis rumore secundo ». — Ex hoc antiquo scribendi more frequenter hæc variata sunt, et sæpe in ablativos in *o* transierunt accusativi in *um*, quia per *om* scribebantur, et vice versa. Ita *remediom*, *auxiliom*, unde *remedio* et *auxilio* aliis natum. Videatur Burmanni senioris Commentar. ad Phædr. III, fab. 10, p. 341, et ad Lucan. III, 277. Sic apud Propertium, II, 25, 61: « Actia Virgilium custodis litora Phœbi », ubi Brouckusius recte *Virgilio* scribendum esse opinatur, quia scriptum fuerat *Virgiliom*. ED.

Digitized by Google

VII.

INCERTI

VOTUM AD OCEANUM

PRO FELICI NAVIGATIONE.

UNDARUM rector, genitor maris, arbiter orbis,
Oceane, o placido complectens omnia *motu;*
Tu legem terris moderato limite signas,
Tu pelagus quodcumque facis, fontesque, lacusque,
Flumina quin etiam *te norunt omnia* patrem,

2. *Oceane, o placido.* Sic correxit Heinsius pro *Oceano placido*, quod erat in MS. — *Complectens omnia* *; ubi *cursu* vel *motu* supplet Burmannus lacunam, quæ in schedis erat. Ego *motu* prætuli, quia auctor respexisse videtur verba Claudiani initio Paneg. Consul. Olybr. de Sole: «Sol qui flammigeris mundum complexus habenis, Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu». Catullus Epithal. Pelei, vs. 30: «Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem». Hinc possis etiam *ponto* vel *fluctu* supplere, sed multo minus eleganter.

3. *Moderato limite signas*, recte Heinsius posuit pro *limine*, ut erat in MS. Sic Marius Victor ad Salm. 44: «latus jaceat quo limite pontus». Hoc vero est, quod Ovidius latius descripsit, Metam. I, 30: «circumfluus humor Ultima possedit, solidumque coercuit orbem». Lucanus, X, 255: «ab Oceano, qui terras alligat omnes». HincVeteres Ὠκεανὸν vocabant ὁρίζοντα. Vid. Lucilii Ætn. v. 93.

5. *Te norunt omnia patrem.* Hoc Burmannus e vitiosa codicis scriptura elicuit, quæ sic habebat *tener oma patrem*: neque melius quidquam puto reperiri posse. Nam poetæ vel centies patrem nominant Oceanum, ut Virg. Georg. IV, 282, propterea quod fontes et flumina

Digitized by Google

Te *potant* nubes, ut reddant frugibus imbres;
Cyaneoque sinu cæli tu diceris oras
Partibus et cunctis *immenso* cingere nexu.
Tu fessos Phœbi reficis si gurgite currus,
Exhaustisque die radiis alimenta ministras,
Gentibus ut clarum referat lux aurea Solem;
Si mare, si terras, cælum, mundumque gubernas,
Me quoque cunctorum partem, venerabilis, audi,
Alme parens rerum, supplex precor: ergo carinam
Conserves, ubicumque tuo committere ponto
Hanc animam, transire *fretum*, discurrere cursus

omnia ex eo oriantur, idque habent ab Homero, qui Il. XXI, 195: μέγα σθένος Ὠκεανοῖο, ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα.

6. *Te potant nubes.* Sic explicare malo compendium scripturæ in codice *Teptant*, quam, quomodo Burmannus voluit, *Te penetrant.* Non enim penetrant nubes Oceanum, sed bibere vel potare dicuntur, h. e. haurire et attrahere inde aquas, et in imbres vertere. Virgil. Georg. I, 380: «et bibit ingens Arcus»; quod latius exponit Lucan. IV, 79: «Hinc imperfecto complectitur aera gyro Arcus, vix ulla variatus luce colorem, Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus Pertulit, et cælo diffusum reddidit æquor».

7. *Cyaneoque*, cæruleo. In Catonis Dir. v. 40, *cyaneus æther.*

8. *Immenso cingere.* Ita lego cum Burmanno, quod in scripto est, *in msa*, quamquam hoc nondum satis placet, et versus adhuc in mendo jacere videtur.

9. *Tu fessos Phœbi reficis si gurgite.* In codice S. Germani erat *Tu fesso ... si gurg.* pro quo Heinsius emendavit *Tu fessos Phœbi reficis in gurgite.* Sed retinendum *si gurgite* jubent sequentia, *si mare, si terras.* Similiter Ovidius, Met. IV, 632: «pontus, qui Solis anhelis Æquora subdit equis et fessos excipit axes».

10. *Alimenta ministras.* Credebant veteres physici solis atque siderum ignes aquis et humoribus terræ pasci, idque inprimis adoptant poetæ. Lucanus, I, 415: «Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, Erigat Oceanum». Idem, X, 258: Nec non Oceano pasci Phœbumque polumque Credimus: hunc, calidi tetigit quum brachia Cancri, Sol rapit».

15. *Committere ponto Hanc animam.* Phrasin ex notis poetarum locis petiit. Horat. Carm. I, 3, 11: «Qui fragilem truci Commisit pelago ratem». Juvenal. XII, 57: «I nunc et ventis animam committe, dolato Confisus ligno, digitis a morte remotus Quatuor».

16. *Transire fretum.* Sic, cum Burmanno, reposui ex scripto codicis *transire ferete:* e quibus vestigiis tamen adhuc copula excitanda videtur, *fretum, et discurrere.* Corrigere auderem *discurrere cursus*, nisi *jussa*

Digitized by Google

Æquoris horrisoni, *sortis* fera jussa jubebunt :
Tende favens glaucum per lævia dorsa profundum ;
Ac tantum tremulo crispentur cærula motu,
Quantum vela ferant, quantum sinat otia remis :
Sint fluctus, celerem valeant qui pellere puppem,
Quos numerare libens possim, quos cernere lætus :
Servet inoffensam laterum pars linea libram :

jubebunt sequeretur, et utrumque ab affectata elegantia hujus poetæ esse videretur.

17. *Sortis fera jussa.* Sic Burmannus emendat lectionem ambiguam. MSS *sortem fera.*

18. *Tende favens glaucum*, id est, extende, planum fac, placa tumidum profundum. Alii poetæ *sternere æquor* dicunt. Virg. Æneid. V, 820 : « Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti Sternitur æquor aquis ». Statius, Silv. III, 2, init. « Di, quibus audaces amor est servare carinas, Sternite molle fretum ». — *Per lævia dorsa*, per summa æquora, ut habet Virgil. l. c. ita ut plana sit maris superficies. Græci poetæ dicunt τὰ εὐρέα νῶτα θαλάσσης· et Statius, Theb. V, 369, « dorsum æquoris » similiter.

19. *Tremulo crispentur cærula motu :* vibrentur et leniter fluctuent. Ausonius in Mos. 63 : « Quod sulcata levi crispatur arena meatu ». Dracontius in Hexaemero : « Murmure quod venti flantes vaga marmora crispant ».

20. *Quantum vela ferant*, id est, quantum capere et sustinere vela sine periculo possint. Fateor tamen, melius legi *Quantum vela ferat*, hoc est, quantum satis sit, ad vela implenda et impellenda. — *Quantum sinat otia remis*, i. e. quantum sufficiat, ut remis uti non necesse sit.

22. *Quos numerare libens possim*, h. e. qui fluctus tam lenes sint, ut eos sine metu adspicere per otium, et libens numerare possim, quum alias in tempestate fluctus decumani metuantur. Ovid. Trist. I, 2, 49 : «Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes, Posterior nono est, undecimoque prior ». — Rectius tamen hoc explicari arbitror de fluctibus, qui tam lente, parce, placideque volvuntur, ut facile numerari per moram possint. Nam ubi tempestate concitantur, alii ab aliis supervenientibus obruuntur, opprimuntur, ut numerari nequeant. Inde proverbium : *fluctus numerare*, i. e. rem inutilem et vanam tentare frustra. Quod graves fluctus vocantur *decumani*, non id a numerando est, sed quod omnia gravia, magna et perfecta vocantur *decumana*. Ed.

23. *Laterum pars linea libram. Pars linea* quid sit, nisi in mendo est, vix aliter possum intelligere, quam de velo navis, ut sensus sit : Vela et rudentes navem tam æquali tenore et pari libra, i. e. altitudine laterum provehant, ut nunquam inclinet, et latus det undis, ut loquitur Virg. Æn. I, 105. — *Libra laterum* navis ita dici videtur, ut quum poetæ dicunt aves *librari pennis in auras*, i. e. æquali agitatione

Digitized by Google

Te sulcante viam rostro submurmuret unda.
Da, pater, ut tute liceat transmittere cursum;
Perfer ad optatos securo in litore portus
Me, comitesque meos; quod quum promiseris esse,
Reddam, quas potero, pleno pro munere grates.

alarum sustineri atque promoveri. Videatur Virg. Georg. IV, 196, et Claudiani Epithal. Palladii et Cel. v. 16. Contrarium est in illo Ovidii Fast. III, 585: « Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura ».

24. *Te sulcante.* Lego *Et sulcante.* Neque enim video, quomodo *Te* hic locum habere possit.—An forte legendum *pulsante.* Nam *pulsare* et *sulcare* sæpe permutantur, quamquam *sulcare* poetis frequentius. Ovid. ex Pont. II, 10, 33: « Seu rate cæruleas picta sulcavimus undas ». Sic ipse Charon « umbriferæ sulcator pallidus undæ » Statio, Theb. VIII, 18, et « pigri sulcator Averni », XI, 588. Commode vero *rostrum sulcare viam* dicitur, ut recte *undas, mare, aquas sulcari* passim occurrit. Ed. — *Submurmuret unda*, ut Rutil. Itin. II, 14: « Et sulcata levi murmurat unda sono ».

25 et 26. *Liceant* et *portas* vitiose in MS.

27. *Quod quum promiseris esse.* Burmanno legendum videtur *quod quum permiseris, ipse Reddam, quas potero.* Ego vero manere posse arbitror *promiseris esse*, h. e. promiseris, ita futurum esse, vel *permiseris* ita esse.

Digitized by Google

VIII.

REPOSIANI

CONCUBITUS MARTIS ET VENERIS.

Discite securos non unquam credere amores:
Ipsa Venus, cui flamma potens, cui militat ardor,
Quæ tuto posset custode Cupidine amare,
Quæ docet et fraudes, et amorum furta tuetur,
Nec sibi securas valuit præbere latebras.
Improbe, dure puer, crudelis crimine matris,
Pompam ducis Amor, nullo satiate triumpho:
Quod conversa Jovis lætaris fulmina semper,

1. *Discite securos.* Sic sæpe proclamant poetæ, ubi attentos facere lectores ad præceptum vel monitum volunt. Virg. Æn. VI, 620: « Discite justitiam moniti, et non temnere Divos ». Ovid. Art. Am. III, 455: « Discite ab alterius vestris timuisse querelis ». Idem Medic. fac. init. « Discite, quæ faciem commendet cura, puellæ ». Male Leid. cod. *securus*, et v. 5 *secura*. Vitiose Burmannus hic *nonnunquam* edidit. Legendum est sane *non unquam*.

6. *Improbe, dure puer, crudelis crimine matris.* Videtur respexisse Virg. Ecl. VIII, 50: « Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater »; et Æn. IV, 412: « Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis ».—Virg. in Ciri, v. 133: « Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem Jupiter, etc. » Ed.

7. *Pompam ducis Amor*, i. e. longa series est eorum, quos vicisti, et quasi captivos in pompa triumphi tui ducis. Sic in triumpho Amoris describendo Ovidius, Am. I, 2, 27: « Ducentur juvenes capti, captæque puellæ: Hæc tibi magnificus pompa triumphus erit ».

8. *Quod conversa.* Burmannus conjicit *Quid conversa.* Mihi tamen utraque e lectione versus obscurus videtur. Forte hic sensus est: Quoniam tu lætaris, gloriaris, tantum

Digitized by Google

Ut mage flammantes possit laudare sagittas;
Junge, puer, teretes Veneris Martisque catenas,
Gestet amans Mavors titulos, et vincula portet
Captivus, quem bella timent; utque ipse veharis,
Jam roseis fera colla jugis submittat amator.
Post vulnus, post bella, potens Gradivus anhelat
In castris modo tiro tuis; semperque timendus
Te timet, et sequitur, qua ducunt vincla mariti.
Ite, precor, Musæ; dum Mars, dum blanda Cythere
Imis ducta trahunt suspiria crebra medullis,
Dumque intermixti captatur spiritus oris,

te semper valuisse in ipsum Jovem, ut fulminum suorum oblitus in aureum imbrem, cygnum, aliasve formas converteretur, nunc quo magis ardentium sagittarum tuarum vim probes, junge etiam nexas matri tuæ et Marti catenas. Cæterum per *conversa Jovis fulmina* respexisse auctor videtur, quod apud Virg. Æn. I, 665, Venus mater de Amore ait: « Nate, patris summi qui tela Typhoea temnis ». Et apposite Sabinus Epist. III Paridis de Amore, vs. 35: « Imperat ille Deis: quum vult in cornua tauri; Quum vult, in pennas destruit ille Jovem ». Sed fere malim *conversa fulmina* interpretari aversa, detorta, excussa, fracta.

11. *Gestet amans Mavors titulos*, nempe titulos servitutis et captivitatis indices. Respicit ad eum morem, quo captivi proscripti et servi venales titulos, id est, tabellas habebant appensas, quibus servi pretium, ætas, patria, artes, item vitia, si qua essent, inscripta erant. Quod inprimis ex loco Propertii perspicitur, lib. IV, 5, 51: « Aut quorum titulus per barbara colla pependit, Cretati medio quum saliere foro ». Plinius inscriptionem vocat, lib. V, epist. 19, de liberto quodam suo loquens: « Est homo probus, officiosus, literatus; et ars quidem ejus, et quasi inscriptio, Comœdus, in qua plurimum facit ». Plura ea de re legi possunt apud Brouckhusium ad Propert. l. c. Heynium, V. C. ad Tibull. II, 3, 60; Juglerum, V. C. de nundin. serv. cap. 5, pag. 50.

12. *Utque ipse veharis*, tamquam in curru triumphator.

14. *Gradivus anhelat*, i. e. fractus laborat et suspirat. Virg. Æn. X, 837: « Ipse æger, anhelans Colla fovet ».

16. *Qua ducunt*: sic lege ex Salmas. et Divion. schedis: *dicunt* in Leid. *vincla marita* Oudendorpius. Burm.

18. *Suspiria crebra medullis*. Similiter apud Claudianum, de nupt. Hon. 7: « quam sæpe medullis Erupit gemitus ».

19. *Dumque intermixti captatur*. Junctis et mutuis osculis amantes dicuntur spiritum invicem captare, ducere, vel animas transfundere,

Digitized by Google

Carmine doctiloquo Vulcani vincla parate,
Quæ Martem nectant, Veneris nec brachia lædant,
Inter divitias roseo prope livida serto.
Namque ferunt Paphien Vulcani et Martis amorem
Inter adulterium vel justi jura mariti
Indice sub Phœbo captam gessisse catenas.
Illa manus duros nexus tulit, illa mariti
Ferrea vincla sui : quæ vis fuit ista doloris!
An fortem faciebat Amor? quid, sæve, laboras?

miscere. Propert. I, 13, 17 : « Et cupere optatis animam deponere labris », ubi miror a nemine doctorum animadversum esse, hic multo rectius legi *aptatis*, pro *optatis*; Broukhusius tamen observat, Propertium in animo habuisse versiculos Platonis, quos et Noster respexisse videtur, apud Gellium, lib. XIX, cap. 2 : « dum semihiulco suavio Meum puellum suavior; Dulcemque florem spiritus Duco ex aperto tramite ». Sed et Petronius, cap. 79 : « hæsimus calentes, Et transfudimus hinc et hinc labellis Errantes animas ». Idem, cap. 132 : « Jam alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam feceraut ».

22. *Inter divitias roseo prope livida serto*, h. e. quæ lædi et prope livescere solent, quando mediis in lautitiis et deliciis serto roseo ea vinxit : tam tenera et delicata sunt. Sic Amori etiam serto roseo a Venere pulsato sanguis expressus dicitur in Ausonii Cupid. cruc. adf. v. 88. Pro *divitias* Burmannus conjicit *delicias*, per easque videtur voluptates et lusus Venereos intelligere, quemadmodum infra Noster v. 47 : « substramina flores, Deliciis Veneris dives natura laborat », et Maximianus utrumque jungit Eleg. V, 88 : « festorum cultrix operosa dierum, Quondam divitiæ deliciæque meæ ». Sed tamen vocabulum *divitias* satis bene hic quadrat, quo omnis lautitia, luxuria, affluentia rerum jucundarum intelligitur, quibus et alitur amor, et, qui utuntur, molles delicatique fiunt. Ovid. Remed. 746 : « Divitiis alitur luxuriosus amor ».

23. *Namque ferunt Paphien. Paphiæ* nomen pro Venere, quod Noster sæpius usurpat, nusquam extare in Antiquis, saltem in morem novissime inductum esse putat Franc. Vavassor, de vi et usu quorumdam verborum, v. *Cypris*. At occurrit in Epitaphio Homonœæ, v. 5, cujus antiquitas negari nequit. — Occurrit etiam in Lucilii Ætna, vs. 589, atque illud melioris etiam ævi scriptores tueri docet Schraderus, Observ. lib. I, cap. 2, p. 13. Ed.—*Cypridis* vocabulo, quod idem Noster habet v. 79, sequiores tantum Latini videntur usi, ut Pervig. Ven. v. 23; Ausonius, epigr. 57, et Maximianus, Eleg. I, vs. 92. — *Vulcani et Martis amorem*. Libenter adsentior emendationi Oudendorpii, quam profert Burmannus : « Vulcani et Martis amorem

Digitized by Google

Cur nodos Veneris Cyclopea flamma paravit?
De roseis connecte manus, Vulcane, catenis,
Nec tu deinde liges, sed blandus vincla Cupido,
Ne palmas duro nodus modo vulnere lædat.
Lucus erat Marti gratus, post vulnera Adonis
Pictus amore Deæ; si Phœbi lumina desint,

Inter, adulterio vel justi jure mariti, etc. »

29. *Cyclopea flamma.* Quamquam sic omnes schedæ scribunt, Burmannus tamen rectius putat *Cyclopia*, tertia correpta, quæ in *Cyclopea* producitur: quomodo et Heinsius observavit ad Virgilium, Æn. I, 205.

31. *Sed blandus vincla Cupido.* Burmannus conjicit *det blandus*, quod non improbo.

32. *Ne palmas duro nodus.* Sic Salm. codex et schedæ Divion. in quarum margine *commodus*: in Leidensi cod. *commodus vulnere lædat*, sed in margine emendatum, *Ne palmas duro commotus vulnere lædat.* Oudendorpius volebat *diro cum nodis vulnere lædat*, id est, ne quando nodet eas, vulnere lædat, sive vulnera simul cum nodis infligat; vel *connodans*, quæ vox apud Prosperum Aquit. et similis temporis scriptores huic poetæ non valde dispares occurrit. Burm.

33. *Post vulnera Adonis.* Sic legendum ex Salmas. et Divion. Vitiose in Leid. cod. *post vulnera donis*; et *se Phœbi* v. 34. *Adonis* pro *Adonidis* perperam dici monuit Vossius, lib. II de Analogia, cap. 9: tamen ita apud Plinium, lib. XIX, cap. 4: « Hortos regum Adonis et Alcinoi »; et *Adoni* in Inscript. apud Murat. t. IV, p. 2099, etc. Burm.

34. *Pictus amore Deæ.* Sic edidit Burmannus, nec quidquam adnotavit. Nisi operæ erraverint, corrupta videtur dictio, quam vix admittere possis. Ego suaserim legendum *Lectus* vel *Dictus amore Deæ*, hoc est, addictus, dicatus. Nempe Venus, quæ post vulnera Adonidis, vel amissum in luco Adonidem, alios lucos aversari cœperat, hunc tamen præ cæteris amabat, sibique legerat vel dicaverat ad amores suos exercendos. Sic in epigrammate Petronii, cap. 132, et in Scalig. Catalect. pag. 208, Nic. Heinsius legebat: « Ipse pater Veneri dictis Epicurus in hortis Lusit, et hanc vitam dixit habere Deos », uti emendatum ab eo esse in notis ineditis ad Cirin, v. 84, testatur Burm. sec. Anthol. t. I, pag. 682. Idem Heinsius in epigrammate *de navigatione* inscripto, quod ego infra inter testimonia de Epitome Iliados Homeri proferam, corrigebat: « Hic statio est tacitis dicta Cupidinibus ». Vid. Burm. Anthol. t. I, pag. 502. Sic *Vulcano condicta domus* adfuit in Gratio, v. 433; et Ovid. Fast. III, 205: « Conveniunt nuptæ dictam Junonis ad ædem ». Vid. etiam not. ad Calpurn. XI, 8. Possis fortasse facilius hic legere *Dignus amore Deæ*, nisi statim idem diceret auctor: « dignus quem Cypris amaret »; et vs. 44, « Dignus amore locus », quod iisdem plane verbis in epigrammate Petronii,

Digitized by Google

Tutus adulterio, dignus quem Cypris amaret,
Quem Byblos coleret, dignus quem Gratia servet.
Vilia non illo surgebant gramina luco;
Pingunt purpureos candentia lilia flores;
Ornat terra nemus, nunc* locos vitis inumbrat,
Nunc laurus, nunc myrtus (habent sua munera lauri):
Namque hic per frondes redolentia lilia pendent,
Hic rosa cum violis, hic omnis gratia florum,
Hic inter violas coma mollis læta hyacinthi.
Dignus amore locus, cui tot sunt munera rerum,
Non tamen in lucis aurum, non purpura fulget,
Flos lectus, flos vincla toris, substramina flores:

cap. 131, descriptionem loci amœni continente, legitur.

35. *Tutus adulterio.* Sic lucum amœnum, densum umbris et aquis irriguum, quasi similem huic Veneris, describit Regianus in epigr. Anthol. lib. III, 53: « Bellipotens Mavors, Veneri gratissime, furtum. Hic securus ama, locus hic amplexibus aptus: Vulcanus prohibetur aquis, Sol pellitur umbra ».

36. *Quem Byblos coleret, dignus quem.* Vitiose in Divion. *dignum.* In Leid. cod. *Quem Biblos colerit dignusque gratia servit.* Intelligit Byblon urbem Syriæ, Adonidi sacram, ubi templum Bybliæ Veneris erat, et Adonidis orgia peragebantur. De qua vide Lucian. de Dea Syria, § 6, et Strab. lib. XVI, pag. 755. Burm. Videtur poeta lucum Veneris, quem hic describit, Byblo urbi vicinum facere, quod etiam significat versus 66.

39. *Nunc locos vitis inumbrat.* Sic Salmas. et Divion. *locus* in Leid. Quid si *nunc lucos vitis*, vel *nunc lotos mitis inumbrat.* Burm. *Lotos mitis* facile prætulerim, nisi in *locos* peccatum ab ipso poeta esse, qui alias syllabarum mensuram negligit, existimare velis.

40. *Habent sua munera lauri.* Quamvis Oudendorpius et Burmannus aliter distinguere hæc verba, et *munera* mutare in *numina* voluerint, ego tamen planum locum, et nihil in eo mutandum esse censeo. Sensus est: Præter frondes suas lauri habent singularia munera, quia ex lauris insuper lilia pendent.

41. *Redolentia lilia.* Sic Salmas. et Leidens. cod. In Divionensi *languentia lilia.*

46. *Substramina flores.* Leidens. codex *sub tramina*, et in marg. *sub gramine*, male; infra, v. 53: Tu lectum consterne rosis, tu serta parato ». Sed forte distinctione et levi emendatione adjuvandi hi versus: « Flos lectis dat vincla, toris substramina flores, Deliciis Veneris dives natura laborat ». Cl. Oudendorpius conjiciebat, « Flos lectos, flos vincla, toris substramina flores Deliciis Veneris dives natura laborat ». Burm. Mihi satis commoda et clara lectio videtur, quæ edita est,

Digitized by Google

Deliciis Veneris dives natura laborat.
Texerat hic liquidos fontes, non vilis arundo,
Sed qua sæva puer componat tela Cupido:
Hunc solum Paphie, puto, lucum fecit amori,
Hic Martem exspectare solet: quid Gratia cessit?
Quid Charites? quo, sæve puer, non licia nectis?

modo post *lectus* incisio ponatur. Sic apud Claudian. in Epithal. Pall. et Celer. v. 4, Venus dicitur somnum capere *Acclinis florum cumulo.*

47. *Natura laborat*, i. e. operam dat, ut deliciis Veneris suas opes ministret. Sic et alii poetæ finguut Diis accumbentibus, inprimisque Veneri, terram flores substernere. Cato in Diris, v. 170: « Purpureos flores quoties super accumbebat ». Lucretius, I, 7, de Venere: « tibi suaves dædala tellus Submittit flores, tibi rident æquora ponti ». Sic in Petron. cap. 127 dicitur: « Idæo quales fudit de vertice flores Terra parens, quum se confesso vinxit amori Jupiter ». Talia vero habent poetæ ab Homero Iliad. XIV, 346, ubi Jovi concumbenti dicitur Tellus loton et crocum et hyacinthum submisisse.

49. *Sed qua sæva puer.* Ex arundine fontem tegente, qui lucum Veneris percurrit, fingit poeta Cupidinem suas sagittas conficere. Ingeniosius hoc commentum exsequitur Claudianus, in nemore Veneris Cyprio describendo, de Nupt. Hon. v. 69: « Labuntur gemini fontes: hic dulcis, amarus Alter, et infusis corrumpunt mella venenis, Unde Cupidineas armavit fama sagittas ».

50. *Hunc solum, Paphie, puto lucum.* Perperam in Leid. MS *luerum.* Cæterum aliter, ac necesse erat, hunc versum accepit Oudendorpius, memorante Burmanno, qui ita divinavit: « Hunc solitum Paphie præfectum fecit Amori »; vel « Hunc solum Paphie luco præfecit Amorum ». Traxit nempe ad Cupidinem, qui præcessit, ut ille solus Amorum luci Venerei præses dicatur. Sed certum est, de luco sermonem esse, quem Venus amoris deliciis exercendis aptum fecit, et sibi paravit: quod sequentia confirmant. Et versu 64 diserte: « His igitur lucis Paphie ».

51. *Hic*, nempe hoc in luco, Martem exspectare solet.—*Quid Gratia cessit?* Recte hic Burmannus corrigit *Quid Gratia cessas?* vel *cessat.* Nempe nunc ex persona Veneris jubentis et præparantis se memorat poeta, quomodo, vel quo apparatu, Martem exspectet Venus, dum Gratias vel Charites ad ministeria vocat, quomodo et Claudianus facit, de Nupt. Hon. v. 100 seqq.

52. *Quo, sæve puer, non licia nectis?* i. e. cur non licia nectis? vel quo tua sedulitas abiit, quod non licia nectis? nempe sertis et floribus colligandis: quomodo Virgil. Æn. II, 373: « quæ tam sera moratur Segnities? » Forte et propterea liciorum mentio, quod eorum vis quædam ad amores conciliandos, et animos devinciendos, in re magica, existimatur, ut e Pharmaceutria Virgilii confirmari facile potest, Ecl. VIII, 73; ubi vid. adnot. nostra. Ed.

Digitized by Google

Tu, lectum consterne rosis; tu, serta parato,
Et roseis crinem nodis subnecte decenter.
Hæc modo purpureum decerpens pollice florem,
Quum *diligatum* suspiria ducat odorem,
Ast tibi blanda manus*...sub pectore condat.
Tunc, ne purpurei lædat te spina roseti,
Destrictis teneras foliis constringe papillas:
Sic decet in Veneris luco gaudere puellas.
Ut tamen inlæsos Paphiæ servetis amores,
Vincula sic mixtis caute constringite ramis,
Ne diffusa ferat per frondes lumina Titan.
His igitur lucis Paphie, dum prælia Mavors

53. *Tu*, una Gratiarum, *lectum consterne rosis; tu*, altera Charitum, *serta parato.*

54. *Et roseis crinem*, i. e. serto ex rosis facto crinem subliga. Videatur versus 72. Etiam apud Claudianum l. c. una Gratiarum Veneris crinem comit et nectit. Pro *nodis* male *notis* in cod. Leid.

56. *Ducat odorem.* In Divionens. mendose *ad orem.* Versum hunc corruptum et fere desperatum Oudendorpius et Burmannus varia emendatione tentarunt, quæ mihi nec vestigiis literarum satis inhærere, nec sensum idoneum efficere videtur. Ergo nihil convenientius ad sensum reperio, quam ut legamus, « Quum legit gratum, suspiria ducat, odorem », h. e. ubi gratum et delicatum aliquem odorem reperit, legerit, cum suspirio ducto, vel sternutatione, indicet. Possis etiam cum vitio metri, in tali poeta facile ferendo, legere : « Quum delicato suspiria ducat odore ». Tale est, quod in Pervig. Ven. v. 79 dicitur : « Ipsa florum delicatis educavit osculis ».

57. *Ast tibi*, scil. Veneri : hic malim *Ac tibi.* — *Blanda manus* Gratiæ : lacunam, quæ post *manus* est, Oudendorpius supplebat *penito sub pectore*, vel *matris sub pectore.* Ego commodissime legi puto *tenero* vel *nudo sub pectore condat*, i. e. subliget vel appendat, ad odorem inde capiendum.

58. *Tunc, ne purpurei.* In Leid. cod. *tunc purporei*, et superscriptum *hinc.* Lege *Hinc, ne purpurei.* Burm. *Rosetum* sequioris ætatis poetis poni pro rosa decerpta solet, ut in Epithalamio Laurentii, quod infra dabimus, v. 33 : « Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis ».

59. *Destrictis* edidit Burmannus, et in Salmas. *de strictis*, quia et supra, v. 30, sic loquebatur auctor : « De roseis connecte manus, Vulcane, catenis ».

62. *Vincula sic mixtis.* Arbores quasi vinculis constringite, ramis inter se mixtis et arcte complicatis. Lucilius in Ætna, v. 361, dicebat « brachia silvarum nodo implicita ». Hinc et Venus in Perv. v. 6, « Implicat casas virentes de flagello myrteo ».

Digitized by Google

Horrida, dum populos diro terrore fatigat,
Ludebat teneris Bybli permixta puellis:
Nunc varios cantu Divum referebat amores,
Inque modum vocis nunc motus forte decentes
Corpora læta dabat; nunc miscens denique plantas,
Nunc alterna movens suspenso pollice crura,
Molliter inflexo subnitens poplite sidit.
Sæpe comam pulchro collectam flore ligabat,
Ornans ambrosios divino pectine crines.
Dum ludos sic blanda Venus, dum gaudia miscet,
Et dum suspenso solatia quærit amori,
Dum flet, quod sero venit sibi grata voluptas;

65. *Populos diro terrore fatigat.* In schedis Salmas. *duro*. Tentabat Oudendorpius *duro temone*, conjectura blandienti, ut intelligatur currus, quem agitat Mars; sed alterum tamen præferebat. Burm. *Terrore fatigat*, i. e. vehementer commovet et turbat: ut de Fama Val. Flacc. II, 120: « terrasque fatigat, Qua datur: audentem primi spernuntque, foventque: Mox omnes agit, et motis quatit oppida linguis ».

65. *Nunc varios cantu.* Aperta imitatio Virgilii, Georg. IV, 347: « Inter quas curam Clymene narrabat inanem Vulcani, Martisque dolos, et dulcia furta, Aque Chao densos Divum numerabat amores ».

68. *Inque modum vocis* exponamus, ad vocis modos et numeros dedisse motus seu gesticulationes corpore: ut apud Apul. lib. X, p. 235, Venus dicitur « ad cantus Lydios delicatis respondere gestibus »; ubi male *gressibus* reponebat Pricæus; et lib. VI, p. 125: « Venus suavi musicæ suppâri gressu formosa saltavit »; ut legendum admonuit cl. Oudend. vel cum Heinsio *gestu*. Sic et Tibull. I, 8, 38: « Ille liquor docuit voces inflectere cantu, Movit et ad certos nescia membra modos ». Burm.

69. *Corpora læta dabat.* Corrigendum levi mutatione, « nunc motus forte decentes Corpore læta dabat ».

70. *Suspenso pollice*, suspensis digitis pedum; ut Maximianus, Eleg. V, 25: « Quid referam gressus certa se lege moventes, Suspensosque novis passibus ire pedes ». Et Ovid. Fast. I, 425, « vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu ». — Jac. Henr. Hoeuftius in Peric. Crit. p. 369, mavult legere *suspensa in pollice*, idque eodem Ovidii loco probare studet. Ed.

73. *Ornans ambrosios.* Sic apud Claud. de Nupt. Hon. v. 101, Venus ornatur a Gratiis: « Largos hæc nectaris imbres Irrigat: hæc morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat ».

76. *Dum flet, quod sero*: corrupte in Leid. codice, *Dum flet, quod sera venit sibi gratula voluptas*. Cl. Oudendorpius censebat hunc versum ante præcedentem ponendum, ac legendum esse: « Et deflet, quod

Digitized by Google

Ecce furens post bella Deus, post prælia victor,
Victus amore redit: cur gestas ferrea tela?
Ne metuat Cypris, comptum decet ire rosetis.
Ah! quotiens Paphie, vultum mentita furentis,
Lumine converso serum incusavit amantem!
Verbera sæpe dolens mentita est dulcia serto,
Aut ut forte magis succenso Marte placeret,
Admovit teneris suspendens oscula labris,
Nec totum effundens, medio blanditur amore.
Decidit, aut posita est devictis lancea palmis,

sera venit sibi grata voluptas »; ut apud Ovidium, Art. Am. III, 751: « Sera veni; positaque decens incede lucerna. Grata mora est Veneri: maxima lena mora est ». Burm.

78. *Victor Victus amore redit.* Divionens. et Leid. codex *venit* pro *redit*, male: forte hic imitatur Ovidium, Epist. IX, 25, de Hercule: « Quem non mille feræ, quem non Stheneleius hostis, Non potuit Juno vincere, vicit Amor ». Seneca, Hercul. Œt. 753: « qui domuit feras Mille, ille victor vincitur », ut emendat Heins. lib. III, Advers. 2: quem etiam vide ad Ovid. Epist. XX, 70: modum loquendi elegantem illustravit Huetius ad Manil. IV, 30, et Lindenbr. ad Elegiam de Spe, vs. 22. Plura hujus ὀξυμώρου exempla occurrunt in utraque Elegia de Mævio milite; quas vide. Burm. Similiter de Marte Ovidius, Art. Am. II, 564: « De duce terribili factus amator erat ».

79. *Comptum decet ire rosetis*, i. e. rosis in sertum nexis, ut v. 54 et 72. — Gratam hanc imaginem Martis *post bella* exarmati et *compti rosetis* egregie delineatam pictamque Bruxellis, nuper Lutetiæ miranti palam exposuit illustr. ille David, annos LXXVI natus, qui scholam gallicam per picturas inanes putidasque aberrantem juvenis ad genuinam naturæ normam præceptis exemplisque revocavit; quique vir et senex non unum artis suæ fudit miraculum. O utinam pictor tantum! Ed.

80. *Vultum mentita furentis.* Cod. Leid. *vultu*, forte pro *vultum furentem*; vel *vultu mentita furentem*: quod verum puto, et probabat cel. Oudendorpius. Non enim mentiebatur vultum, sed vultu simulabat se furere. In Salmas. et Divionens. schedis ita legebatur, ut ego edidi.

82. *Mentita est dulcia*, simulavit se dare verbera. Recte tamen *minitata est* conjecit Higtius, notante Burmanno in Mantissa. *Serto* roseo etiam verberat Venus Cupidinem in Ausonii Cupid. cruc. v. 88.

84. *Suspendens oscula*, retinens et trahens, et extremis tantum labris leviter conserens.

85. *Medio blanditur amore*, h. e. interim, donec totum effundat amorem, moderate blanditur, modicas interponit blanditias.—*Medius amor*, qui quasi medium servat inter inchoatum et plenum. Fortasse legendum *modico blanditur amore*.

86. *Decidit; aut posita est:* nempe

Digitized by Google

Et dum forte cadit, myrto retinente pependit.
Ensem tolle, puer, galeam tu, Gratia, solve,
Hæc laxet nodos, hæc vincula ferrea rumpat;
Solvite Bybliades præduri pectora Martis,
Loricæque moras; vos scuta et tela tenete,
Nunc violas tractare decet: lætare, Cupido,
Terribilem Divum tuo solo numine victum:
Pro telis flores, pro scutis myrtea serta,
Et rosa, forte nocet gladius, quem jura tremiscunt.

magna miratione aut blanditiis Veneris perculso; quomodo de eodem Marte Tibullus, IV, 2, 3: « at tu, violente, caveto Ne tibi miranti turpiter arma cadant ». Sic Propertius, I, 4, 22: « Obstupuit regis facie et regalibus armis: Interque oblitas excidit urna manus ». Ovid. Her. XVI, 251: « Dum stupeo visis, nam pocula forte tenebam, Tortilis e digitis excidit ansa meis ». — Sic et poetæ graviore affectu commotis hominibus dicere solent vestes prolabi, et quæ manibus tenent excidere. Vid. quæ disserit doct. *Mitscherlich* in Lectt. in Catull. et Propert. pag. 60. Ed.

89. *Vincula ferrea rumpat. Templet* Leid. cod. et in margine Divionens. Burm. E scriptura cod. Leid. forte ponendum *tentet*, scilicet rumpere, avellere: ut scribit Ovidius, Met. lib. II, 358: « truncis avellere corpora tentat ».

91. *Loricæque moras. Moræ* sunt poetis quælibet munimina, quæ morantur, sustinent, arcent telum, hostem. Virg. Æn. X, 485: « Loricæque moras et pectus perforat ingens ». Idem, lib. IX, 143, « fossarum moras » dicit.

93. *Tuo solo numine victum*: forte, *lætare Cupido, Terribilem Divum tu solo numine vincis*, ne ad monosyllabum *tuo* confugere necesse sit, ut alias in Anthol. lib. I, epigr. 62, ubi id melius locum habere ex notatis apparet: ut et *suum* et *tuum* in vetustioris ætatis carminibus. Burm.

94. *Pro scutis*. Div. Leid. *pro scuto*.

95. *Forte nocet gladius, quem jura tremiscunt*. Sic Salmas. et Divionenses schedæ; at in codice Leidensi, « Et rosa forte nocet, gladii quem jura tremescunt », quod proxime ad verum, si legamus cum cel. Oudendorpio, « Et rosa forte nocet, gladii quem jure tremiscunt ». Rosa nocet Marti, quem jure timent gladii et bellatores armati. Sic *gladii* pro viris armatis, militibus, apud Cicer. IV ad Famil. ep. 2: « magna gladiorum est licentia ». — *Tremiscere* active, ut infra versu 136; et apud Virg. Æn. VIII, 296: « Te Stygii tremuere lacus »; et lib. XI, 403: « Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt ». Burm. Postea Oudendorpius hæc aliter constituebat, ut refert Burmannus in Mantissa ad Anthol. « pro scutis myrtea serta Ferre doces, jacet et gladius, quem jure tremiscis ». *Jacet gladius*, ut de Hercule in gynæceo Omphales auctor epicedii in obit. Mæc. v. 79: « Clava torosa tibi pa-

Digitized by Google

Iverat ad lectum Mavors, et pondere duro
Floribus incumbens, totum turbarat honorem :
Ibat pulchra Venus, vix presso pollice cauta,
Florea ne teneras violarent spicula plantas;
Et nunc innectens, ne rumpant vincula, crinem,
Nunc vestes fluitare sinu, vix laxa retentat,
Quum nec tota latet, nec tota enudat amorem.
Ille inter flores furti velamine tectus
Spectat hians Venerem, totoque ardore tremiscit.

riter cum pelle jacebat ». Ego vero tot tamque variis conjecturis hunc locum, qui non obscurus est, vix indigere arbitror. Venus ait, removendum esse gladium, quia forte nocet, adsint potius myrtea serta, et rosa. — In hoc recedit Noster a cæteris poetis qui alias dicunt Martem armatum in amplexu lædere Venerem. Stat. Thebaid. III, 292 : » hastam læva transsumit, et alto, Haud mora, desiluit curru, clypeoque receptam Lædit in amplexu » ; ubi verbum *Lædit* male reprehendit Barthius. Ed.

96. *Pondere duro.* Sic Salmas. et Leid. *pectore* in Divionens. ut supra v. 90. Burm. Sed hic *pondere* necessarium est. Ovid. Her. XV, 147 : » Agnovi pressas noti mihi cespitis herbas : De nostro curvum pondere gramen erat ».

97. *Totum turbarat honorem*, elegantiam et suavitatem lecti e floribus compositi. Vide supra not. ad Petronii Carm. IV, v. 5.

98. *Vix presso pollice cauta*, adeo delicata et cauta, ut vix pollicem pedis imprimere floribus auderet. Vide supra Petronii carmen IV, 9.

100. *Ne rumpant vincula. Rumpat* in Salmas. et Divionens. *ne rumpant oscula crinem* Leid. recte, id est, ne turbentur capilli inter osculandum.

101. *Nunc vestes fluitare sinu. Sinum* in Leidens. cod. pro quo legebat Oudendorpius, *Nunc vestes fluitare sinens*, i. e. modo sinebat vestes fluitare, sed vix laxa retentat et restringit vestes. Burm.—*Vix* conjungendum est cum *retentat*. Quæ *laxa* sunt vestis; vel laxatas vestis lacinias, *vix retentat*, negligenter habet, neque admodum curat restituere et retrahere. Emendationem *fluitare sinens* probo, ut respondeat antecedenti *innectens*. Profuerit tamen et sic legere : « Nunc vestis, fluitante sinu, vix laxa retentat ».

102. *Nec tota enudat amorem.* Sic legendum putat Burmannus pro *nudat*, quod in schedis erat, metro hiante. Et sic corrigebat Oudendorpius, vel *renudat*, ut apud Apuleium, Miles. I, p. 4 : « pube tenus renudata »; et cf. Met. II, p. 32. Ed.

103. *Furti velamine tectus.* Cum Salmasiano cod. conspirat Divionensis. *Furti volumine tectus*, in Leidensi. Oudendorpius malebat, « Ille inter flores, furti velamina, tectus ».

104. *Spectat hians Venerem.* Haud dubie observatus auctori Lucretius, qui lib. I, 37, de Marte in Veneris gremium rejecto : « Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus ».

Digitized by Google

Incubuit lectis Paphie : proh! sancte Cupido!
Quam blandas voces, quæ tunc ibi murmura fundunt?
Oscula permixtis quæ tunc fixere labellis?
Quam bene consertis hæserunt artibus artus?
Stringebat Paphiæ Mavors tunc pectore dextram,
Et collo innexam ne lædant pondera lævam,
Lilia cum roseis supponit candida sertis:
Sæpe levi cruris tactu permovit amantem
In flammas, quas Diva movet : jam languida fessos
Forte quies Martis tandem compresserat artus;
Non tamen omnis amor, non omnis pectore cessit
Flamma Dei, trahit in medio suspiria somno,
Et Venerem totis pulmonibus ardor anhelat.

105. *Proh! sancte Cupido!* ita Salm. et Divionens. in Leidensi *proscáe Cupido;* unde forte castigandum *proh! scæve Cupido!* vel *sæve,* ut vs. 28 et 52. Burm.

107. *Oscula permixtis.* Vid. not. ad vers. 19.

108. *Consertis hæserunt artibus.* Illud verbum de complexu Venereo frequens. Sic Tibull. I, 8, 26 et 36; Ovid. Her. II, 58, et alii *conserere* femur, sinus, pectora, latus dicunt.

109. *Stringebat Paphiæ Mavors,* etc. Hæc feliciter castigabat Oudendorpius : « Stringebat Paphiæ Mavors tunc pectora dextra, Et, collo innexæ ne lædant pondera lævæ, Lilia cum roseis, etc. » Burm.

112. *Sæpe levi cruris.* Burmannus legendum putat, « Sæpe levis cruris *vel* crurum tactus ». — *Permovit amantem In flammas,* quomodo Tibull. I, 8, 25 : « Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse Oscula ». Ovid. Am. III, 7, 41 : « Illius ad tactum Pylius juvenescere posse ». Et conf. Ovid. Am. I, 4, 43.

113. *In flammas, quas Diva movet :* ita scribendum firmat Ovid. Epist. Parid. XVI, 78, de Venere, « Hanc esse ut scires, unde movetur amor ». Burm.

114. *Compresserat artus.* Nescio an alius quis vetustiorum poetarum hac phrasi usus sit, quum alias laxari, resolvi membra somno dicantur. Potest tamen defendi inde, quod et opprimere, complecti, arcte tenere somnus dicitur : *arte* in Leidensi exstabat, scilic. pro *arcte. Pressum gravitate soporis* dicit Ovid. Met. XV, 21.

116. *Flamma Dei.* Lege cum Oudendorpio *Flamma Deæ,* quam nempe Martis ardor anhelat. Burm. — *In medio suspiria somno.* Sic Propert. I, 3, 27, de Cynthia dormiente : « Et quoties raro duxti suspiria motu, Obstupui vano credulus auspicio, Ne qua tibi insolitos portarent visa timores ».

117. *Pulmonibus ardor anhelat.* De alio ardore cecinit Ovidius, Met.

Digitized by Google

Ipsa Venus tunc tunc calidis suspensa venenis
Uritur ardescens, nec somnia parte quieta.
O quam blanda quies! o quam bene presserat artus
Nudus forte sopor! niveis suffulta lacertis
Colla nitent, pectus gemino quasi sidere turget.
Non omnis resupina jacet, sed corpore flexo
Molliter, et laterum qua se confinia jungunt,
Martem respiciens deponit lumina somno,
Sed gratiosa, decens, pro lucis forte Cupido

IX, 201: «Pulmonibus errat Ignis edax imis».

118. *Calidis suspensa venenis:* forte *succensa;* dein legebat clarus Oudendorpius, «Ipsa Venus tamen hinc calidis succensa venenis Uritur ardescens, nec somnia parta quiete», id est, licet ab opere quiescat, tamen non dormit. Burm. Hæc fortasse sic intelligenda: *nec somnia* ejus ex *parte quieta* sunt, sed turbida et æstum animi prodentia: qualia de se narrat Maximianus, Eleg. IV, 31: «Nec minus ipsa meas prodebant somnia curas, Somnia secreti non bene fida mei».

120. *O quam blanda quies!* Non bene hoc respondet superioribus, ubi Venus inquietum habuisse somnum dicitur.

121. *Nudus forte sopor:* lege *Nudos.* Burm. nisi *Nudus sopor* intelligendus, qui sine somniis est, qui *forte*, h. e. aliquando, eam oppressisse dicitur. — *Niveis suffulta lacertis*, ut ap. Prop. I, 3, 8, «visa mihi mollem spirare quietem Cynthia non certis nixa caput manibus».

122. *Gemino quasi sidere turget.* Hoc sane est incongruum: neque enim sidus turget, neque ab ullo poeta memini papillas sideribus comparatas, ut oculos. An forte scribendum *gemino quasi tubere turget?* ut hic papillæ gemino tuberi comparatæ idem sint, ac in carmine ad Lydiam *gemipomæ*, siquidem et *tubera* dicuntur poma Martiali, XIII, epigr. 50: quamquam et *tuberes*, aliud genus, poma arboris fuerunt, Romanis pergrata, ut e Sueton. Domit. c. 16 intelligere est.

123. *Non omnis resupina jacet.* Exprimere voluit, quam alii dicunt, *semisupinam;* quod duobus locis declarat Burmannus. Ovid. Am. I, 14, 20: «Sæpe etiam nondum digestis mane capillis Purpureo jacuit semisupina toro. Sic quoque erat neglecta decens; ut Threcia Bacche, Quum temere in viridi gramine lassa jacet». Et auctor epigrammatis de Arethusa in Catalectis Scaligeri, lib. I, p. 200: «Nunc collo molles circum diffusa lacertos, Et flectat niveum semisupina latus».

124. *Laterum qua se confinia jungunt.* Ovid. Art. I, 140: «Junge tuum lateri, quam potes, usque latus».

126. *Sed gratiosa, decens:* peccatum in metro, ut versu 56. — *Pro lucis forte Cupido:* hæc corrupta esse nemo non videt. Quid si, *proludens forte Cupido*, vel *pro ludis forte Cupido Martis tela regens;* vel *proludit* aut *præludit* cum Ou-

Digitized by Google

Martis tela regens, quæ postquam singula vidit,
Loricam, clypeum, gladium, galeæque minaces
Cristas, flore ligat; tunc hastæ pondera tentat,
Miraturque suis tantum licuisse sagittis.
Jam medium Phœbus radiis possederat orbem,
Jam tumidis calidus spatiis libraverat horas;

dendorpio, ante fores thalami nempe. Burm. Ego corrupta esse hæc vix existimarim; *pro lucis* significat ante lucum, quo Mars et Venus concumbebant, ut apud Sueton. Jul. cap. 78: « Patres conscriptos sedens pro æde Veneris Genitricis excepit ».—*Regens* participium, pro ipso tempore *regit*, vel *regebat* positum qui mos est Nostri; vid. v. 100 et 176.

127. *Quæ postquam singula...* In Salmas. Divionens. et Leidensi; sed *vidit* in margine additum: forte suppleri potest, *quæ postquam singula lustrat*, ut apud Virg. Æn. I, 443, « sub ingenti dum lustrat singula templo »; sive ut exprimit lib. VIII, 618: « Ille Deæ donis et tanto lætus honore, Expleri nequit, atque oculos per singula volvit ». Burm.

129. *Flore ligat.* Veneris, amoris, deliciarum signum et instrumentum flores, quibus adeo Martis arma ligantur a Cupidine, ut Martem nunc operam amori dare significet. Hinc idem fieri jussu Veneris in Nuptiis Honorii fingit Claudianus, v. 187: « Mavortia signa rubescunt Floribus, et subitis animantur frondibus hastæ ».

130. *Tantum licuisse sagittis.* Geminum huic est, quod auctor Elegiæ in obit. Mæc. v. 80 dicit, Amorem armis projectis Herculis, apud Omphalem versantis, per ludum pedibus insultasse.

132. *Jam tumidis calidus.* Sic correxi, quum in schedis legeretur, *Jam tumidis calidum spatiis libraverat horis.* Cl. Oudendorpius hariolatur, *Jamque udas calidis spatiis libraverat horas. Udæ horæ* noctis sunt, quæ passim *humere* dicuntur: scriptum fuerat *humidas* e glossa, unde enatum *tumidas.*—*Libraverat* posuit pro æquaverat, adhærens Virgilio, in Georg. I, 208: « Libra die somnique pares ubi fecerit horas, Et medium luci atque umbris jam dividit orbem ». Burm. Recte Burmannus versum constituit, et in eo nihil mutandum est. Non alius ejus sensus est, quam horum Ovidii Met. XI, 353: « medio quum Sol altissimus orbe Tantum respiceret, quantum superesse videret ». Nam *tumida spatia* sunt alta culmina, vel summa regio cæli, quemadmodum montes *tumere* et *tumidi* pro altis dicuntur, ut Heinsius probat ad Ovid. Heroid. V, 138. Sic *tumidos montes* dicit idem, Am. II, 16, 51, et Tacitus, Ann. II, 23, « tumidas Germaniæ terras », i. e. elatiores et montosas. Avienus, Descr. orb. quæ quartum huj. op. tomum aperiet, v. 99: « Hic tumet Atlas Arduus ». *Calidus* tumidis in spatiis dicitur, quia Sol altissimus maxime ardet. Et *libraverat* intelligendum est, æque diviserat horas diei, ita ut utrimque pares totidem superessent, quot peractæ. — Quemadmodum Seneca

Digitized by Google

Flammantes retinebat equos; proh! conscia facti
Invida lux! Veneris qui nunc produntur amores
Lumine, Phœbe, tuo? Stant capti judice tanto
Mars, Amor, et Paphie, ramisque incerta tremiscunt
Lumina, nec possunt crimen, te teste, negare.
Viderat effusis Gradivum Phœbus habenis

in Ἀποκολ. « Jam medium cursu Phœbus diviserat orbem ». Ed.

133. *Proh! conscia facti. Furti* præferebat cl. Oudendorpius, et deinde *Veneris quid nam*, vel *quia nam*, aut *quid nunc*. Burm.

135. *Lumine, Phœbe, tuo.* Ovidius eadem narrans, Art. Am. II, 575: «Quam mala, Sol, exempla moves? » — *Stant capti judice tanto.* Sic constanter schedæ manu exaratæ; malim tamen *capti stant indice tanto*, ut supra v. 25, « Indice sub Phœbo captam gessisse catenas ». Hinc Venus apud Ovid. Met. IV, 190, hæc eadem in re: « Exigit indicii memorem Cythereia pœnam »; et Art. Am. II, 573: « Indicio Solis, quis Solem fallere possit, Cognita Vulcano conjugis acta suæ ». Burm. Non necessarium esse puto, *judicem* hoc loco cum *indice* commutare. Index est, qui rem visam prodit, Sol autem hoc loco furtum Martis nondum prodere et indicare dicitur, sed tantum inspicere et cognoscere. Qui præsens rem cernit et arbitratur, is *judex* perinde dici potest, atque alias aliter *arbiter* dici solet. Vid. not. ad Lucilii Ætn. vs. 192.

136. *Ramisque incerta tremiscunt:* ita in Salm. et Divion. sed melius in codice Leid. « ramisque inserta tremiscunt Lumina, nec crimen possunt, te teste, negare. » *Inserta ramis lumina*, ut apud Virgilium, Æneid. III, 152: « multo manifesti lumine, qua se Plena per insertas fundebat luna fenestras »; ubi Servius, « quasi lumine suo luna inseruerat, ab inserendo, quod se per rimas insereret ». Burm. Equidem lectionem codicis Leid. *inserta lumina* admodum laudare non possum, neque locus Virgilii adductus ad eam probandam valet. Potius *incerta lumina* præfero, quæ dicuntur *tremiscere ramis incerta*, quia lumen ramis et frondibus luci trementibus incidens, tremulo motu errare incertum videtur. Apposite Statius, Theb. II, 531: « Qua laxant rami nemus, adversaque sub umbra, Flammeus æratis lunæ tremor errat in armis ». Declarat hoc et locus Virgilii, Æn. VIII, 22, ubi incerta deliberantis consilia cum tremulo et vibrante in aquis lumine comparatur: « Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis Sole repercussum, etc. »

138. *Viderat effusis.* In codice Leid. *Viderat infusis*, quod admitti potest, si legatur *in fusis habenis*, ut *in equis* esse dicitur, qui currum regit; vel eo sensu, quo *in hasta*, *in ense* esse dicitur, qui ea tendit. Sed præstat altera lectio, si explicetur, pro celerrime suo more circumagens vidit adulterium, et hinc, v. 146, *compressit habenas*, id est, inhibuit currum, quod et præferendum videbatur cel. Oudendorpio.

Digitized by Google

In gremio Paphiæ spirantem incendia amoris;
O rerum male tuta fides! o gaudia et ipsis
Vix secura Deis! quis non, quum Cypris amaret,
Præside sub tanto tutum speraret amorem?
Criminis exemplum si jam de numine habemus,
Quid speret mortalis amor? qua voce ferenda,
Quod numen poscat, quo sit securus adulter?
Cypris amat, nec tuta tamen; compressit habenas
Phœbus, et ad lucos tantum, puto, lumina vertit;
Et sic pauca refert: « Sparge nunc tela, Cupido,
Nunc nunc, Diva Venus, natis Divumve sagittis

Burm. Sed et accipi *effusis* potest pro remissis, vel dimissis, quod accidere potuit miranti, et inopinata re perculso, ut apud Ovid. Metam. II, 200, de Phaethonte: « Mentis inops, gelida formidine lora remisit ». Nam *effundere* etiam est amittere, dimittere. Virgil. Georg. IV, 492: « ibi omnis Effusus labor ». Juvenalis, X, 78, de populo Rom. « jampridem, ex quo suffragia nulli Vendimus, effudit curas ».

142. *Præside sub tanto.* Conf. initium hujus poematis. Hic versus desideratur in codice Leid.

144. *Qua voce ferenda,* hoc est, quomodo hæc vox, et hoc votum adulterii ferri vel excusari, et quos Deos ille precari possit, ut securus adulterium committat? Tale votum hominis mali exponit Horat. Epist. I, 16, 60: « Pulchra Laverna, Da mihi fallere: da justo sanctoque videri: Noctem peccatis et fraudibus objice nubem ». Immo vero adulteris Juvenalis ipsum Martis deprehensi fatum auguratur, Sat. X, 311: « fiet adulter Publicus, et pœnas metuet, quascumque mariti Exigere irati; nec erit felicior astro Martis, ut in laqueos nunquam incidat ».

147. *Ad lucos tantum, puto, lumina vertit.* Adjicit *tantum, puto,* ut hoc magis exprimat curiosam Phœbi speculationem. Alias enim Phœbus *terrarum flammis opera omnia lustrat,* ut Virg. Æn. IV, 607, canit, et *lata facta diurna videt,* ut Ovid. Fast. IV, 582; hoc tamen furtum ille ita spectat, quasi solum orbis terræ videre velit. Similiter Virg. Æn. II, 226, de Jove: « vertice cæli Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis ». Oudendorpius tamen hic legit *tantummodo lumina vertit.*

148. *Sparge nunc tela, Cupido.* Leid. cod. *nunc sparge tela.* Forte *nunc sparge en tela, Cupido;* vel potius *age nunc tua tela Cupido.* Cl. Oudendorpius conjiciebat, *Spargit,* vel *Age nunc nunc tela, Cupido, Nunc nunc, Diva Venus nati, devicta sagittis Das mihi solamen.* Burman. Higtius, memorante Burmanno in Mantissa, transponebat *Nunc tela sparge, Cupido,* producta brevi ante *sp,* ut sæpe. Cæterum tota hæc oratio mire corrupta et obscura est,

Digitized by Google

Da mihi solamen, sub te securus amavi;
Fabula, non crimen nostri dicuntur amores ».
Hæc ait, et dictis Vulcanum instigat amaris:
« Dic ubi sit Cytherea decens, secure marite,
Te exspectat lacrymans, castum tibi servat amorem;
Quære simul Martem, cui tu modo tela parasti,
Vel si forte tuæ Veneris fera crimina nescis »...
Dixit, et infuso radiabat lumine lucus,
Inque fidem sceleris totos dimiserat ignes.
Hæserat ignipotens, stupefactus crimine tanto,
Jam quasi torpescens, vix sufficit ira dolori;
Ore fremit, mœstoque modo gemit ultima pulsans
Ilia, et indignans suspiria pressa fatigat.
Antra furens Ætnæa petit: vix jusserat, omnes

ut ægre aliquam correctionem inveniam.

151. *Fabula, non crimen*, hoc est, amores quidem nostri Diis hominibusque pro fabula sunt; minime tamen crimen inest, quo injuria alicui facta sit. Pro *dicuntur* codex Leid. habet *dicentur*.

154. *Te exspectat lacrymans*. Sic in Salmas. et Divionens. schedis, ut supra vs. 51, *Hic Martem exspectare solet*: rectius tamen in codice Leid. *Te spectat lacrymans*, id est, exspectat: hæc enim sæpe mutata docebunt notæ ad Petron. cap. 17, et ad Justin. lib. XX, c. 18. Burm.

156. *Vel si forte tuæ Veneris fera crimina nescis*, est aposiopesis, et oratio continuatur non verbis, sed facto, ostendendo et illustrando lucum.

158. *Dimiserat ignes*. Cod. Leid. *demiserat*: ego malim *immiserat*. Utitur vero Noster plusquam perfecto, pro præterito *dimisit*, vel præsente *dimittit*, more multorum poetarum sequioris ævi. Sic et versu sequente *Hæserat*.

161. *Mœsto modo gemit*. Sic Salmas. et Divion. *Ore fremit mœsta, modo gemit* in Leid. forte *mœstoque modo*, vel *mœstosque modos gemit, ultima pulsans Ilia*: quæ adhærent Virgilio, Georg. III, 505: « Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto Spiritus, interdum gemitu gravis, imaque longo Ilia singultu tendunt »; et Æneid. IX, 415, « et longis singultibus ilia pulsant ». Burm.

162. *Suspiria pressa fatigat*, i. e. crebra et quasi densata angusto pectore suspiria graviter ducit: qua fere phrasi, de follibus loquens, utebatur Lucilius in Ætna, v. 559: « follesque trementes Exanimant, pressosque instigant agmine ventos ». Similiter Claudian. in Ruf. II, vs. 259: « pressamque morantia vocem Thoracum validos pulsant suspiria nexus ».

163. *Vix jusserat, omnes Incubuere*

Digitized by Google

Incubuere manus, multum dolor addidit arti;
Quam cito cuncta gerunt ars, nomen, flamma, maritus,
Ira, dolor: nam vix caussam tunc forte jubendo
Dixerat, et vindex conjux jam vincla ferebat.
Venerat ad lucos, non ipsi visus Amori,
Non Chariti, totas arti mandaverat iras.
Vincula tunc manibus suspenso molliter ictu
Inligat, et teneris connectit brachia palmis.
Excutitur somno Mavors, et pulchra Cythere:
Posset Gradivus validos disrumpere nexus,
Sed retinebat amor, Veneris ne brachia lædant.

manus. Hoc e Virgilio, Æn. VIII, 439, expressum est, ubi pariter Cyclopes Vulcanus, sed alio affectu, et in gratiam Veneris, excitat ad opus fabrile: «Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores, Ætnæi Cyclopes, et huc advertite mentem;... Præcipitate moras. Nec plura effatus, et illi Ocius incubuere omnes».

165. *Ars, nomen*: legendum *numen* cum cl. Oudendorpio. Burm.

166. *Ira, dolor*. Tale est Virgilii, Æn. V, 454: «vim suscitat ira. Tum pudor incendit vires»; ibid. VIII, 508, «telum ira facit», et Ovidii Met. XII, 373: «Ipse dolor vires animo dabat».—*Nam vix caussam*: sic lege. Male in schedis Salm. *nam vix caussa* addito asterisco; et sic in Divion. cod.

167. Male Leid. *Dixerat et vindex: conjunx jam vincla ferebat*. Burm.

168. *Venerat ad lucos. Pervenit ad lucos* in cod. Leid. Burm.

169. *Non Chariti*: forte *Charisi* vel *Charisin* cum cl. Oudendorpio, ut supra v. 52: «quid Gratia cessas? Quid Charites?» Burm.—*Totas arti mandaverat iras*, id est, per artem exsequi proposuerat: Seneca in Med. 150: «Sile, obsecro, questusque secreto abditos Manda dolori».

170. *Suspenso molliter ictu*, admodum levi et temperato tactu.

171. *Connectit brachia palmis*. Reposianus hic Vulcanum Veneris Martisque dormientium brachia et manus colligasse catenis dicit, ne vincti se movere possent. Plane aliter Ovidius, Met. IV, 177, et Art. II, 577, qui retia subtilesque laqueos circa supraque lectum disposuisse dicit, atque his, quum in torum venissent ambo, totos implicuisse. Neque aliter cæteri poetæ, qui ad eam fabulam alludunt, accepisse videntur, velut Statius, Silv. I, 2, 59, de Venere loquens: «Fessa jacet stratis, ubi quondam conscia culpæ Lemnia repserunt deprenso vincula lecto». Præterea vetustiores poetæ adulterium in ipsa domo Vulcani factum esse fabulantur, hic Noster in luco singulari ad id electo. Reposianus igitur non poetas antiquiores sequi et imitari, sed ipse ingenio suo fabulam exornare voluit.

174. *Veneris ne brachia lædant*

Digitized by Google

Tunc tu sub galea, tunc inter tela jacebas,
Sæve Cupido, timens: stans Mavors lumine torvo,
Atque indignatur, quod sit deprensus adulter.
At Paphie conversa dolet, non crimina facti,
Sed quæ sit vindicta sibi, dum singula volvens
Cogitat, et pœnam sentit, si Phœbus amaret;
Jamque dolos properans decorabat cornua tauri,

Puto legendum esse *lædat*, nempe adstrictione et disruptioue vinculorum, quibus implicitus tenebatur cum Venere.

176. *Stans Mavors*. Leg. *stat Mavors lumine torvo, Atque indignatur, quod sit deprensus adulter*. Ovidius, Am. I, 9, 39: « Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit ». Burm. *Stat* omnino melius, quam *stans*: sed poetam hunc participiis uti solere, pro tempore verborum præsente vel imperfecto, jam sæpius vidimus; vid. vers. 100, 127, et mox 179.

178. *At Paphie conversa dolet*. Hæc disjuncta a sequentibus Burmannus paullo aliter distinguenda putat, atque ipse edidit. A quo ego non dissentiens, ita verba intelligo: *At Paphie* quidem *non* ob hoc *dolet, crimina facti* sui *conversa* esse, h. e. tam male vertisse et infaustum exitum habuisse; *sed* hoc *tantum cogitat, dum singula volvens* animo est, vel volvit, *quæ sit vindicta sibi* eligenda. Sed Higtius, memorante Burmanno, hic legebat: *confessa dolet non crimina facti*, ut *confessa* et *conversa* etiam commutantur in Ovid. Metam. V, 215. Conf. tamen versum Nostri 8.

180. *Et pœnam sentit*, id est, post multam deliberationem *sentit*, videt, *pœnam* eam optimam futuram esse, *si Phœbus amaret*, si amore aliquo irretiri possit. Quanto melius hæc narrat Ovidius Met. IV, 190: « Exigit indicii memorem Cythereia pœnam, Inque vices illum, tectos qui læsit amores, Lædit amore pari ».

181. *Jamque dolo* præparans*: sic omnes schedæ. Legendum tamen *Jamque dolos properans*, locutione elegantissima, qua *properare* activo sensu Veteribus usitatissimum: cujus exempla larga manu dabit Lambin. ad Horat. lib. II, od. 7, v. 24; Broukhus. ad Tibull. lib. IV, I, 205. Burm. — Addantur Flavius Vopiscus in Probo: « Fatalem properavit necessitatem ». Ovid. in Halieut. quod tomo I hujus edit. dedimus, v. 57: « ...atque suo properat sibi robore letum ». Ipse Virg. Æn. IX, 401: « pulchram properat per vulnera mortem ». Propertius, II, 21, 27: « Quod si forte tibi properarent fata quietem »; apud quem, II, 10, 20, ubi vulgo editur « servent hunc mihi fata diem », Heinsius feliciter corrigebat *properent*, in notis ad Propert. p. 688. Lucanus, VII, 50: « Morti vicinæ properantes admovet horas ». Seneca, Hercul. Oet. 1306: « ...commoda gnato manum Properando mortem »; ut legit Heinsius, Advers. II, 10, p. 278. Quibus exemplis

Digitized by Google

Pasiphaes crimen, mixtique Cupidinis iram.

firmari potest vera lectio in § 6 Instit. de publicis Judiciis : « Si quis parentis aut filii fata properaverit », ut restituit Cujacius; nam male alii *præparaverit* ». Ed. — *Decorabat* hoc loco eo sensu usurpatum videtur, quo alias *ornari, subornari, instrui* dicuntur instrumenta doli atque vindictæ.

182. *Pasiphaes crimen :* taurus erat *crimen Pasiphaes*, quod hæc in eo amando crimen committebat. Sic Ovid. Her. XVI, 294 : « Et tua sim, quæso, crimina solus ego ». Pasiphaen vero vindictæ materiam elegit Venus, quod ea Solis genus erat. Tradit hoc Servius ad Virgilii Æn. VI, 14 : « Quod factum (indicium adulterii sui) Venus vehementer dolens, stirpem omnem Solis persequi nefandis amoribus cœpit. Igitur Pasiphae Solis filia, Minois regis Cretæ uxor, tauri amore flagravit, etc. » — Scripserunt Wernsdorfius et Burmannus *Pasiphaæ*, ut Anthol. Lat. I, epigr. 73, *Euterpæ* et *Therpsichoræ*, ut alibi *Phœba, Leda*, et similia. Vid. cel. Oudendorpius ad Suetonii August. 69, et Ner. 13. In fine carminis nonnulla deesse videntur, quæ suppleri possunt ex Ovidio, Metam. IV, 190 et seqq. Ed.—*Mixtique Cupidinis iram*, i. e. ultionem et pœnam Veneris, quam mixta libidine cum tauro subitura esset; ut Gratius, Cyneg. v. 374 : « furiis commissam ulciscitur iram ». Burmannus mavult *mixtæque libidinis ;* quod idem est. Allusit ad Virgilianum illud, Æn. VI, 25 : « Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis ».— Servius hic subjungit : « Aut memoria turpissimi coitus, aut ultio Veneris a Sole proditæ. Significat autem Minotaurum ». Oudendorpius immerito præferebat *mœstique Cupidinis ram*, ut intelligeretur æque Cupidinem ac Venerem indoluisse indicium Solis. Ed.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMINA HEROICA

TOMI TERTII PARS SECUNDA

QUÆ IN WERNSDORFIANA EDITIONE

TOMI QUARTI PARS POSTERIOR.

Digitized by Google

PARTE HAC SECUNDA TOMI TERTII

CONTINENTUR

IX. INCERTI Verba Achillis in Parthenone, quum tubam Diomedis audiisset.

X. INCERTI Epistola Didonis ad Æneam.

XI. PATRICII Epithalamium Auspicii et Aellæ.

XII. INCERTI Epithalamium Laurentii et Mariæ.

XIII. LICENTII Carmen ad Augustinum præceptorem.

XIV. INCERTI, vulgo Pindari Thebani, Epitome Iliados Homeri, cui adjungitur T. Petronii Arbitri Trojæ halosis.

Digitized by Google

IX.

INCERTI

VERBA ACHILLIS IN PARTHENONE,

QUUM TUBAM DIOMEDIS AUDIISSET.

VANA velut cautæ surgens formido parenti
Femineos juvenem jussit me sumere cultus,
Et celare virum falso per tegmina sexu;
Unde ego lanificas tentavi inglorius artes,

1. *Velut cautæ...parenti*, h. e. ut quæ nimium cauta et sollicita parens esset. Sic in epigramm. de Achille, quod apud Burmannum sequitur, Anthol. I, 60: « Cauta quidem genetrix, noceant ne vulnera nato, Confirmat Stygio fonte puerperium ». — *Surgens formido*, ut Virg. Æneid. I, vs. 582, « Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit? »

2. *Femineos sumere cultus.* Achillem a matre Thetide femineo habitu indutum in Scyron insulam deductum esse, ut latens inter virgines Lycomedis regis curam ducum Græcorum, ad expeditionem Trojanam eum quærentium, effugeret, memorant Apollodorus, III, 13, 8; Schol. Hom. Il. XIX, 338; Hygin. fab. 96; Ovid. Met. XIII, 162 seqq. et Art. Am. I, 690 sqq. inprimisque Statius, libro I Achill.

3. *Falso per tegmina sexu.* Sic in schedis Salm. et Divion. exstat. Leidensis tamen codex a manu prima *falsos sexus*, quod admitti nequit. Burmannus castigandum censet *falsi per tegmina sexus*, quod ipse probo, confirmarique puto verbis Statii, Achill. III, 164, ubi « occultum falsi sub imagine sexus Æaciden » dicit. — Sic *fallacia vestis* itidem de Achille Ajax, apud Ovid. Met. XIII, 162. Forte et tertio versu non male quis conjiciat, « Et simulare virum »; ut apud Ovid. Art. Am. I, 690. ED. — *Tegmina* pro vestimento in eadem re Statius, Achill. I, 271: « cape tuta parumper Tegmina, nil nocitura animo ». Cf. Spurinnæ od. I, 12.

Digitized by Google

Virgineisque toris carpenda ad vellera inhæsi:
Nunc autem proprium servans natura vigorem
Compellit fluxos humeris depellere amictus;
Dum nos bella vocant rauco clangore tubarum,
Mens quatitur, sævusque fovet præcordia Mavors.
Rumpe moras omnes, fervens in prælia virtus,
Nec fuerit latuisse meum: si classica temno,
Dilexi latebras, neque ulla est culpa parentis.
Nam quum respicio, quo sim de semine cretus,

5. *Ad vellera inhæsi.* Ita in schedis Salmasianis correxerat Heinsius, in quibus, ut et in cod. Leid. erat *inesi.* Divionenses schedæ habebant *adhæsi.* Per *toros virgineos* recte intelligit Burmannus lectum stratum, in quo sedebant mulieres lanificio operantes, ut de Lucretia Ovid. Fast. II, 642: « Ante torum calathi lanaque mollis erat ».

7. *Compellit... depellere*, indocta et insuavis conjunctio verborum ejusdem originis, unde malim *deponere.* — *Fluxi amictu*, vestimenta laxa et longa, quæ sunt mulierum, et mollium. Lucanus, II, 364, de Marcia Catonis: « Balteus haud fluxos gemmis adstrixit amictus ». Et apud Statium, Achill. I, 532, de ipso Achille: « O scelus! en fluxæ veniunt in pectora vestes ». Lucan. VIII, 366, « emollit gentes clementia cæli, Illic et laxas vestes et fluxa virorum Velamenta vides ».

8. *Dum nos bella vocent.* Sic schedæ Salmas. et cod. Leid. *vocant* Divionens. recte, licet utrumque sæpe varietur. Burm.

9. *Sævusque fovet præcordia Mavors.* Oudendorpius bene exponebat, calefacit, incendit præcordia, quia mox sequitur *fervens in prælia virtus*, id est, incalescens; quomodo Lucanus, VI, 240, « Incaluit virtus ». Nec male *fovet* confirmatur a Silio, V, 224, « Buccina lymphatas agit in certamina mentes. His iras adversa fovent », i. e. servant incensas; quamvis et hic et in Nostro *movere* possis substituere.

10. *Rumpe moras omnes.* Sic Virg. Æn. IX, 13: « Quid dubitas, nunc tempus equos, nunc poscere currus, Rumpe moras omnes, et turbata arripe castra ». Burmanno languere aliquantum hic versus videtur atque igitur emendare tentat: « Rumpe moras; omnes fervent in prælia vires ». Sed qui emendare hunc poetam scholasticum ex ratione languoris velit, næ ille totum necesse habebit evertere.

12. *Dilexi latebras.* Ita in Salmas. et Leid. cod. ut innuat se delituisse in insula Scyro; ut infra, v. 63: « Degener ut lateam primævo flore juventæ ». Sed quum *latuisse* modo præcesserit, inconcinne hic *latebras* repetit. Recte igitur *tenebras* in Divionensibus, quod et amplectebatur Oudendorpius, eo sensu, quo e tenebris in lucem prodire dicitur obscura et celata virtus. Burm. *Latebræ* et *tenebræ* sæpe variant in codd. Hic sane malim *latebras*, quod duo codd. habent. — *Neque*

Digitized by Google

Semiferique animis recolo præcepta magistri,
Nec puerum decuit muliebri pectora peplo
Induere, et teneram gressu simulare puellam.
Nunc igitur crescens annis sapientior ætas
Devovit Marti, tenuit quæ corda Cupido,
Belligerumque Deum quum mens tum membra sequuntur.
Stamina linquentes currant ad spicula palmæ,
Terrificumque caput præfixa casside mitram
Pellat, et in gracili decorentur tempora ferro:
Arma tegant nostrum potius, quam suppara, corpus,
A telis ad tela decet transire juventam,

ulla est culpa parentis. Inest hiatus, quem teste Burmanno omnes schedæ servant, qualis et infra v. 72. Ferendus hic in poeta inferioris ævi, quamvis facilis correctio ejus, sive cum Heinsio legere velis, *neque enim ulla est culpa parentis;* sive, quod ego malim, *neque culpa est ulla parentis.*

14. *Semiferique... magistri,* Chironis. Sic enim Centauri vocari solent. Vid. Ovid. Met. XII, 406; ut et *semihomines,* Ovid. Metam. XII, 536. — *Animis recolo* in schedis Divion. *animi* in Salm. et Leid. cod. est, litera ultima absorpta. *Animo recolo* adscripserat Heinsius, quod propter sonum ingratiorem improbat Burmannus.

16. *Gressu simulare puellam,* quemadmodum facere Achillem docet Thetis mater, monstrato virginum choro, apud Stat. Achill. I, 339: « sic ergo gradus, sic ora manusque, Nate, feres, comitesque modis imitabere fictis ».

19. *Quum mens tum membra sequuntur.* Ita dedi ex Divionensibus schedis: vitiose Salmasianus et Leidensis codices, *quum mens nunc membra secuntur:* in quibus versu seq. etiam perperam *liquentes.* Burm.

21. *Præfixa casside mitram.* Sic schedæ Divion. Salmasianæ et cod. Leid. male habebant *mitra,* quod correxit Heinsius. — *Terrificum caput,* quod terrorem incutere bello potest, ipso adspectu.

22. *In gracili decorentur.* Schedæ veteres parum variant. *Gracile ferrum* est lamina ferrea, e qua confecta est galea: sic « graciles ex ære catenæ » Ovid. Met. IV, 176.

23. *Quam suppara.* MSS habent *sipara;* quod idem est, et apud Tertullianum occurrit: unde *siparium,* quod dicitur apud Quintil. VI, 3, 72. Est vero *supparus* vel *supparum,* Festo auctore, *omne velum, quod ex lino est,* sigillatim *vestimentum puellarum lineum, quod et subucula appellatur,* et Festus confirmat hoc versu Afranii: « Puella non sum, supparo si induta sum? » Et usurpavit hoc sensu Lucanus, II, 365, de Marcia Catonis loquens: « humerisque hærentia primis Suppara nudatos cingunt angusta lacertos ».

24. *A telis ad tela decet.* Ludit in similibus vocibus *telarum,* quæ te-

Digitized by Google

Atque hostes gladio quam lanas fundere fuso:
Tenuia loricæ cedant multicia forti,
Splendeat et raptus projecto pectine mucro;
Contemptis radiis onerentur brachia pilis;
Clausa diu thalamo reddamus pectora campo.
Præsumit certam virtus sibi conscia palmam,
Hæc dubios gaudet perferre interrita casus:

xuntur a feminis, et *telorum*, quæ viros bello habiles decent.

25. *Quam lanas fundere fuso.* Sic codd. Mspti, nisi quod vitiose *fusa* in Salmas. Nota ellipsi hic intelligitur *magis* vel *potius*. Oudendorpius tamen legebat: « Atque hostes gladio, non lanam fundere fuso ». Simili oppositione rerum de Achille utitur Ovidius in Art. Am. I, 691: « Quid facis, Æacida? non sunt tua munera lanæ, Tu titulos alia Palladis arte petas. Quid tibi cum calathis? clypeo manus apta tenendo est, etc. » Et in epigramm. apud Pithœum, lib. IV, pag. 151: « Tela viris decus est, peplumque colusque puellæ ». Burm.

26. *Tenuia loricæ cedant multicia forti.* Mspti nihil ita variant, ut lectio dubia reddi possit. Quas igitur Burmannus hic affert, mutationes supervacuæ sunt. *Tenuia* trisyllabice legendum. Et multum variatur hujus vocis pronuntiatio apud poetas, quum literam *u* et *i*, pro metri ratione, modo ut consonas, modo ut vocales accipiunt. Vid. Zinzerling. Promuls. Crit. c. 36. *Multicia* scholiastes Juven. ad Sat. II, 66, exponit « vestes molli intextas substramine, quibus uti solent puellæ », quæ certe Achilli in Parthenone convenientissima sunt, ut pellucida. Quando Vopiscus in Aureliano, c. 12, *tunicas multicias viriles* nominat, eas Salmasius pro sericis vel subsericis poni affirmat, quæ tunc erant ad usum mollium et delicatorum. Proprie tamen mulierum fuisse idem Juvenalis, XI, 185, probat: « nec...tacito bilem tibi contrahat uxor, Humida suspectis referens multicia rugis ». Dicta autem *multicia* Salmasius arbitratur a *multum* et *icio*, quod bene densata et radio bene percussa, ideoque tenuia et levia, essent. *Multicia synthesis*, i. e. serica, occurrit apud Tertull. libro de Pall.

27. *Projecto pectine.* Intelligit instrumentum, quo fila implicant, qui telas pertexunt, sive ut Gesnerus ad Claudian. in Eutrop. II, 382, explicat, quod mille parvos ex aciculis uncos tabulæ adfixos habet, inter quos tractæ lanæ explicantur, distribuunturque in paginas æquabiliter. Sed simili prorsus comparatione, qua hic Noster, pectinem et gladium, thalamum et campum opponit Claudian. lib. citato, v. 456: « Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enses? Quis solio campum præponere suasit avito? »

31. *Hæc dubios gaudet.* In Salmas. et Leid. cod. perperam *Hac dubios* scriptum erat; unde emendat Burmannus *Ac dubios*.

Digitized by Google

Nil metuat, qui magna cupit : constantia mentis
Fata domat; nec jam potis est fortuna nocere
Securo mortis, cui non sunt bella timori.
Fortibus una viris parilisque per omnia sors est,
Aut palmæ aut leti pugnando adquirere laudem.
Cernere jam videor, quanta mercede cruoris
Constabit raptus Paridi crimenque jacenti;
Obvia cristatus quum sparserit agmina vertex,
Et solo adspectu claudentur Pergama nostro :
Quum novus effusos bellator fudero Teucros,
Multa trahet Xanthi Trojana cadavera gurges,

32. *Nil metuat, qui magna cupit.* Schraderus legebat *metuit.*

33. *Nec jam potis est.* Hoc frigere videtur Burmanno, quamquam schedæ nihil variant. Igitur scribendum existimat *nec enim potis est fortuna nocere,* et elegantem esse apud poetas locutionis *nec enim* usum multis exemplis probat. Ego vero huic loco neque tam aptam, neque necessariam esse video, ut propterea lectionem mutandam putem.

34. *Securo mortis,* qui mortem non curat, nec reformidat, ut *securus fati* ap. Claud. IV Cons. Hon. 393, *securus famæ* Ov. Trist. I, 1, 49. *Turbæ securus et immemor* de Achille Statius, Achill. I, 311. Similia suppeditabit Heinsius ad Ovidii Met. VII, 435.

36. *Aut palmæ.* Malim ego *Aut palmam, aut leti,* etc. Forte adumbratum ex Horat. Serm. I, 8 : « concurritur, horæ Momento aut cita mors venit, aut victoria læta ».

37. *Quanta mercede,* i. e. quanto impendio, periculo, damno. Virg. Æn. VII, 316, « At licet amborum populos exscindere regum. Hac gener atque socer coeant mercede suorum ». Gratius, Cyneg. 65, « Quam magna mercede meo sine munere silvas Impulerint ».

39. *Quum sparserit agmina.* Ita correxit Burmannus ex cod. Divion. quum in schedis Salm. et cod. Leid. legeretur *consparserit hac mina.*

41. *Quumque novus* edidit Burmannus e Salmasiano et Leidensi cod. in quibus erat *Cumque novos fusos.* Ipse tamen e Divionensi mavult *Quum novus effusos,* quod nos sequuti sumus : quamquam idem in Mantissa adnotat. ad Anthol. tom. I, refert, Higtium pro *fusos* reposuisse *fessos* vel *versos. Novus* autem bellator est insolitus et cæteris major vel validior, quem sensum vocis notavimus ad Eleg. VII, v. 4; in hac edit. t. II, p. 263. Ed.

42. *Multa trahet Xanthi.* In Divionensi legebatur *Multa trahit secum,* sic tamen ut asteriscus voci *secum* appositus vitiosam aut lectu difficilem lectionem in codice fuisse indicaret. In Salmasiano et Leidensi libro erat *Multa trahit Sci,* id est, *Sancti,* unde Burmannus cum Heinsio recte correxit *Xanthi.* Achilles enim plurimos Trojanorum fugatos

Digitized by Google

Majoremque feret cultorum sanguine cursum.
Sed mihi quis referat, quæ tu præsaga creatrix
Subducens fatis alieni schemate sexus,
Ad Lycomedeos fecit transire penates,
Depositumque suum maluit committere blandis
Virginibus, ne te rapiat sic Martius ardor,

in Xanthum compulit et cecidit. Unde Virg. Æneid. V, 804 : « quum Troia Achilles... Millia multa daret leto, gemerentque repleti Amnes, nec reperire viam, atque evolvere posset In mare se Xanthus ».

43. *Cultorum sanguine :* sic libri veteres. Burmannus tamen aptius putat legere *cæsorum sanguine. Cultores* sunt accolæ. — *Majorem feret cursum*, h. e. cadaveribus oppletus, latior et exundans fluet. Minucius Fel. in Octav. cap. 7 : « ut Thrasymenus Romanorum sanguine et major esset et decolor, sprevit auguria Flaminius ».

44. *Quæ tu præsaga creatrix.* Sic Divionenses. In Salm. et Leid. cod. *quæ tu præsaga creatoris.*

45. *Alieni symbola sexus* Divion. quidem legit ; sed sine dubio rectius est, quod codex Salmas. exhibet, *alieni scemate sexus*, cujus vestigiis insistit Leidensis, in quo *alienis cematis*. Cæterum hujus loci manca et turbata verborum connexio et sententia est. Apparet, Achillem sibi fingere aliquem, qui consilio suo adversetur, jussorum matris admoneat, officiorumque erga uxorem et filium. Hoc significat verbis : *Sed mihi quis referat*, h. e. occurrat mihi forte aliquis, qui objiciat. Hujus autem objectis respondet v. 59 : « Aufer, iners monitor, etc. » Sed verba *quæ tu præsaga creatrix* non cohærent, ut deberent, cum sequentibus *fecit transire*, et *maluit committere*. Igitur Oudendorpius mutabat *Cur te præsaga*. Huic autem lectioni non bene respondent, quæ versu 48 sequuntur, *nec* vel *ne te rapiat*, etc. Magis placet, quod Schraderus tentabat : « Sed mihi quis regerat ; quum te præsaga creatrix, etc. » His præmissis apte subjicitur, « ne te rapiat sic Martius ardor », h. e. quum præsaga mater tua te apud Lycomedem sub alieni schemate sexus occultare voluerit, ut te fato subduceret, noli jam nimio Martis ardore abripi, ne orbatam matrem aliquando, te amisso, excrucies. Fortasse minore cum literarum mutatione sic facilius legas : « Sed mihi quis referat, quæ, quum præsaga creatrix..... fecit transire ad Lycomedeos penates », hoc est, fortasse mihi quis referat, quæ scil. retulit, vel præcepit mihi *præsaga creatrix, quum* me transire fecit ad Lycomedeos penates *ne te rapiat sic Martius ardor.*

47. *Maluit committere.* Sic Salmas. et Leid. cod. *maluit deponere* Divionens. Pro *maluit*, quod in metri leges peccat, fortasse rescribas *voluit* vel *valuit*. Sed vitia ejusmodi plura ap. Nostrum.—Sic mox v. 55, « comes esse placet » pro *comitem*. Ed.

48. *Nec te rapiat :* ita in Mss. codd. *né* corrigebant Oudendorpius et Schraderus : atque hoc plane sensus et connexio poscit.

Digitized by Google

Orbatam ut crucies non viso pignore matrem.
Vadis in arma ferox, thalamum natumque relinquens,
Nec venit in mentem, quantum mereatur amore,
Quæ te prima virum collato pectore fecit.
Is ad bella libens, ubi quæritur alea mortis,
Nec spondet certam tristis Bellona salutem;
Sed Danais comes esse placet, sociumque pericli
Pro famæ titulis meliori adjungere caussæ:
Scilicet ut conjux viduo reddatur Atridi,
Procumbat vilis Teucrorum victima Achilles!

49. *Orbatam ut crucies*, ita in Divion. *ut* omittitur in Salmas. sched. et cod. Leid.

51. *Quantum mereatur amore.* Schraderus legebat *amorem*, quod equidem probo, aut *quantum mereatur amoris.*

52. *Collato pectore*, est pudica descriptio concubitus, ut Ovidius de Apolline Coronida interficiente Metam. II, 604: «illa suo toties cum pectore juncta Indevitato trajecit pectora telo». Idem Her. XV, 191: «At quanto melius jungi mea pectora tecum, Quam poterant saxis præcipitanda dari». — Similiter phrasin *jungere capita* de Venerea consuetudine usurpari observavit P. Burmannus ad Petron. cap. 22, p. 73. Ed. — Alias *pectora pectoribus collata* de luctatoribus dicuntur, Ovid. Met. VI, 244. Illud *virum fecit*, notante Burmanno in Mantissa, cum Græcorum ἄνδρα ποιεῖν confert Valcken. ad Eurip. Hippol. v. 490.

55. *Sed Danais comes esse placet.* Vitiosum hoc sic fortasse corrigendum est, *Sed Danais comitem esse placet*, præsertim quum eadem in constructione pergatur *sociumque pericli meliori adjungere caussæ.* Ad hæc Burmannus in Mantissa notat: «*Danaos comitasse* Oudendorpius: malim tamen *comes isse:* quod non tantum ex illius, sed et remotioris ævi usu est».

56. *Pro famæ titulis*, h. e. pro inanis famæ et tituli pretio socium fieri communis periculi, bello eo subeundi. — *Meliorem caussam* dicit Græcorum, ut auctor Elegiæ de Mævio, v. 13, *meliora castra* partium Augusti.

57. *Reddatur Atridi*, perperam pro *Atridæ.*

58. *Procumbat vilis Teucrorum.* Sic schedæ Divion. et cod. Leid. sed *procumbat titulis Teucrorum* Salmas. Sed præferenda prior lectio, quia *titulis* jam adfuit, et propter imitationem, quæ hic apparet, Virgilii Æn. XI, 371: «Scilicet, ut Turno contingat regia conjux, Nos animæ viles, inhumata infletaque turba, Sternamur campis». Ad exemplar τοῦ *sternamur* retinenda et hic lectio codicum *Procumbat*, pro quo Burmannus edidit *Procumbet.* Similiter in Epitome Iliadis Homeri, quam hoc volumine damus, versu 264, Hector Paridem objurgans: «Dum jaceas in amore tuo, nos

Digitized by Google

Aufer, iners monitor, turpis fomenta medelæ,
Meque sine proprio sectari prælia sensu.
Non ita me genitor præclarus nomine Peleus,
Aut dilecta Jovi fudit Thetis alma sub auras,
Degener ut lateam primævo flore juventæ,
Major et ignavo tantum mihi torpeat ætas,
Abstrudamque toris jam debita pectora castris,
Quum manus Argivum victricia ludat in arma.
Denique quum promptum ruat in certamina vulgus,
Solus ego in cunctis, infami carcere clausus,
Subducar pugnæ? quanto tolerabo pudore
Me non ferre pedem, quo fert Thersites, in omni
Parte miser, forma brevior, menteque fugaci.

bella geremus Scilicet, et nostrum fundemus in hoste cruorem ».

59. *Fomenta medelæ*, i. e. orationis ardorem meum lenientis. Veteres libri *medellæ* habent. Oudendorpio in mentem veniebat *loquelæ*.

60. *Meque sine pr.* Ultima in *sine* producta propter sequentis vocis literas *pr*, quod etiam ob literas *sp, st, sc* fieri solet, ut præter alios observavit Zinzerling. peculiari dissertatione post ejus Promulsidem criticam. Burm.

64. *Tantum mihi torpeat*, id est, tantopere, vel tam diu, tam longo otio torpeat.

65. *Abstrudamque toris*. Sic schedæ Divion. *Abstrutamque* Salmas. *Abstructamque* cod. Leid. Sic supra dixit v. 29 : « Clausa diu thalamo reddamus pectora campo ».

66. *Victricia ludat in arma*. Sic edidit Burmannus Divionenses schedas sequutus. In Salmasiano erat *ultricia ludere in arma*, in Leid. cod. *ludere*. Schraderus reponebat *victricia ducat in arma*. Mihi verum esse videtur *ludat in arma*, et sensus est, quum exercitus Argivum jam multis se ludis exerceat, et præparet ad bellum prospere gerendum.

67. *Ruat in certamina vulgus*. Ovid. Fast. VI, 598 : « attonitum vulgus ad arma ruit ». Sabinus, Epist. I, 125 : « Non vi certandum, nec aperta in bella ruendum ».

68. *Solus ego in cunctis*. Rectius et usitatius erat *e cunctis*. — Eadem forma occurrebat *unus in omnibus*, huj. op. t. II, pag. 301, Eleg. XII, vs. 37, ubi vid. notata nostra. Ed.

69. *Quanto tolerabo pudore :* malim ego *quonam tolerabo*.

70. *Quo fert Thersites*. In ultima brevi vitium. — *In omni Parte miser* ex usu debebat *ab omni Parte miser* dici, ut *ab omni parte beatum* Horat. Carm. II, 16, 27.

71. *Menteque fugaci*, i. e. trepida, levi, imbelli. Oudendorpius tentabat *mentisque fugacis*, ut metro consuleretur. Quod Burmannus conjecerat *tergoque fugaci*, parum placet, etsi sumptum ab Ovid. Met. I, 541.

Digitized by Google

Absit ab ingenio, et viribus Æacidarum,
Ut vitem pro laude mori, metuamque supremum,
Quem das, Parca, diem: mihi nam lux amplior illa est,
Quæ virtute fluit, quæ nescit claustra sepulcri.
Namque hominis semper, meritorum lege perenni,
Quam breviat fatum, propagat gloria vitam.
Ergo animus fidens in Dardana sæviat arma,
Nec mihi jam gemini dilectus pignoris obstet:
Deidamiam, Pyrrhumque meos nunc Scyros habebit,
Visuros nostrum reditum, celeremque triumphum:
Me pudor hortatur rapere in certamina gressus.
Ferre potest quæcumque labans successibus ætas,

73. *Ut vitem pro laude mori*, ita Divion. In cod. Salmas. erat *Ut divitem*, cui a manu recentiore adscriptum *dubitem* vel *vitem*, quod et in margine cod. Leid. Heinsius conjiciebat *Devitem pro laude*. Mihi cum Burmanno placet *Ut dubitem*.

74. *Quem das, Parca*, prætulit Burmannus ex Divion. codice pro eo, quod in Salmas. et Leidensi habetur, « Quem dat Parca diem ». — *Mihi nam lux amplior illa est*, cum Burmanno scripsi pro *ulla* est, licet hoc in veteribus libris reperiatur.

75. *Quæ virtute fluit*. Pro eo *cluit* corrigebat Higtius, ut refert Burmannus in Mantissa ad tomum I Anthol. p. 707.

77. *Quem breviat fatum*. Nota vocem *breviare* hoc in versu, unde sequioris quidem, sed tamen non infimæ ætatis poetam se prodit Auctor. Hoc enim verbo etiam usus est non uno in loco Quintilianus, tum Manilius, Lactantius aliique. Vide Cellarii Cur. Poster. p. 202, et Vorstii notas ad Sulpit. Severum, lib. I, cap. 1. Censorino etiam ex MS restituit Barthius, Adv. XXVII, 19, quem vide. Burm. — *Propagat* prima longa vitiosum.

78. *In Dardana sæviat arma*: ita Salmas. et Leid. codex. In Divion. *sæviet*.

82. *Rapere in certamina gressus*, id est, properare ad bellum, celeriter abire.

83. *Ferre potes quæcumque*, ita cod. Salmas. sed *ferre potesque quum labans* cod. Divion. *ferre potesque quumque* cod. Leid. Perplexus hic locus est, cum cura distinguendus. Sentio cum Burmanno, quum legendum censet *Ferre potest*, licet non repugnet, si quis retinere velit *potes*, ut *ætas* sit vocativus: in eo dissentio, quod *quæcumque* putat ad *certamina* referendum. Mihi videtur hic versus separandus a priore, et cum sequente connectendus. — *Labans successibus ætas* non alia mihi est, quam progrediens et properans successu temporis, juvenilis ætas, ut supra, v. 17, adfuit *crescens annis sapientior ætas*: nec satis aptum videtur, quod Burman-

Digitized by Google

Exegi : observans matris præcepta verendæ,
Induxi molles habitus, velut edita virgo,
Lusimus et tactis modulantes carmina chordis.
Virtuti adsurgat, fuerat quæcumque voluptas;
Succedat ferrum citharæ; quod nutrit amores
Depensum est Veneri, reddamus cætera Marti.

nus *labans* explicat *etiamsi, quamvis labet.*

84. *Exegi : observans*, etc. *Exigua* Burmannus edidit e codice Divion. idque defendit. Sed Excerpta codicis Salmas. hic habent *Exegi observans*, et cod. Leid. *Exigi observans*. Ego adquiesco in *Exegi*, et versum sic explico : Quæcumque hæc ætas mea labans, et successu annorum jam decurrens, ferre, admittere, permittere potest, ea jam exegi, feci, absolvi : observans præcepta matris meæ molles habitus induxi, quasi virgo nata essem : lusimus etiam modulantes carmina ; sed ohe ! jam satis est.

85. *Velut edita virgo*. Hæc verba schedæ Divion. et Salmas. distinguunt a prioribus *molles habitus*, et adnectunt sequenti *Lusimus*, idque sequuntur alii interpretes. Sed recte Burmannus contra disputat, eaque adjungenda prioribus censet, ut Achilles dicatur « induxisse molles habitus ut virgo, *non* lusisse ut virgo ».

86. *Lusimus et tactis modulantes*. Sic e cod. Salmas. et Leid. edidit Burmannus recte. Cod. Divionensis habebat « Lusimus, et tactis modulantur », male. Et perperam hic Aristarchus Lipsiensis, testante Burmanno, legere tentat *doctis*, quæ hic ineptissimæ sunt, et tribus codicibus refelluntur. Cæterum *tangi* de cithara usitatissimum. Vid. Anth. Lat. III, 181, vs. 3, de citharœdo : « Stat tactu cantuque potens » ; et Claudianus, de Cons. Mall. v. 316, « magna levi detrudens murmura tactu ». Ed.

87. *Virtuti adsurgat*, i. e. cedat et locum faciat.

89. *Depensum est Veneri*. Similiter ait Lucanus, X, 80, de Cæsare, « Tempora Niliaco turpis dependit amori ». — Si quis velit conferre, quantum intersit inter magnum et vere Virgilianum poetam, atque obscurum hunc versuum fabricatorem, is adeat Nostratem J. Racine, *Iphigénie*, act. I, sc. 2, ubi plures sententiæ, quæ hic occurrunt, similiter referuntur, sed quam dispari carmine ! Ed.

Digitized by Google

X.

INCERTI

EPISTOLA DIDONIS AD ÆNEAM.

PRÆFATIO.

Sic tua semper ames, quisquis pia vota requiris,
Nostra libenter habe; quid carminis otia ludant,
Cerne bonus, mentisque fidem probus incole judex.
Dulce sonat, quod cantat amor; cui grata voluptas
Esse potest, modicum dignetur amore poetam.

1. *Sic tua semper ames.* Sic tibi semper tuæ res placeant, semper fortuna tua læteris. *Sic* optantium et voventium est. Tibull. II, 6, 30: «Sic bene sub tenera parva quiescat humo». Idem, III, 6, 1: «Candide Liber ades! sic sit tibi mystica vitis, Semper sic hedera tempora vincta geras».

3. *Probus incole*, hoc positum videtur pro simplici *cole*, proba, suspice, quemadmodum Noster sæpius composita sensu simplicium adhibere solet, ut infra, v. 32, *convincere*. Higtius tamen, cujus emendationes nonnullas in hoc carmen Burmannus produxit in Mantissa Adnotationum ad t. I Anthol. p. 711, legebat *indole*, ut judicem bonum atque indole probum requirat ad discernenda et dijudicanda carmina sua.

Digitized by Google

DIDO AD ÆNEAM.

Debuit ingrato nullam dictare salutem
Læsus amor, sed nulla juvant convicia flentem,
Si modo flere vacet; nam me magis improba mortis
Fata vocant. Trojane nocens, hæc dona remittis?
Quamvis sæpe gravi componam carmine fletus,
Plus habet ipse dolor; nec complent verba dolorem,
Quem sensus patientis habet, vel regna requiro,
Quæ maledicta dedi, miseris circumdata fatis.

1. *Dictare salutem.* More sequioris ævi *dictare salutem* pro scribere epistolam. Vid. Savar. ad Sidon. lib. VII, ep. 6, p. 498 : inde *dictatum* pro epistola, et *dictator epistolarum* et simil. vid. Barth. ad Claudian. in Ruf. II, 169, et operose Salmas. ad Vopisci Carum, cap. 8. Burm.

4. *Fata vocant, Trojane nocens : hæc dona remittis?* ita Salmas. et Leid. In Divionensi distinguitur *Fata vocant : Trojane nocens hæc dona remittis.* Respicit forte ad initium epistolæ Didus Ovidianæ : « Sic ubi fata vocant ». Per *dona* intelligit ensem illum Dardanium ab Ænea Didoni missum, quo se ipsa deinde interfecit, « non hos quæsitum munus in usus »; ut Virgilio dicitur, Æn. IV, 646. Burm. Ego verba *hæc dona remittis* sic simpliciter intelligo : hoc mihi beneficium pro meis meritis retribuis?

7. *Quem sensus patientis habet*, h. e. quem animus patientis, injurias et perfidiam Æneæ perferentis, concoquentis, sentit : ut Seneca, Agamemn. 688 : « Dura virago, patiensque mali, Poteris tantas flere ruinas ». Burmannus pro *patientis* substituendum arbitratur *pietatis*, ut innuat Dido, verborum consolatione non imminui dolorem, quem perfert animus pietatis, seu fidei et constantiæ, conscius. Hanc ei conjecturam facile indulgeo. Higtius tamen volebat, « Nec complent verba dolores, Quæ sensus patientis habent ».

8. *Vel regna requiro Quæ maledicta dedi.* Plane hæc corrupta. Higtius emendabat, « nec regna requiro, Quæ male victa dedi ».

Digitized by Google

Pendet amore domus, castus dolor auget amorem.
Dum studet iratas animus celerare querelas,
Continuit dolor ipse manum, nec plura loquentem
Passus amor, metrisque vias et verba ligavit.
Ah! quoties revocata manus, dubiumque pependit,
Quid factura fuit trepidanti pollice! dextram
Torpor et ira ligat, dum dura vocabula firmat,
Et minus explicitam commendat litera vocem;
Torsit iter male tractus apex, dubiaque remissus
Mente pudor, dum verba notat, dum nomina mandat.
Flamma nocens, irata, ridens, penitusque cucurrit

Sed hæc intempestiva videntur. Ego putaverim *regna* mutandum in *recta* scilicet *verba*, et superius *nec* repetendum, hoc sensu : Verba mea dolorem tantum non exprimunt, neque adeo curo vel possum *recta* ponere, scil. corrigere *verba*, quæ *male* perperam *dicta* dedi.

9. *Pendet amore domus*, hoc est, in ruinam pendet, pessumdata est. Ut Propert. III, 19, 20 : « Infamis stupro stat Pelopea domus » ; et Horat. Carm. III, 16 : « Concidit auguris Argivi domus ob lucrum Demersa excidio ». Cæterum Higtius commode hæc conjungebat, « miseris circumdata fatis Pendet amore domus ».

10. *Celerare querelas*. In Salmas. Leid. et Divionens. cod. legebatur *colorare*. Inde Burmannus emendavit et edidit *celare querelas*. At vero sequentia, quibus *dolor* dicitur *manum* scribentis *continuisse*, demonstrant, optimam esse lectionem, quam Higtius ex ista codicum scriptura elicuit, *celerare*, quam jure meritoque admisi.

12. *Metrisque vias*. In MSS est *meritisque vias*. Higtius scribendum censuit *mentisque vias*, quod non ineptum. Ego rectius putavi *metrisque*, id est, versibus, qui recentioris latinitatis scriptoribus metra vocari solent. — *Ligavit vias et verba*, impedivit, quo minus versus bene procederent.

14. *Quid factura fuit*. Corrige *Quod factura fuit*. Alias scribendum erat *Quid factura esset*, vel *foret*.

15. *Dum dura vocabula firmat*. Schraderus et Higtius emendabant « dum dura vocabula format, Et minus explicitam condemnat litera vocem ». Sed *condemnat* non plane rejiciendum ; idem enim valet, quod versu 18 *nomina mandat*.

17. *Torsit iter*, difficulter et ægre perrexit scribere *tractus apex*, stylus in cera ductus.

19. *Flamma nocens, irata, ridens* : ita in schedis Msptis : sed quid *flamma ridens* huc faciat, nemo facile dixerit. Cogitabam igitur *furens*, ut de Didone Virg. Æn. IV, 69 : « Uritur infelix Dido, totaque vagatur Urbe furens ». Possis aliter *virens* : nam hæc inter se commutantur, ut apud Horat. Epod. XVII, 35 : « nec Sicana fervida Virens in

Digitized by Google

Sopitus per membra calor, duroque medullas
Igne vorat : nullus confessum culpet amantem.
Connubium tunc crimen erat; male credula votis
Cuncta dedi: nec mira fides sub lege mariti,
Cujus et ipsa fui; numquam nec conscia reddent
Vota fidem, si talis erit non digna marito.
Hanc reddis, Trojane, vicem? meus ista meretur
Adfectus? non ille torus, non conscia lecti
Sacramenta tenent? totum pro crimine perdi,
Quidquid amore dedi? fatis licet, improbe, tendas
Æmula regna meis, nihil est quod, perfide, jactes:

Ætna flamma »; ubi in codice regio et aliis MSS *furens flamma*. Burm.

21. *Duroque medullas Igne vorat :* sic legendum : nam male Salmas. Leid. et Divion. *forat.* Seneca, Hippolyt. 282 : « Sed vorat tectas penitus medullas ». Virg. Æn. IV, 66, de hac ipsa Didone, Æneæ amore saucia : « est mollis flamma medullas Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus ». Vitiose etiam in iisdem schedis *confessus :* scribe *confessum*, vel potius *confessam :* passim apud poetas fassis amantibus parcendum occurrit. Hero apud Ovid. Epist. XIX, 4 : « Da veniam fassæ, non patienter amo ». Demophoon apud Sabinum, Epist. II, 47 : « Ignosce et fasso ; memor es Minoidos ipse, Antiquus nondum pectore cessit amor »; et alibi sæpe. Burm.

22. *Male credula votis Cuncta dedi*, hoc est, nuptiarum et connubii caussa omnia feci et credidi. *Vota* enim hoc loco videntur ex usu sequioris et ecclesiasticæ latinitatis pro sponsalibus vel nuptiis poni.

23. *Nec mira fide* quædam edd. legendum puto *fides :* nec mirum videri potest, si tibi cuncta credidi, quia ea lege concessi, ut fores maritus. Sic etiam Higtius.

26. *Meus ista meretur Adfectus?* sic bene schedæ Divion. *iste* Salm. et Leid. cod. Burm.

28. *Sacramenta tenent.* Perperam Salm. et Leid. *tenet.* Divion. *tenent*, sed in quibus vitiose *thori* pro *lecti*. Burm. Sacramenti vox etiam videtur hoc loco e latinitate ecclesiastica ad conjugium tralata. Sic usurpavit Martianus Capella, de Nupt. Philol. lib. II, pag. 28 : « Ecce ante fores quidam dulcis sonus multifidis suavitatibus suscitatur, quem Musarum convenientium chorus impendens nuptialibus sacramentis concinebat ». Petronius, cap. 80, *sacramentum amicitiæ* dixit.— *Totum pro crimine perdi*, etc. h. e. ergone quidquid amore legitimo permota dedi, concessi, feci, id totum perdetur, tamquam crimen admiserim? Higtius legebat *totum pro ! crimine perdo.*

30. *Tendas Æmula regna meis.* In Divionens. *Romula*, sed *Æmula regna meis* prætuli ex Salm. et Leid. quo enim aliter referetur *meis?* nam

Digitized by Google

Fraude perit, non sorte, fides; sed regna petebas
Debita, nec rerum poteras convincere sortem.
Si datur ire, placet: nam quo fugis? unde recursus?
Vota nocentis habes; nihil est, quod dura querelis
Verba fidemque voco; quisquis mea vulnera deflet,
Invidiam fecisse negat, trahit omnia casus.

fatis meis jungi possunt: neque Dido scire tunc poterat, Romula sive Itala regna esse, quæ fatis non sponte petebat Æneas. Burm. *Tendere regna* Oudendorpius, referente Burmanno, positum, notavit ut *tendere diversa* Apuleio, lib. II Met. p. 66, et VI, p. 201. Sed hujus locutionis diversa ratio. Conferendum potius cum ista erat hoc Virgilii, Æn. VI, 696, « hæc tendere limina adegit ». Scilicet poetæ verbis *ire*, *venire*, *tendere* nomina locorum adjungere solent sine præpositione *in* vel *ad*. Virg. Ecl. I, 65: « sitientes ibimus Afros ». — Sic Statius, Silv. I, 1, 83: « tentasses me non audente profundos Ire lacus ». Similiter Cicero, de Fin. II, 34: « Quum Xerxes, Hellesponto juncto, Athoque perfosso, maria ambulavisset, terram navigasset ». Et plura hujus generis exempla produximus in Excursu ad Gratii vers. 62, huj. operis t. I, p. 79, et hoc tomo supra ad Albinov. fragm. vs. 4. Ed. — *Nihil est, quod, perfide, jactes.* Pro *perfide* in Divion. *pro fide.* Hinc fortasse legendum est *provide*, ut dicat Dido: Nihil est, quod providentiam tuam adeo jactes, qua tibi operam dandam putas, ne spretis sortibus iram Deorum tibi attrahas.

31. *Fraude perit, non sorte, fides;* h. e. tua ipsius fraus est, quæ fidem labefactat, non sortes Deorum. Talia Dido apud Virgil. Æn. IV, 377, « Nunc Lyciæ sortes .... Scilicet is Superis labor est, etc. »

32. *Convincere sortem:* id insolenter videtur pro simplici *vincere* positum, ut supra *incole* pro *cole*.

33. *Nam quo fugis:* sic Divion. *quod* Salm. et Leid. cod. Burm.

34. *Vota nocentis habes*, propositum nocendi: cogitas me perdere. Sic infra, v. 94: « Quis vellet in hospite tantum Hoc audere nefas? quis vota nocentis habere? »

35. *Verba fidemque voco:* id prætuli ex Salm. et Leid. cod. *Vota* in Divion. sed præcessit modo: « Vota nocentis habes ». Burm. Ego vero retinendum puto *Vota*, quamvis repetitum. Recipit se, et ante dicta corrigit Dido; et « Nihil est, inquit, quod dura querelis Vota fidemque voco », hoc est, frustra est, quod multum de dura ejus voluntate erga me queror, et fidem desertam incuso.

36. *Invidiam fecisse negant.* Salm. *necat.* Leidens. *necant*, et versu sequenti *sorte.* Burm. Ad indicium codicis Salm. scribendum erat *negat*, quod et aptius est, aut potius *neget.* Quisquis, inquit, mea vulnera, meum infortunium miseratur, hic neget etiam, invidiam vel odium me Æneæ concitare velle: casus adversus potius omnia hæc intulit.

Digitized by Google

Dum sortem natura rapit, *sua tædia solus*
Fallere nescit amor: reparatum Cynthia format
Lucis honore jubar, curvatis cornibus arcus,
Quod de fratre rubet; cessurus lege sorori
Consumit sua jura dies: sic continet orbem,
Dum recipit natura vicem: *sua tædia solus*
Fallere nescit amor: mersum pallentibus umbris
Circumdat nox atra diem, fruiturque tenebris
Lege poli, peraguntque micantia sidera cursus.

37. *Dum sortem natura rapit*, explico, dum in natura rerum continui casus atque vices rerum volvuntur.—*Sua tædia solus*, h. e. soli amantes relevare tædium, quo capiuntur, nequeunt. Crebra hujus sententiæ repetitio in sequentibus valde frigida, et parum conveniens naturæ et affectui Didonis est.

38. *Reparatum Cynthia format*, etc. Sic Divion. Vitiose *Quintia* in Salm. sed a manu recentiore *Cynthia*, ut in margine cod. Leid. Imitatur Horat. lib. IV, od. 7, 13: « Damna tamen celeres reparant cælestia lunæ ». Burmann. Et Ovid. Met. I, 11: « Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe ».

39. *Curvatis cornibus arcus*, h. e. cornibus ex arcu vel falcata facie sensim in orbem coeuntibus. Similiter Seneca in Med. v. 97: « Quum Phœbe solidum lumine non suo Orbem circuitis cornibus alligat ».

40. *Quod de fratre rubet: cessurus.* Sic recte Salmas. et Leid. male enim Divionens. *jubet, cessuris:* innuit enim lunam a sole fulgorem mutuari, quod apud poetas frequens. Burm. Higtius legebat *Quum de fratre rubet.*

41. *Consumit sua jura dies*, h. e. Sol justum diei cursum conficit.

43. *Mersum pallentibus umbris*, i. e. occidentem. Verbum *mergi* de occidente sole frequenter usurpari ostendimus ad Saleii Bassi carmen, v. 197.

44. *Circumdat nox atra*, hoc est, claudit et subsequitur *diem*. Hisce versibus locum illum Virgilii respexit Æn. IV, 522 seqq. « Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem Corpora per terras, silvæque et sæva quierant Æquora; quum medio volvuntur sidera lapsu, etc. » —*Fruiturque tenebris*. Salm. et Leid. *tenebras* recte, ne concurrant tot ablativi, et duo versus ingrato rhythmo *umbris* et *tenebris* finiantur: sic *frui ingenium* Terent. Heaut. II, 4, 21; ubi vid. Faem. « data possidere et frui » Phædr. lib. IV, fab. 4, 10, ubi vid. Schefferus, etc. Burm. Sed quemcumque casum hic ponas, quartum aut sextum, inepta phrasis est *nox atra fruitur tenebris*. Igitur malim legere *funditque tenebras*, vel *ruit atque tenebris*.

45. *Peraguntque micantia sidera cursus.* Ita optime in Salm. et Leid. cod. perperam in Divionens. schedis a manu sec. *cadentia sidera*, quod desumptum ex Virg. Æn. IV, 81, et II, 9, « suadentque cadentia sidera somnos »; cujus versus numerum

Digitized by Google

Navifragi tacet unda sali, nec murmurat Auster,
Nec flexum quatit aura nemus: *sua tædia solus*
***Fallere nescit amor:* ramis male garrula pendens**
Jam Philomela tacet, damno male victa pudoris;

hic auctor imitatur. *Micantia* proprie dicuntur sidera. Lucretius, lib. V, v. 1204: «Nam quum suspicimus magni cælestia mundi Templa super, stellisque micantibus æthera fixum». Seneca, Herc. Fur. v. 125: «Jam rara micant sidera prono Languida mundo». Burm.

46. *Navifragi tacet unda sali.* Sic emendavi: nam male *salis* in Divion. Salm. Leid. cod. *Navifragum salum*, ut *æquor navifragum* apud Nasonem, loco sane corruptissimo, Trist. V, 8, 11: «Vidi ego navifrago piratas æquore mergi»; ut quidem ex vestigiis codicum mspt. tentabat Heinsius vel *navifragum qui riserat*, quod alio loco me probasse memini. Sed bene F. O. Menckenius in Miscell. Lips. vol. IV, parte III, p. 538 et 539, observavit, *æquor navifragum* activo sensu dici, non item *hominem navifragum* passive, sed *naufragum*, ac proinde Heinsianis vestigiis insistens tentabat, «Vidi ego, naufragium qui risit, in æquore mergi, etc.» Burm. — Quod hoc loco *mare* et *Auster* tacere dicitur, id pertinet ad solennes poetis descriptiones noctis et nocturni silentii, qualem etiam habet auctor Ciris, v. 232: «Tempore quo fessas mortalia pectora curas, Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus». Ed.

48. *Ramis male garrula pendens.* Non aliter extricare potui vitiosam et truncam schedarum manuscripturam. In cod. Divion. legebatur cum asterisco *primis* * *garulam mane pendens*. In Salm. et Leid. *pinis garulam mane pendens*. Quod si quem offendat *male garrula*, quia sequitur *male victa* (pro quo vitiose in iisdem schedis *picta*), illud *mane* a poeta adversus metrum poni statuat, vel ex *mane* trajectis literis et deleta *e* rescribi posset *ramis nam garrula pendens*, quod præfero. Et confirmat conjecturam meam Virg. Georg. IV, 514: «Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen Integrat»; et Seneca, Herc. fur. 146: «Pendet summo stridula ramo, Pennasque novo tradere soli Gestit querulos inter nidos Thracia pellex». Burm. Difficile est, e corrupta hujus loci scriptura veram dictionem eruere. Voces *primis* et *pinis*, quæ in codd. sunt, suadere videntur, ut legamus *pennis male garrula pendens*, ut de Philomela et sorore in aves mutatis loquitur Ovid. Met. VI, 667: «Corpora Cecropidum pennis pendere putares, Pendebant pennis». Rursus *mane*, quod in scriptura codicum est, non negligendum, ab ipsoque auctore, quamvis vitiose, positum videtur. Mane enim aves cantare dicuntur, et auctor hoc loco vult, philomelam, quæ mane garrula esse soleat, noctu tacere. Hinc forte scripsit: «primo mane garrula, pendens Jam philomela tacet». *Garrula luce chelidon* est in Pentadii Eleg. de adventu veris, v. 17. Virgil. Æn. VIII, 455: «Lux suscitat alma, Et matutini volucrum sub culmine cantus».

Digitized by Google

Amplexuque fovens querulos sub culmine nidos
Pensat amore nefas, miserasque alitura querelas
Nocte premit, quod luce dolet : *sua tædia solus*
Fallere nescit amor : nunc jam bene junctus amantem
Ardor alit, thalamique fidem sua pignora complent :
Conjux læta viro, felix uxore maritus.
Vota recenset amor, secretaque dulcia ; somnus
Concordat cum nocte torum : *sua tædia solus*
Fallere nescit amor: fecundo semine rerum
Mutat terra vices, autumni temporis auras

50. *Amplexusque fovens querulos sub culmine nidos.* Hæc quoque corrupta in aliis edd. Tentabam « Adfectusque fovens querulos sub culmine nidi », ut per *adfectus querulos* intelligat *pullos*, vel *implumes fetus*, ut vocat Virg. d. l. ita *adfectus* de liberis ac filiis hominum passim dici notum est. Sed præstat codicis Divion. lectio, « Amplexuque fovens querulos sub culmine nidos » ; ut *nidos querulos* capiamus pro ipsis pullis aut fetu. Sic *querulos nidos* dixit Seneca, Herc. fur. v. 148. Ovid. Medic. Fac. 77 : « Addita de querulo volucrum medicamina nido ». Burm. — *Nidos* dici pullos avium olim notavimus ad Halieut. Nemesiani, v. 107, huj. operis t. I, p. 237. Ed. — Adde hoc Montani poetæ apud Sen. Epist. CXXII : « Jam tristis hirundo Argutis reditura cibos immittere nidis Incipit, et molli partitos ore ministrat ».

53. *Nunc jam bene junctus amantem*, ut Ovid. Heroid. XIII, 117 : « Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno, etc. » Catullus in carmine nuptiali : « Vos bonæ senibus viris Cognitæ bene feminæ ».

54. *Sua pignora complent*, officia amoris, quæ fidem conjugalem adstringunt magis et probant. Sic Virg. Æneid. III, 611 : « animum præsenti pignore firmat ».

56. *Vota recenset amor.* In Salm. et Leid. *recens et amor*, sed emendatum manu sec. *recenset.* Burm. Ego vero præferendum putem *recens et amor :* loqui enim videtur de conjugibus recens junctis, et recens amor validior.

57. *Somnus Concordat cum nocte torum*, h. e. somnus et nox uno toro concordes junxit. — Tale est quod auctor Pervig. Veneris, v. 3, *amores concordare* dixit, idque τῷ *nubere* conjungit : « Vere concordant amores, vere nubunt alites » ; ubi vide adnotata nostra tomo superiore, p. 514. Ed.

59. *Mutat terra vices, autumni temporis auras.* Salm. et Leid. cod. *et autumni.* Primum hemistichium debetur Horatio, Carm. IV, 7, 3 : « redeunt jam gramina campis, arboribusque comæ : Mutat terra vices » : reliqua etiam ex Horatio imitata esse, margini schedarum Salmas. adscripserat Heinsius, innuens sine dubio locum ex Arte Poet. 302 : « Qui purgor bilem sub verni

Digitized by Google

Læta vocat; spisso revirescit gramine campus,
Et vitreas ligat herba comas, nec fallit aristæ
Proventus meliore die: *sua tædia solus*
Fallere nescit amor: fessus juga solvit arator,
Et noctem per vota capit; reparare labores
Novit grata quies, nec cessat reddere vires

temporis auram »: ita enim illic legebat pro vulgato *horam*: quæ conjectura hoc loco egregie firmatur. Burm. Ejusdem loci Horatiani imitationem supra in Saleii carmine, v. 133, notavimus. Huic tamen Nostro non propositum est, quatuor anni tempora percensere, sed significat tantum, terræ fecunditatem veris et æstatis vicibus, quasi gradibus quibusdam, procedere ad proventum et ubertatem autumni.

60. *Læta vocat.* Eleganter terra dicitur *vocare auras autumni*, id est, provocare, jam venturum autumnum significare. Sic Virg. Georg. I, 388: « Tum cornix plena pluviam vocat improba voce »: atque hanc elegantiam verbi *vocare* pluribus illustrat Burmannus ad Virg. Georg. III, 193, ubi etiam vide Heins. Ita Phœnix dicitur *lucem voce ciere novam* in carmine Lactantii, v. 46, id est, cantando provocare; et *auroram vocare* Lucifer Ovidio, Metam. XI, 296. Cæterum in Salmas. *revivescit*, et in Leid. sed a manu sec. *reviviscit*, quod et in Divionens. schedis. Sed correxi *revirescit*. Hæ enim voces passim in MSS confunduntur; ut apud Cic. Philipp. III, cap. 1, « qui senatum dolent ad auctoritatis pristinæ spem revirescere »; ubi in aliis MSS et cod. Leid. *reviviscere*, quod et probabat Gruterus; sed recte *revirescere* prætulerunt Faernus, Muretus, Lambinus et Grævius. Et certe hoc in versu *reviviscit* metro adversatur. Burm.

61. *Et vitreas ligat herba comas, nec fallit aristæ*, etc. Forte *virides comas;* dein corruptissime in Divion. *nec fallidam * stans.* In Salm. *nec fallit aristas proventum meliore diem;* et sic Leid. sed in quo *die*, ut et in Divion. An scribendum *nec fallit aristas Proventu meliore dies.* Burm. Etiam *ligat herba comas* mihi suspectum est. Lego *Et virides levat herba comas*, vel *Et vites ligat arbor amans, nec fallit aristæ Proventus meliore die*, i. e. tempestate.

64. *Et noctem per vota capit.* Mallem *rapit*, quod aratori fesso, et parcissimo somno membra ad matutinum laborem reparanti melius convenit. Frequenter has voces confundi in MSS notare supersedeo: sed præstat ubique *rapere*, ubi temporis compendium fit, et celeritas indicatur. Horatius, Carm. III, 8, 27, « dona præsentis rape lætus horæ »; ubi quidem Bentleius *cape* præfert, sed major codicum pars in alteram et elegantiorem lectionem conspirat. *Rape* illic est, ne sinas inutiliter præterlabi, ut Epod. XIII, 3, « rapiamus amici Occasionem de die, etc. » Burm.

65. *Reparare labores Novit grata quies.* Sic edidi ex optimo codice Divion. Vitiose in Salmas. *Non vi-*

Digitized by Google

Infusus per membra sopor, noctisque ministram
Ruricolis dat semper opem : *sua tædia solus*
Fallere nescit amor : reparant sua litora ponti
Successus post damna suos, perituraque ludunt
Incrementa maris dubii; regit æquora fluctus
Lite sua, vicibusque suis, quod deperit, auget.
Officiis natura vacat : *sua tædia solus*
Fallere nescit amor : gemmatis roscida Vesvi

brata quies, nec aliter in cod. Leid. sed in margine a manu recentiore *Novit grata*. Passim apud poetas *labor* et *quies* alternare vices hominum laboriosorum, et somnus operi eos reparare dicitur. Apposite Ovid. Metam. XI, 625, in descriptione Somni : « Somne, quies rerum, placidissime, Somne, Deorum, Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis Fessa ministeriis mulces, reparasque labori ». Et auctor Elegiæ in obit. Mæcen. v. 99 : « Lux est, taurus arat; nox est, requiescit arator ». Burm.

66. *Noctisque ministram. Ministra* legit Oudendorpius, *quies* nempe, vel *minister*, sopor : sed non inelegan-ter sopor dicitur dare *noctis opem ministram* adjective ; ut *dextra sensus ministra* Ovid. Epist. XVIII, 24, et *lumina propositi ministra* Epist. XXI, 114, et alibi. Burm.

68. *Reparant sua litora*, id est, litora defluentibus undis nudata redeunte mari rursus complent. Loquitur de æstu maris reciproco.

70. *Regit æquora fluctus*. Malim *fluxus* et deinde *lege sua* pro *lite*. Hoc enim poscit præc. *regit*, quod τῷ *lite* non aptum est, et descriptio fluxus refluxusque maris, quam dat Claudianus, VI Cons. Hon. 496 : « certis ubi legibus advena Nereus Æstuat, et pronæ puppes nunc amne secundo, Nunc redeunte vehit : nudataque litora fluctu Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis ».

72. *Officiis natura vacat*. Higtius concinnabat, « quod deperit, auget Officiis natura vacans ».

73. *Gemmatis roscida Vesvi*. Ita recte, vel *Vesbi*, me emendasse arbitror ex vestigiis Salmasiani, Divion. et Leid. codicis, in quibus *visvi* vel *vesvi* legebatur. Agris enim amœnissimis viret hic Campaniæ mons Vesuvius; vid. Martial. lib. IV, ep. 44, ubi in MSS *Vesbius* vel *Vesvius* scribitur, ut passim poetis antiquis dicitur. Burm. Ego vero persuadere mihi non possum, Vesvium hoc loco pro quovis agro amœnissimo nominatum, quem proverbio ita usurpatum ab aliis poetis non memini, neque auctor hujus carminis, quamvis minime bonus poeta, tam ineptus tamen et imprudens homo existimandus est, ut Didonem in epistola dicat Vesuvium laudare, quæ nec Italiam, quam Æneas quærebat, noverat. Itaque in codicum scriptura quidvis aliud, quam Vesvius, quærendum est. Quin ipsum illud retinemus et probamus, quod scriptura offert, et legimus *roscida visu* vel *visui prata*, h. e. quæ videnti roscida et rore

Digitized by Google

Rident prata rosis, et floribus arva tumescunt.
Pictus ager sub flore latet, dat fronte coronas
Lascivis natura rosis : *sua tædia solus*
Fallere nescit amor : nec grata silentia noctis,
Nec somni pia dona placent, nec munera lucis
Carpit, et inducias fugientis non capit anni;
Sed sua victus amor tantummodo vulnera pascit
Inter mille dolos, totidemque piacula fraudis.
Nota queror : vellem placidis peritura querelis
Flere domo, vellem tacitos profundere fletus.

micantia apparent et quasi arrident. Nisi hoc placet, scribe *roscida ubivis Rident prata rosis*, quæ lectio ex ipsis literis scripturæ facile elicitur. Vid. Heins. ad Ovid. Met. XV, 201.

74. *Arva tumescunt. Tumescit* male in Salm. et Leid.

75. *Pictus ager sub flore latet.* Multo elegantius sit, si scribamus *sub flore patet.*

76. *Lasc. n. rosis.* Forte præstaret *notis*, quia *rosis* modo præcessit, et ex cod. Divion. prætuli *dat fronte coronas;* licet in Salm. et Leid. *dat fronde coronæ.* Oudendorpius tentabat *dat frondea robur Lascivis natura rosis.* Buam. Sed fortasse emendatio hujus commatis tota inanis est, siquidem post *coronas* integer versus excidisse videtur. Documento est, quod versus intercalaris *sua tædia solus*, etc. hic non totidem versus interpositos habet, ac superioribus in spatiis.

79. *Et inducias fugientis non capit anni*, i. e. nullo tempore intermittitur, nunquam ita minuitur, ut vacatione aliqua aut remissione gaudere possim. Tale est hoc Ovidi Trist. IV, 6, 21 : « Nec quæsita tamen spatio patientia longo est; Mensque mali sensum nostra recentis habet ».

80. *Tantummodo vulnera pascit;* ut Virgil. Æn. IV, 2, « Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni ». Supra in Petronii carmine V, v. 20: « Cor grave vulnus alit nullo sanabile ferro ».

81. *Piacula fraudis.* Schraderus conjiciebat *pericula fraudis.*

82. *Nota queror : vellem placidis.* Castigavi hic schedarum scripturam corruptam. *Vota queror* legebatur in Salm. Leid. et Divion. cod. male : sic *Nota cano* . Ovid. Art. Am. I, 297; *Nota loquor* lib. II, Met. 570. Tibull. lib. II, 6, 41 : « Nota loquor; regnum ipse tenet, etc. », deinde pro *tacitis querelis*, quod est in Salm. et Leid. *placidis* legendum ex Divion. vel *placitis* cum cl. Oudendorpio. Buam.

83. *Vellem tacitos profundere fletus :* sic in Divion. habetur, sed cum signo asterisci. In Salm. et Leid. cod. *tacito sumere;* unde forte legendum *tacitos consumere fletus*, id est, exhaurire, privatim devorare dolorem, ac fletus combibere. Sic *consumere* de iis, quæ irrito conatu perdimus, ut *consumere preces*, pro

Digitized by Google

Sed negat ipse dolor, quod jam pudor ante negavit.
Scribere jussit amor; miseram me, cujus honestam
Fecit culpa fidem: poteram dispergere ponto
Membra manusque tuas, miseramque tumentibus undis
Præcipitare diem; poteram crescentis Iuli
Rumpere fata manu, parvumque resolvere corpus
Morte gravi, mersumque in viscera figere ferrum,
Vel dare membra feris; sed nostro pectore pulsum
Crescit amore nefas, et honesta pericula passus
Corda ligavit amor: quis vellet in hospite tantum
Hoc audere nefas? quis vota nocentis habere?
Nullus amor sub laude latet: *cui digna rependes*,

incassum fundere, apud Ovid. Met. VIII, 106: « Consumptis precibus violentam transit in iram »; ibid. II, 575: « utque precando Tempora cum blandis consumpsit inania verbis », ubi vide notas. Burm.

86. *Miseram me, cujus honestam Fecit culpa fidem*, h. e. miseram me, quæ culpa mea honestum hospitii et conjugii fœdus cum Æneа feci, cujus fide nunc impedior, quominus nefas aliquod in eum cogitare et me ulcisci possim.

87. *Miseramque tumentibus undis Præcipitare diem.* Ita quidem in schedis Msptis; sed quia *miseram* modo præcessit, præferrem *seramque tumentibus undis Præcipitare diem*, id est, properare mortem: simile mendum sæpe corruptis Veterum locis abstulerunt viri eruditi. — Cæterum totus hic locus Nostri satis feliciter expressus est ex illis Didonis ad Æneam apud Virg. Æn. IV, 600: « Non potui abreptum divellere corpus, et undis Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro Ascanium, patriisque epulandum apponere mensis! » Burm.

90. *Morte gravi.* Salmas. et Leid. *Mox te;* sed *morte* corrigebat Heinsius, quod clare legitur in Divion. mox *mensa feris* Salm. sed *membra* a manu rec. et in margine Leid. *membra focis* Divion. Burm.

91. *Sed nostro pectore pulsum Crescit amore nefas*, h. est, quum omne nefas a meo animo alienum est, tum hoc ipsum majus et atrocius futurum esset, si in virum abs me amatum committere vellem. Data hac interpretatione nosce infantiam inscitiamque eloquendi hujus poetæ, sicut in his sequentibus, *et honesta pericula passus Corda ligavit amor:* ubi hoc vult: Et amor meus in Æneam, quo majus et honestius periculum subit ejus amittendi, hoc tenacius me ei devincit atque alligat. Pro *crescit amore* Schraderus et Higtius reposuerunt *Cessit amore*, sed hoc minus probabile ob concurrentes in una constructione plures ablativos.

94. *Hoc audere nefas:* ita recte Divion. *audire* male in Salmas. et Leid. Burm.

95. *Nullus amor sub corde latet.*

Digitized by Google

Si mihi dura paras? miserandæ fata Creusæ
Lamentis gemituque trahens, infanda peregit
Vota Deis, durumque nefas, sortemque malorum,
Te narrante, tuli, gemitus mentisque dolorem,
Et lacrymas prior ipsa dedi; *cui digna rependes*,
Si mihi dura paras? dulcis mea colla fovebat
Ascanius, miserumque puer * fovebat amorem;
Cui modo nostra fides amissam reddere matrem
Dum cupit, hoc verum mentito pignore nomen
Format Amor; gemitusque graves atque oscula figit

Ita edidit Burmannus; sed *laude* in Salmas. et Leid. est, idque nec aspernatur Burmannus, et ego isti præferendum arbitror, faciliusque explico, quam illud *sub corde*. Nempe qui laudis et honestatis rationem habet amor, nunquam latere et dissimulari cupit, sed sponte se prodit.

96. *Miserandæ fata Creusæ*. Hæc per exclamationem legenda putabat cl. Oudendorpius, « miserandæ fata Creusæ! Lamentis gemituque, etc. »; et tum v. 99 corrigebat *tulit* Creusa nempe; ut sequentia Didonis sint ad Æneæ narrationem se ingemuisse dicentis. Burm.

97. *Lamentis gemituque trahens. Lamenta* Salm. et Leid. sed in quo *Lamentis* a manu sec. *Lamento* Heinsius, non opus est. Imitatur Virgilium, Æn. IV, 667: « Lamentis, gemituque, et femineo ululatu Tecta fremunt ». Paullo post *Vota dies* in Salm. et Leid. sed *Deis* in marg. ut legitur in cod. Divion. Burm. Obscura hæc omnia et inepte expressa verbis, ut sensum difficulter extrices. Mihi videtur Dido hoc velle, se miserandæ fata Creusæ, aliaque mala, audientem, narrante Ænea, infando dolore commotam illacrymasse, et vota Deis multo cum gemitu peregisse, pro ejus et sociorum salute. Itaque versu 97 lego *peregi*; et versu 99 *tuli* explico moleste tuli. Aliter totum hoc non expedio.

102. *Miscrumque puer fovebat amorem*. Ita in schedis manuscriptis contra metrum, et ingrato ejusdem vocis recursu: forte *fallebat*, ut innuat Cupidinem, qui pro Ascanio Didonem elusit. Ita enim Venus apud Virg. Æn. I, 692, ad Cupidinem: « Falle dolo, et notos, puer, indue vultus.... Quum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet, Occultum inspires ignem, fallasque veneno ». — Sic *fallere* apud Ovid. Fast. II, 397. Ed.—Cel. Oudend. videbatur emendandum *figebat*, vel *faciebat* aut *fingebat*. Burm. — *Fingebat* probabile est, quod vs. 105 sequitur *Format*.

104. *Hoc verum mentito pignore nomen Format Amor*. Amor seu Cupido mihi pro filio appositus, dum mentito pignore, blanditiis simulatis, vehementem amorem mihi inspirat, efficit, ut verum nomen matris, et affectum pietatis induam, gemitus graves edens, et pia oscula figens.—*Amor* igitur pro Cupidine, majore litera scribendum putavi. Ed.

Digitized by Google

Confessus pietate dolor : *cui digna rependes*
Si mihi dura paras? nostri modo litoris hospes
Nudos distuleras dispersa clade per undas
Naufragus : ut taceam classes, quascumque videbar
Impendisse tibi; licet hæc tibi cuncta fuissent,
Regna tamen Carthago dedit : *cui digna rependes,*
Si mihi dura paras? nihil est quod dura reposcent,
Nec quidquam donasse velim, quod perdere possem.
Nunquam damna volo, vel hoc mihi, perfide, redde,
Quod sibi debet amor, si nil pia facta merentur.
Esse Deos natura docet, non esse timendos
Rerum facta probant : quid enim non credere possum?
Tutus fraude manes, et nos pietate perimus.

107. *Nostri modo litoris hospes*, etc. Hæc e querela Didonis apud Virg. Æn. IV, 373, expressa sunt : « Ejectum litore, egentem Excepi, et regni demens in parte locavi. Amissam classem, socios a morte reduxi ».

108. *Dispersa clade per undas* : ita ex Divion. legendum, et seq. versu *classes*, ubi in Salm. et Leid. *clades quascumque videbor*. Burm.

110. *Licet hæc tibi cuncta fuissent* : sic Salm. et Leid. *juncta* Divion. Burm. referente, quod probo. Ed.

112. *Nihil est quod dura reposcent*. Fortasse legendum *quod jura reposcent*, aut *quod jure reposcam*. Possis etiam *Nihil est, quod dona reposcam*, quæ tibi tribui : cui congruit, quod sequitur, *Nec quidquam donasse velim*.

113. *Nec quidquam donasse velim*. Divion. *donare*. Salm. et Leid. *quæ*, et v. seq. *voco*. Burm.

115. *Si nil pia facta merentur* : ita scribendum putat Burman. ex cod. Leid. et Salm. *fata* Divion.

116. *Esse Deos natura docet*, etc. Frequens hæc Veterum expostulatio, Deorum providentiam negantium, quod mali salvi sint, nec scelus pœna sequatur. Cicero de Nat. Deor. III, 34, inter plura alia hoc refert : « Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret ». Talis est querela Herculis apud Ovid. Met. IX, 203 : « At valet Eurysthæus, et sunt qui credere possint Esse Deos ». Idem, Amor. III, 3, 1 : « Esse Deos, i, crede : fidem jurata fefellit, Et facies illi, quæ fuit ante, manet » ; atque ibid. 9, 35 : « Quum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso, Sollicitos nullos esse putare Deos ».

117. *Quid enim non credere possum?* sic Divion. *credere non* Salm. et Leid. Burm. Higtius volebat *quid enim nunc credere possum?*

118. *Tutus fraude manes*. Ita castigandam arbitror vitiosam Salm.

Digitized by Google

Improbe, dure, nocens, crudelis, perfide, fallax,
Officiis ingrate meis; quid verba minantur?
Non odit qui vota dolet, nec digna rependit
Quidquid læsa gemit: tibi me permissus habetur
Lege pudoris amor, cui tanta dedisse recusem,
Sceptra, domum, Tyrios, regnum, Carthaginis arces,
Et quidquid regnantis erat: de conjuge, fallax,
Non de jure queror, meritum si non habet ardor:
Sed quod hospes eras, ne te magis esse nocentem,
Quam miserum, Trojane, puto, qui digna repellis,
Sum* non digna cupis: nondum bene siccus ad æquor
Curris, et extremas modo naufragus arripis undas.

Leid. et Divion. codicum scripturam, in quibus, sed apposito asterisco, mendi indicio, legebatur, *Totus frauda manes:* hic bene etiam cl. Oudendorpius *at nos pietate perimus.* Burm.

121. *Non odit qui vota dolet,* h. e. qui de alterius mala voluntate, mala fide, dolet et queritur, non propterea odit. Hoc promptum videtur ex epistola Ovidiana Didonis Her. VIII, 27: «Ille quidem male gratus et ad mea munera surdus; ... Non tamen Æneam, quamvis male cogitat, odi: Sed queror infidum, questaque pejus amo».

122. *Quidquid læsa gemit:* ita in Divion. *lexa* Salmas. et Leid. unde *plexa* conjiciebat Heinsius: mox corrupte Salm. et Leid. *tibi me peremissus habetur Lege pudoris amor:* sed corrige cum cl. Oudendorpio, *tibine impermissus habetur Lege pudoris amor?* amor autem impermissus est inconcessus, interdictus, ut apud Horat. Carm. III, 6, 27: «Cui donet impermissa raptim Gaudia, luminibus remotis». Burm.

123. *Cui tanta dedisse recusem:* sic Salm. et Leid. *Creusam* Divion. Burm.

126. *Meritum si non habet ardor,* hoc est, si nihil propterea merui, quod te amavi et amo, falsa sane sum, quod de conjuge queror, non perinde, quod de jure, hospitii nempe, de quo mox. — *Fallax* igitur præcedente versu pro *falsa* videtur positum, vel legendum est, *falso* queror de conjuge.

129. *Sum* non digna cupis, nondum bene.* Hæc est Salm. Leid. et Divion. cod. scriptura cum asterisci signo. Nisi quod *nudum* in Divion. pro *nondum* legi posset. Heinsius tentabat, *qui digna repellis, Somno digna cupis:* sed verissimam esse cl. Oudendorpii emendationem, *qui digna repellis, Dum non digna cupis,* patebit ex iis, quæ Æneæ scribit Dido apud Ovid. Epist. VII, 10 seq. Burm. Ad vocem *cupis* videtur nota interrogandi ponenda, ut sensus sit, *qui* fit, ut *digna,* quæ ut hospes meruisti, *repellas, dum non digna cupis?*

Digitized by Google

Tutior esse times, et honesta pericula poscis,
Quum mala vota cupis: solus tibi dura profecto
Damna paras, fugis, ecce fugis, nostrosque penates
Deseris, et miseram linquis Carthaginis aulam,
Quæ tibi regna dedit, sacro diademate crines
Cinxit, et augustam gemmato sidere frontem
Complevit, nostrumque tibi commisit amorem.
Nil, puto, majus habes, et adhuc sine conjuge regnat,
Æneas ingrate, meus, negat ira dolenti
Consilium, sed præstat amor: mea vulnera vellem
Fletibus augeri, sed jam discrimine mortis

131. *Honesta pericula nescis* alii. Scribendum esse *poscis* existimo: id vult antecedens *Tutior esse times*, h. e. times eum locum, regnum meum, quo tutior esse queas; contra *honesta pericula poscis*, periculis te committere aves, quibus superandis honorem acquiras. Hinc non apta videtur emendatio Higtii, qui reposuit, *Tutior esse timens, inhonesta pericula poscis.*

132. *Quum m. v. cupis:* repetitum ex v. 34, «vota nocentis habes». Bd.

136. *Et augustam gemmato sidere frontem:* sic Salm. et Divion. *gemmatos* vitiose in Leid. Burm.

138. *Nil, puto, majus habes,* nempe illo amore, quem, ut ante dictum est, commisi tibi. — *Et adhuc sine conjuge regnas,* hic omnino legendum est *regnat,* ut respiciat ad sequens *meus*, amor scilicet, qui aliter, quo referatur, non habet. Hac emendatione egregia sententia emergit. Commisi tibi amorem meum, qui tua caussa omnia facit, et, puto, nihil eo majus habes: quamvis enim te conjugem habere nequeam, ecce tamen regnat adhuc ille amor meus; omne quod implorat, perficiet: ille *dolenti* mihi *præstat consilium,* quod *ira negat.*

139. *Regat ira dolenti Consilium:* ita Salmas. et Leid. *ligat* in Divion. male. Sic in veteri epigramm. apud Pithœum, lib. I, ut proferunt nonnulli: «Iratus rege te, quod nobilis ira leonis In sibi prostratos se negat esse feram»; ubi tamen Pithœus et alii ediderunt *Iratus recolas*, etc. Burm. Sed legendum hic esse *negat ira,* superiora nota diximus. *Negat ira consilium, sed præstat amor* significat, amor meus ita imperat iræ, ut, quod hæc fortasse suadeat, exsequi nolim; malim autem, quod amor.

140. *Mea vulnera vellem Fletibus augeri, sed jam.* Idem ab initio dixit vs. 3: «Si modo flere vacat: nam me magis improba mortis Fata vocant».

141. *Sed jam discrimine mortis Victa feror.* Sic Divionens. Corrupte in Salm. et Leid. *fessos:* sed *feror* e manu rec. in margine: imitatur denuo illud Virg. Æn. lib. IV de Didone: «feror ingenti circumdata nocte»; et vs. 376, «Heu! furiis incensa feror». Sequenti versu *de*

Digitized by Google

Victa feror, neque enim tantus de funere luctus,
Quantus erit de fratre : licet simul improbus exsul,
Et magis hospes eras, et ubique timendus haberis,
Vive tamen, nostrumque nefas post fata memento.

funere edidi ex Divion. et Leid. codice : *defendere* in Salm. Burm.

143. *Quantus erit de fratre.* Obscurum hoc juxte ac durum est, quod Burmannus, ne explicaret, more suo prætermisit. Dubium enim est, utrum de Pygmalione, fratre Didonis, quem fugerat, intelligendum sit, an de Amore, fratre Æneæ, qui Didoni infelicem et exitiabilem amorem inspiraverat. Si prius adsumamus, hic sensus erit : neque enim nunc mihi tam luctuosa mors erit, quam olim scelus fratris fuit, quem fugere coacta sum ; sin alterum, hoc dicere Dido videtur : neque enim tantum mors mea lugenda erit, quantum fuit Amor infelix. Prior interpretatio mihi liquidior videtur. Hinc lego *Quantus erat de fratre.* Verba *licet simul improbus* majore distinctione, quæ in texto Burmanni non est, a præcedentibus separavi, quia hic nova oratio incipit.

144. *Et magis hospes eras :* forte *eas :* quod probabat cl. Oudendorpius, et pro *haberis* legebat *ameris*. Burm. Sed utraque emendatio aliena, et contra sententiam auctoris est, quæ sine ulla correctione satis aperta est. Ed.

145. *Vive tamen*, etc. Pariter Dido apud Ovidium, Epist. VII, 63 : « Vive, precor, sic te melius, quam funere, perdam : Tu potius leti caussa ferare mei ». Pro *fata* in cod. Salm. et Leid. *facta*, male. Burm.

Digitized by Google

AD DUO EPITHALAMIA,

QUÆ SEQUUNTUR,

PRÆFATIO

DE

VETERUM EPITHALAMIORUM AUCTORIBUS ET DIVERSA RATIONE.

EPITHALAMIA, seu carmina nuptialia, ab antiquissimis temporibus tam celebrata poetarum Græcorum et Romanorum studiis sunt, ut, quæ hic proferimus, Epithalamia Latina, operæ pretium sit, cum aliis, partim antiquioribus, conferre, indeque rationem eorum aut discrimen ostendere. Plerosque epithalamiorum veterum auctores recensent Mart. Ant. Delrius, Syntagm. Trag. part. III, p. 27; Andr. Schottus in notis ad Procli Chrestom. poet. p. 49, et Thom. Crenius, Animadv. Philol. part. IX, cap. 3, § 5, p. 196; sed his plures alios addere licet, quos isti præteriunt. Ut Deorum Dearumque nuptias sileam, quas Græci veteres non solum carminibus, sed et sacris publicis celebrarunt, quasque Θεογάμια vel ἱεροὺς γάμους appellabant, ut Jovis et Junonis, Ætheris et Terræ, Plutonis et Proserpinæ, Martis et Veneris, Bacchi et Ariadnes, Herculis et Hebes, connubia heroum et virorum illustrium inprimis poetarum antiquorum ingenia exercuerunt (1). Celebratissimum sine dubio

(1) *Nuptias* diversorum poetarum dramatibus inscriptas memorat Casaubonus in Animadv. in Athen. lib. III, cap. 15. Antiphanis drama Γάμος appellatur lib. IV Athenæi. Alius poeta Diphilus Γάμους comœdiam

Digitized by Google

in his connubium Pelei et Thetidis est, in quos Epithalamium scripsisse Hesiodum, testatur Isacius *Tzetzes* in Prolegom. ad Lycophron. et alio loco, pag. 38, edit. Basil. Agamestoris Pharsalii in easdem nuptias carmen laudat. Neque dubium est, Catullum in scribendo Epithalamio Pelei et Thetidis istos poetas sequutum esse, nisi superavit. Cadmi et Harmoniæ nuptias a poetis Græcis multum decantatas, facile probant Theognidis vers. 16, et Aristidis, Orat. Platon. sec. tom. II, p. 296, verba, quibus Apollinem et Musas dicunt in iis nuptiis carmen cecinisse; tum Pindari locus, a Luciano in Demosthenis encomio, Opp. tom. III, p. 505, prolatus, quo γάμον λευκωλένου Ἁρμονίας inter celeberrima Thebarum facta a se celebranda refert. Vid. Carm. Pindar. fragm. Schneideri, p. 45. Helenæ Epithalamium cecinit Theocritus, Idyll. XVIII, quod et Stesichorum antea scripsisse, scholiastes ad eum locum monet. Iis adjungi potest Colluthus de Raptu Helenæ agens. Achillis et Deidamiæ Epithalamium, quamvis truncatum, est in Idylliis Bionis Smyrnæi. Nec omittenda est Musæi de Leandri et Herus amoribus narratio. Sapphonis etiam odas quasdam *Epithalamii* inscriptionem habuisse testatur Dionysius Halic. ἐν τέχνῃ, cap. 4, περὶ μεθόδου ἐπιθαλαμίων. Et Scaliger in notis ad Catulli Epithal. Juliæ et Manlii ex Servio nondum excuso hæc ex Sapphonis ἐπιθαλαμίοις verba citat, Χαῖρε δὶ νύμφα, χαῖρε τίμιε γαμβρέ· quod carmen ejusdem metri esse, ac Catulli, ait. Et epithalamium Catulli de Hespero ex Sapphone redditum esse affirmat Vossius ad Catullum, p. 189. Sapphonis ἑσπέριον ᾆσμα citat Himerius Sophista a Wernsdorfio, meo fratre, editus, Oratio XIII, 9, p. 600. Latinorum ejus generis carminum, præsertim superstitum, fere major numerus. *Licinii Calvi* Epithalamium citat Priscianus, lib. V, p. 658 Putsch, et ex eo hæc verba refert: *Hesperium ante jubar quatiens.* Ab

suam inscripserat, teste Athenæo, lib. VI. E Latinis tres dramaticos poetas *Nuptias* docuisse invenio, Pacuvium, Pomponium, Laberium. Hæc Casaubonus. Wernsd. in Addendis. Ed.

Digitized by Google

eodem Prisciano *Ticidæ* Hymenæum laudari notavit Delrius, Synt. Trag. l. c. quem tamen locum in Prisciano sibi succurrisse negat Crenius l. c. ego vero inveni, p. 673, sub nomine Atticidæ verba hæc ex Hymenæo adduci: *Felix lectule talibus sole amoribus.* Quod fragmentum cum alio Ticidæ, ex Suetonii vita Valer. Catonis ducto, sub C. Ticidæ nomine profert Stephanus in Fragm. Poet. vet. p. 421. *Valerii Catulli*, præter illud Pelei ac Thetidis, duo leguntur Epithalamia carmine LXII et LXIII: alterum in nuptias Juliæ et Manlii incipit *Collis o Heliconii cultor, Uraniæ genus;* alterum, quod inscriptione nominum caret, sed Epithalamium a Quintiliano, lib. IX, cap. 3, vocatur, *Vesper adest, juvenes, consurgite.* Judice Crenio multa in Catullianis est festivitas, et pura Venus e vero Latio; et Epithalamium Manlii, Barthius ad Claudianum, pag. 789, ait, Veneris et Gratiarum manibus scriptum esse. In *Senecæ* Medea, actu I, chorus mulierum Corinthiarum Jasonis et Creusæ nuptiis hymenæum canit. In *Papinii Statii* Sylvis, secunda libri I est Epithalamion Stellæ et Violantillæ sane luculentum, illustri simul et gravi narratione, cujus exemplum posteriores Epithalamiorum scriptores fere omnes imitati videntur. De *Gallieno Imper.* Trebellius Pollio, cap. XI, refert, quum fratrum suorum filios conjugaret, et omnes poetæ Græci Latinique epithalamia per plurimos dies dixissent, ipsum manus sponsorum tenentem recitasse aliud, quod inter centum poetas præcipuum fuerit. Partem ejus sive summam epithalamii eodem loco recitat Pollio. Cui Salmasius in notis aliud simile et breve *Aviti* poetæ e codice vetusto epigrammatum nondum edito adjungit: Burmannus utrumque hoc in Anthol. Lat. lib. III, ep. 258 seqq. repetens, tertium addit Epithalamium ignoti auctoris itidem breve. *Ausonii* Centonem nuptialem J. C. Scaliger, Poet. lib. III, p. 391, inter carmina nuptialia Veterum refert; quod mihi jure non videtur fieri. Non enim gratulationem aliquam, laudem sponsorum, aut acclamationem votivam, quam ejusmodi

Digitized by Google

carmina solent, sed meram narrationem ritus nuptialis, ipsiusque adeo imminutionis, e laciniis Virgilianis lascive compositam continet, nec aliquam ingenii, sed memoriæ, tot verba e Virgilio committentis, venam ostendit. Quanta in Ausonii Centone nuptiali lascivia, tanta sanctitas in ejus amici *Paullini* Epithalamio regnat, quod in Julianum, episcopi Memoris filium, et Iam, uxorem ejus, scripsit, totumque exhortatione ad castitatem et sanctimoniam, præceptis et exemplis sacrarum literarum confirmata, implevit. Præcipua laude digna sunt *Claudiani* duo Epithalamia, quorum alterum Honorio Imper. et Mariæ scriptum est, et Fescenninorum odas quatuor adjunctas habet; alterum Palladio et Celerinæ. In illis Claudianum Catullo et Statio neque numeris, neque inventionibus cedere judicat Th. Crenius, l. c. pag. 198. Inferior Claudiano elegantia et nitore carminis, sed minus inventione, est *Sidonius Apollinaris*, cujus inter poemata duo Epithalamia exstant, unum Ruricio et Iberiæ dictum, carm. XI, alterum Polemio et Araneolæ, carm. XV. His subjungimus *Magn. Fel. Ennodii*, episcopi Ticinensis, Epithalamium Maximo V. S. dictum, quod inter Ennodii Poemata sacra, emendata notisque illustrata ab Andr. Schotto, Tornaci, 1610, in-8, pag. 71 seq. et e recensione Jac. Sirmondi, lib. I carm. 4, in Bibliotheca Patrum maxima Lugdunensi tomo IX, pag. 417 legitur. Nec omittendum est *Venantii Honorii Fortunati* carmen heroicum de nuptiis Sigiberti regis et Brunichildis reginæ, quod inter carmina ejus, a Christoph. Browero, Moguntiæ, 1603, edita, libro VI, n. 2, exstat. Ultimo loco, nominare possumus et *Martianum Capellam*, qui libro IX Satyrici, pag. 305 edit. Grot. Hymenæum facit carmen nuptiale canere.

Carminum, quæ hactenus enarravimus, non omnium una ratio idemque argumentum est, et quamvis ea in libris plerumque inscribi et nominari Epithalamia soleant, proprie tamen id nomen paucis tantum eorum, quæ memoravimus,

Digitized by Google

debetur, si ad Epithalamii, quam Veteres tradunt, significationem attendimus. Nam ut Proclus in Chrestom. poet. et scholiastes Theocriti ad Idyll. XVIII monet, epithalamium novis nuptis thalamum ingressis virgines, aut cum virginibus pueri, thalamo adstantes, concinebant. In hoc et jocis nuptialibus ludebant, sponso sponsæque gratulabantur, admixtis utriusque laudibus, iisque bene precabantur, ingeminato Hymenæi nomine. Unde et hoc carmen Hymenæum subinde dici et Fescennina arbitror. Hoc sensu e Latinis, quæ recensuimus, carminibus verum et certum Epithalamium nullum erit, nisi Claudiani in Nuptiis Hon. et Mariæ, quod Fescennina inscribitur, et quæ ex Senecæ Medea et Martiano Capella allegavimus. Catulli Epithalamiis litem de eo nomine movet Muretus, qui in comment. ad carmen LXII, sic scribit: « Est hoc carmen quidem nuptiale, neque tamen proprie epithalamium: nam epithalamia canebantur a virginibus, quum jam nova nupta in lecto viri collocata esset..... At hoc versu et puellæ ipsæ admonentur, ut canant, et tota nuptialis pompa describitur, ut, quemadmodum ante dixi, epithalamium esse vix possit: nisi quis Epithalamii nomine latius accepto, omne nuptiale carmen significari putet». At Muretus Epithalamii notionem arcte nimis circumscribit. Sufficit in Catullianis inesse carmen illud, sive hymenæum, qui canebatur, in eoque ea omnia dici, quæ in epithalamiis solebant. Poetæ ingenio et arbitrio relictum est, utrum hæc a virginibus puerisque cantata tantum referre, quod Theocritus in Epithalamio Helenæ fecit, an vero ipse quasi præcentorem chori agere, et Fescennina vel vota sponsis canenda quasi dictare et præire verbis velit. Hoc Catullus utroque in carmine, sed in priore fusius, et ad omnem pompam nuptialem accommodate, in posteriore brevius, sponsis jam in thalamum deducendis, agit. Cæterum si reliquorum poetarum a nobis memorata epithalamia cum Catullianis conferantur, haud exigua eorum diversitas percipitur, apparetque, Epithalamii nomen in his quidem latiore signi-

Digitized by Google

ficatione accipiendum esse pro quovis carmine nuptiali. Quod discrimen animadvertens J. C. Scaliger, Poet. lib. III, cap. 101, pag. 390 seq. carmina nuptialia ita distinguit, ut dicat, aliud in ipsis nuptiis, in convivio, vel post cœnam cani, qualia sunt scolia et epithalamia; aliud genus apud poetas esse, quo res ipsa, h. e. nuptiarum apparatus et pompa describitur. Hujus generis apud Græcos illud Musæi de Leandro esse dicit, inter Latinos Statii, Claudiani, Ausonii. Addit postremum genus, quod mixtum est ex narratione; quale pulcherrimum illud Catulli sit Epithalamium Pelei et Thetidis. Ego vero postremum hoc et mixtum genus vix admiserim, quum, quod unicum ejus exemplum est, Epithalamium Pelei et Thetidis, non ad carmina nuptialia proprie dicta, sed ad fabulas poeticas, quomodo et Musæi Leander et Claudiani Raptus Proserpinæ, referri mereatur, et si Catullus in eo carmen a Parcis cantatum refert, propterea a narratione non discedit, nec epithalamium canit. Et contrarium plane Scaligero statuit Achilles Statius prima adnot. ad hoc carmen: *Sunt, qui epithalamium hoc esse nolint, quod abest puerorum puellarumque canentium chorus.* Quod si vero Epithalamium dicendum est, commode altero illo genere, quo res ipsæ nuptiales et sponsorum laudes referuntur, contineri potest. Ejus generis omnia sunt Epithalamia, quæ post Catullum a Pap. Statio et sequentibus scripta sunt. Statius nempe festivum Catulli genium deseruit, et vetus epithalamium in carmen panegyricum convertit, ubi poeta sponsi sponsæque studia, curas, desideria commemorat, laudes utriusque et dotes animi corporisque explicat, nuptiarum apparatum et celebritatem describit, blande etiam sponsos compellat, ad amorem mutuum, concordiam, blanditias exhortatur: denique bene ominatur, vota facit, sobolem pollicetur. Hanc rationem fere omnia sequuntur Epithalamia Latinorum, ita tamen, ut aliæ amantium post longa desideria conjugationem felicem, Deorum auspiciis factam, tum nuptiarum pompam et

Digitized by Google

celebritatem præcipue memorent, aliæ magis in laude sponsorum et exhortatione acclamationeque votiva immorentur, cujus generis est Epithalamium Laurentii, quod proferimus. Solenne hoc inprimis hisce poematibus est, quod ad amores nuptiasque conciliandas Veneris, Amorum, Hymenæi operam et ministeria advocant, ideoque multa eorum studia, itinera, consultationes, adhortationes ad sancienda connubia fingunt. Qui mos a Papinio Statio inductus et ita fusus per omnia Veterum epithalamia est, ut, licet Deorum cultum resipiat, Christiani tamen auctores et episcopi, Sidonius Apollinaris, Ennodius et Venantius Fortunatus eumdem teneant. In Ennodio adeo hoc observatu dignum et fere mirabile est, quod Amorem inducit apud matrem Venerem de studio virginitatis apud homines illius ævi, i. e. Christianos, nimium frequente, de raritate conjugiorum, et de fide aliqua, quæ nulla rerum dulcedine flectatur, et matrimonium pro culpa et crimine habeat, tamquam de labe sui sæculi, conqueri. Versus ipsos, quia sunt memorabiles, et Ennodii poemata parum nota sunt, hic apponam:

Perdidimus, genitrix, virtutis præmia nostræ.
Jam nusquam Cytherea sonat; ridetur Amorum
Fabula, nec proles nascenti sufficit ævo.
Frigida consumens multorum possidet artus
Virginitas fervore novo: sublimia carnem
Vota domant, mundus tenui vix nomine constat.
Primævi tremulos factis imitantur ephebi.
Rara per immensos sæclorum, respice, campos
Conjugii messis: per flores sola vetustas
Exserit albentes jejuna et pallida canos.
Una fides, rerum nulla dulcedine flecti,
Et, si quid teneros potuit transducere mores,
Præceptis calcare malis: servatur ubique
Justitium: culpa est thalamos nominasse pudico.

Illud etiam in Epithalamio Polemii et Araneolæ, quod Sidonius scripsit, observavi, singulare ejus argumentum et a cæteris diversum esse, quod ibi nuptiæ non Venere, ut in aliis fieri solet, sed Pallade auctore et auspice conjungan-

Digitized by Google

tur. Nempe quod Polemius studio philosophiæ Platonicæ deditus est, Araneola texturæ artificio, fingit Sidonius, Palladem aliquando in Atticam profectam duo templa invisisse, in quorum uno, gymnasio, Polemium cum veteribus philosophis versantem, in altero, nobili textrino, Araneolam invenit sedentem, et in toga palmata, quam patri suo parat, varias illustrium conjugiorum ex antiquitate fabulas pingentem. Quæ tandem, ubi Palladem videt libentius doctorum artes spectare, alia in tela philosophum Cynicum a Laide victum et vexatum pingit. Tum Pallas subridens et joco puellæ delectata ait, ne ea philosophorum dogmata amplius rideat, effecturam se, ut philosopho nubat, atque ita Polemio eam tradit.

Venio nunc ad Epithalamia, quæ hoc libro proponuntur, consideranda. Quod primo loco posui, *Epithalamium Auspicii et Aellæ* Casp. Barthius in scheda vetere, quam quondam in Mediomatricum metropoli inter oblatas temere membranas redemerat, repertum sub finem commentarii in Claudiani Epithal. Palladii et Celerinæ, pag. 462, vulgavit, et Petrus Burmannus ad calcem Anthologiæ Lat. tomo II, pag. 638 seq. nonnullis notulis illustratum repetiit. Nomina sponsorum Auspicii et Aellæ non videtur Barthius in fronte veteris schedæ legisse, sed cognovisse e versu 60, unde præposuit Burmannus. Titulum quidem Barthius testatur *Patricium* aut *Patritum* quemdam auctorem prætulisse, metuit tamen, ne id dignitatis fuerit vocabulum, vero scriptoris abroso, ut arbitrari quivis possit, initium ipsum membranæ deficere contuitus. Barthio concedit Burmannus, atque ipse de auctoris nomine dubitat, quamvis non neget, multos ita nominatos esse. Ego vero malui Patricii vocabulum auctoris nomen existimare, et titulo Epithalamii apponere, quum in fronte carminis atque eo loco repertum sit, ubi nullum æque usitatum et necessarium ac auctoris est, idque constet sub ævo Christianorum Imperatorum multos illustres viros gessisse. Patricius, Magister Officiorum sub Valenti-

Digitized by Google

niano, Theodosio et Arcadio, tum Patricius comes sub Theodosio juniore memorantur in Codice Theodosiano, ut videri potest in Gothofr. Prosopogr. Cod. Theod. p. 377. Sic. Fl. Patricius Consul A. C. 459 et 500 legitur in Fastis. Ad Patricium scribit Symmachus, lib. VII, Epist. 61-65, eique honorem militiæ tribuit; quem propterea Magistrum Officiorum paullo ante memoratum esse suspicor. Patricium quemdam Lydum Suidas tradit sub Joviano Imp. floruisse, et phænomenorum cælestium et signorum occurrentium acerrimum fuisse conjectorem. Hunc cum aliis philosophis a Valente occisum memorant Amm. Marcellinus, lib. XXIX, cap. I, p. 600 edit. Gron. et Zosimus, lib. IV, cap. 15. Patricius vocabatur pater Augustini, et notissimus est Patricius ille Hibernorum Apostolus (1). De *Auspicio* et *Aella*, quorum nuptiæ hoc carmine celebrantur, hoc tantum constat ex ipso carmine v. 61, eos e primatibus Romanæ juventutis fuisse. Si plura de eorum vita et statu exquiri possent, esset hoc ad ætatem, qua carmen scriptum est, definiendam perutile. Aella, nomen Græcum, procellam vel turbinem notat, unde et Aello nomen Harpyiæ factum videtur. Sed exemplum ejus ab aliis feminis gesti nondum inveni: similia tantum inveniuntur, ut Aura Nymphæ nomen apud poetas obvium, et Zephyris, Liviæ Aug. liberta, in Donii Inscriptt. Cl. VII, 76, item Favonia apud eumdem, Cl. VI, 31 (2). Auspicius ex eo genere nominum proprio-

(1) Scilicet ad Patricium V. C. Quæstorem est epistola Theodahadi regis, apud Cassiod. Var. X, 6. Patricio Rhetori commentarios in Ciceronis Topica inscripsit Boethius. Ed.

(2) *Aura*, Pompeiæ, uxoris Cæsaris, pedissequa, memoratur a Plutarcho in Cicerone, c. 28. Aollium memorat Plutarchus in Romulo, c. 14, filium fuisse Romuli ex Hersilia natum, quem ille ab concursu sub se civium Aollium nominavit, posteri Abillium. Hoc nomen pariter e Græco ἀέλλη factum videtur, siquidem Græcum hoc a Phœnicio *Aol* derivandum, ut ostendit Bochartus in Chan. I, 33, pag. 594. Conf. Trilleri Observat. Crit. lib. IV, cap. 26, p. 460, ubi multa habet de vocis ἄελλα significatione. Ed.

Digitized by Google

rum est, quæ ex appellativis generis diversi formata multum usurpavit sequior ætas, et in quibus enuntiandis necesse est solœcismum facere, ut de Auxilio Grammatico jocatur Ausonius, epigr. 138. Ad quem locum Vinetus in adnotatione nomina ejusmodi alia virorum recenset, ut Consilius, Desiderius, Præsidius, Principius et virgo Principia, Studius, Memorius, alia, quæ in Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Symmachi, Sidonii scriptis occurrunt. Auspicius, vir præfectorius in Gallia, memoratur in Sulpicii Sev. Dial. III, cap. 7. Auspicii episcopi in Gallia meminit Sidonius Apoll. lib. IV, epist. 17, ad eumque scribit lib. VII, ep. 10. Idem Auspiciæ mulieris meminit lib. IV, ep. 21. Etsi vero Auspicii, cujus nuptiis hoc carmen scriptum est, ætas et dignitas ignoratur, nomen tamen ubi videmus antiquitus usitatum claris viris esse, id facile carmen antiquum esse probat. Nec infitiabitur, qui leget, ingenium poetæ non invenustum et dictionem satis splendidam in eo apparere. Argumentum sive summa carminis hæc est: Vere ineunte, Venus dicitur, nescio unde, exiisse, et in Thessaliam magno comitatu contendisse, ut florida Tempe et perpetuo virentes hortos habitaret. Hinc ejus comites recensentur, Gratiæ, Natura mater, Voluptas, Siren, Cupido, agmen Amorum. Bacchus, qui eodem tempore Lydiam reliquerat, obviam fit sorori, et agmen suum jungit, in quo Dryades, Fauni, Satyri, cum Sileno, lusum, tumultum, petulantiam exercentes. Inter hæc Hymenæus, qui e cœtu Veneris clam aufugerat Romam, subito redit, secum trahens Auspicium et Aellam, nobiles juvenes, quos ille, inscia et inconsulta Venere, conjugali fœdere conjunxerat, licet ipsi adhuc amorum nescii, sed bonarum artium et gloriæ studiosi solo labore et assiduitate certassent invicem, amorem connubio auspicaturi, cui eos parentes sui a primis incunabulis destinaverant. Venus hæc audiens indignatur quidem, quod Hymenæus tantum ausus esset, nulla Veneris opera et auctoritate adjutus, censet tamen instaurandam esse pompam nuptiarum. Quamobrem

Digitized by Google

iter deflectit Romam, fœdus administrante Concordia et sancta Fide nectit, cæteros comites Amorumque agmen pergere Romam jubet, ut solenni officio factum fœdus confirment. Hac in narratione deficit carmen, et videntur cætera, quæ celebritatem et pompam nuptiarum referebant, periisse; testaturque Barthius, pagina una interioris schedæ alia deinceps exstitisse, minime ad hunc Apollinem facientia, potius ad Marcelli illum, experientia sola, usuque uno magistro medicamenta membrorum docendis. Quæ de Marcelli noto carmine de Medicina, quod alias Vindiciano adscribitur, intelligo.

Epithalamium Laurentii, quod sequitur, olim a Nic. Heinsio ex vetusto Claudiani codice bibliothecæ Ambrosianæ descriptum est, in quo legebatur post carmen ad Probinum inter Epigrammata Claudiani. Edidit autem P. Burmannus, et in Anthol. Lat. t. II, p. 633 proposuit, licet variis hiatibus mutilum, nec felici admodum Apolline conditum idem judicet. Inscripsit Burmannus Epithalamium *Laurentii*, tacito sponsæ nomine, quod tamen *Mariæ* fuisse, e versu 5 et 10 videtur intelligi. Igitur ipse apposui (1). Inferioris paullo ætatis et incultius carmen est, quam superius epithalamium. Caret etiam fabula et fictione poetica, quam in cæteris omnibus observamus, nisi forte hujus rei aliquid dictum est in principio carminis, quod deesse videtur, prioribus versibus abruptis. Cæterum ex eo genere epithalamiorum est, quod maximam partem exhortatione sponso-

(1) Laurentii in antiquitate multi reperiuntur. Apud Athenæum, lib. I, cap. 1, Laurentius, civis Romanus, divitiis splendidus est, qui doctos omnis generis viros ad cœnam vocat, et eruditos sermones miscere jubet. Laurentius, Comes rerum privatarum sub Arcadio, occurrit in cod. Theod. lib. X, tit. 10, leg. 21, de petitionibus. Ad Laurentium urbis Romæ Primicerium Augustinus scripsit Enchiridion. Laurentius martyr notus est e Prudentio. Laurentius Novariensis episcopus sæculo V apud Sigebertum Gemblacensem et Anonymum Mellicensem. Laurentius Mediolanensis episcopus citatur a Joanne Sarisberiensi, Polycratici, lib. VI, cap. 1, p. 282. Ed.

Digitized by Google

rum ad amorem et hilaritatem, intermixta eorum laude, constat; et *Allocutio sponsalis* vocari solet, quales breviores Imper. Gallieni, Aviti, et alius ignoti poetæ habemus, quas propterea ut affines huic Epithalamio pro appendice subjiciemus. Omnia subjecta adnotatione, quantum satis erit, illustrabimus, interjectis Burmanni, quæ rariores sunt, notis.

— Notandum obiter adlocutionem Aviti esse ad sponsam, quum Gallieni imperatoris sit ad sponsum et sponsam. Scriverius tamen in notis manuscriptis ad Senecæ Medeam, v. 106, notabat hanc quoque adlocutionem sponsalem esse, quæ ad solum sponsum caneretur. Ed.

Digitized by Google

XI.

PATRICII

EPITHALAMIUM AUSPICII ET AELLÆ.

Vere novo florebat humus, satus æthere sudo,
Imbre maritatum vegetabat spiritus orbem;
Ipsa quoque, ætheria deducta propagine, flamma
Visceribus suffusa cavis, nova germina largo
Urgebat gremio, reparans elementa calore:

1. *Vere novo.* A veris descriptione incipit, quia Veneris, quæ verno tempore maxime est efficax, singulare aliquod factum narrare vult, et nuptiæ Auspicii vere novo celebratæ videntur.

2. *Imbre maritatum.* Auctor Pervigili Ven. 4: « Et nemus comam resolvit de maritis imbribus »; ubi Weitzii et aliorum notas vide. Sic *maritus fluctus*, pro fecundo, apud Avien. Perieg. 345, de Nilo: « inque jacentem Ægyptum fusus fluctu premit arva marito, Fecundatque solum »: æther enim apud poetas imbre, tamquam genitali semine, terram fecundare fingitur. Notum illud Virgilii, Georg. II, 325: «Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther, etc.» Burm. Plures poetarum ea de re locos adduximus in Epimetro ad Pervigil. huj. operis t. II, p. 532 seqq. Ed. — Verbum *maritat* eodem modo et de Zephyro usurpat Claud. Rapt. Pros. II, 88: « Ille novo mădidantes nectare pennas Concutit, et glebas fecundo rore maritat ». — *Vegetabat spiritus orbem*, i. e. Zephyrus, dux veris. Et similiter Pentadius, Eleg. de adv. veris, v. 1: « Zephyrisque animantibus orbem (*vel* moventibus) ».

3. *Ætheria* scripsi cum Burmanno, pro vitioso *cetheriis*, quod in veteri scripto erat. — *Flamma deducta propagine ætheria*, calor, qui ab æthere jam tepidiore propagabatur.

4. *Visceribus suffusa cavis*, quum terræ visceribus insinuatur.

5. *Urgebat gremio*, protrudebat sinu suo germina, quasi parturiente

Digitized by Google

Latonæ geminum numen, Cythereius ignis,
Jupiter ipse parens, et Maiæ mobile pignus,
Temperie unanimi, secluso frigore tristi
Saturni veteris, mundi per aperta nitebant;
Quum Venus Idaliis comitata sororibus exit,
Thessalicos visura lares, ubi florida Tempe
Perpetuis faciles conservant cultibus hortos.
It Natura comes lactenti feta papilla,
Unde venit vitale decus; prope Gratia blando
Intuitu invergit florem nascentibus herbis.

terra. Virg. Georg. II, 330 : « Parturit omnis ager, Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus ». Pervig. Veneris, 14 : « Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu Urget in notos penates », ubi vid. adnotata t. II, p. 516 huj. operis. Ed.

6. *Latonæ geminum numen*, Phœbus et Luna : et deinceps cæteri planetæ nominantur.

9. *Mundi per aperta*, per omne patens cælum. Lactant. in Phœn. v. 51 : « Postquam Phœbus equos in aperta refudit Olympi ».

10. *Idaliis comitata sororibus*, i. e. Nymphis, quæ comites Veneris et famulæ, ut vocantur a Claud. Epithal. Palladii, v. 8. Nam, ne Gratias hic intelligas, Gratia seorsum inter comites Veneris nominatur v. 14, nec Claudianus, ubi *Idalias sorores* de Nupt. Hon. v. 101 dicit, alias intelligit, quam famulas huic Deæ ministrantes.

12. *Faciles cultibus* sunt fertiles, qui culturam facile admittunt, facile omnia proferunt. *Facilem frugum terram* dicit Claud. Laud. Ser. 54, et *facilem juvencis silvam*, quæ apta est pascuis juvencorum, Olympius, Laud. Hercul. v. 102. Contra *difficiles terræ*, pæne steriles, Virg. Georg. II, 179.

13. *Natura comes lactenti feta papilla*. Sic pingitur, quia omnium rerum parens et nutrix. Sic Ennodius initio Epithalamii : « Annus sole novo teneras dum format aristas, Natura in thalamis orbe tepente sedet » : sedet in thalamis quasi paritura. Sic Venerem procreatricem rerum auctor Pervigilii secundum lectiones Rivini describit vs. 14 : « Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu Turget in toros tepentes ». Datur autem Natura Veneri comes, « Hæc quoniam rerum naturam sola gubernat », ut ait Lucret. I, 22.

15. *Intuitu invergit florem*. Mira hæc phantasia est. Gratia quocumque vultum convertit, et blande adspicit, florem oris sui impertit herbis nascentibus. Tale est, quod de rosa prædicat auctor Pervigilii, v. 23, « Facta Cypris de cruore, deque Amoris osculis », et quod Virgil. Georg. II, 390, de Baccho : « Hinc omnis largo pubescit vinea fetu, Implentur vallesque cavæ, saltusque profundi, Et quocumque Deus circum caput egit honestum ». Cæterum Chloridem, sive Floram

Digitized by Google

Ante Deam tenui decurrit veste Voluptas,
Ostentans revocansque nitentia membra tegendo,
Purpureas croceo suras evincta cothurno,
Speque sua major, nullaque imitanda figura.
Blanda manu implexam tenet hanc, ducitque canendo
Ætherias Siren iterabile carmen ad auras.
Ad juga blanda sedet, niveas moderata columbas,
Non satianda bonis, Divæ soror alma, Cupido:
Aliger obsequio stipat puer, agmen Amorum
Claudit agens choreas pictis exercitus armis.
Adrident late toto revolantia mundo

etiam in comitatu Veneris fuisse, ostendit versus 45.

16. *Voluptas.* Hæc comes Veneri additur secundum hæc Lucretii, II, 172: « Ipsaque deducit dux vitæ dia Voluptas, Ut res per Veneris blanditim sæcla propagent ».

17. *Ostentans revocansque,* i. e. mox ostentat aperta, mox retrahit tegitque. Tale est Reposiani, v. 101, de Venere: « Nunc vestes fluitare sinens, vix laxa retentat, Quum nec tota latet, nec tota enudat amorem ».

18. *Suras evincta cothurno:* ex Virg. Æn. I, 337: « Purpureoque alte suras vincire cothurno ». Burm.

21. *Ætherias Siren.* Apta quidem socia Voluptatis est Siren, quæ ab Horatio Desidia dicitur, Satir. II, 3, 14; sed tamen eam a cæteris poetis inter comites Veneris memorari non memini.

22. *Ad juga blanda sedet.* Alias Amor dicitur ad juga sedere et currum Veneris regere. Statius in Epithal. Stellæ, v. 143: « olores Jungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem, Gemmato temone sedet ».

23. *Divæ soror alma, Cupido:* sic edidit Barthius, sed distinguendum « Divæ soror alma: Cupido Aliger obsequio stipat puer agmen, Amorum Claudit agens, etc. » Burm. — Ego distinctionem Barthii probo. Cupido hic non est Amor, sed genere feminino dicitur Divæ Veneris soror, quod et apparet ex apposita descriptione, quum dicitur *non satianda bonis:* quod si *Cupido* trahendus esset ad *Aliger puer, Divæ sororis* nullum nomen exstaret, et *aliger puer,* quo Amor satis designatur, supervacue esset Cupidini appositus. Hic aliger puer, præcipuus Amorum, stipat Venerem, hoc est, pone sequitur, vel inhæret currui ejus, ut conspicitur subinde in gemmis veteribus. Totum denique *agmen,* sive comitatum Veneris, *claudit Amorum exercitus,* vulgus Amorum, pictis armis choreas agens.

25. *Pictis exercitus armis,* id est, pharetris. Sic Virgil. in epigram. ad Venerem: « In morem picta stabit Amor pharetra ».

26. *Adrident late toto revolantia.* Hæc expressa e Lucretio videntur, qui de Venere, I, 6 seq. « Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cæli,

Digitized by Google

Sidera, blandito dominam venerata sereno.
Ipsa levi residens curru, mitissima Divum,
Ventilat adflatu cælum, Zephyrisque remissis
Mulcet agros, lenique astris adremigat aura.
Protinus ut liquidum Phœbi jubar ore recussit,
Progressamque Deam docuere elementa favendo,
Lydia qui cedente reliquerat arva sorore,
Obvia pampineis Liber rapit agmina thyrsis.
Ditia Pactoli superat Peneius amnis
Munera, clarus aquis nitidum stagnantibus aurum.

Adventumque tuum; tibi suaves dædala tellus Submittit flores, tibi rident æquora ponti, Placatumque nitet diffuso lumine cælum». Cæterum *revolantia* hic positum pro simplici *volantia*, ut infra versu 85. Verba composita pro simplicibus frequentari a poetis sequioris ævi, jam sæpius adnotavimus. Videatur superius carmen X, v. 3 et 32.

27. *Blandito.* Burmannus scribendum censet *blanditu*. Sed non opus est. *Blanditus* substantivum vix reperitur apud Latinos, et *blanditus* adject. pro grato et jucundo occurrit Propert. IV, 6, 72: «Blanditæque fluunt per mea colla rosæ».—*Serenum* pro serenitate Claudian. IV Cons. Hon. 183: «risitque tuo Natura sereno».

29. *Ventilat adflatu*, i. e. leniter movet. Ut Propertius, IV, 3, 50: «Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem».

30. *Astris adremigat.* Utitur verbo aliquoties Florus, ut III, 7, 3: «Sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt».

31. *Ore recussit*, resplendere fecit, h. e. postquam in tantum processit Venus, ut Phœbi exorti jubar in ejus ore resplenderet. Nam infra, versu 54, auctor dicit, Venerem castra movisse primo mane, ante jubar exortum. Sed fortasse legendum est *ore recessit*, ut significetur, postquam pergendo et properando solem adversum post terga reliquit, ita ut hujus jubar ab ejus ore recederet.

33. *Lydia qui arva.* A Lydia procedit Bacchus, quia hæc quasi sedes Bacchi, cultu et orgiis ejus inprimis celebrata. Unde Claudian. IV Cons. Hon. 603: «In te pampineos transferret Lydia thyrsos».

35. *Pactoli superat Peneius amnis.* Dicit, Peneum fluvium Thessaliæ, nunc plus auri fundere, quam Pactolum Lydiæ, quia Bacchus, qui Pactolum auriferum fecit, jam reliquit Lydiam et Thessaliam petiit. Contra Pactolum fingunt auro ditiorem fieri, quando in Lydiam rediit. Claud. Laud. Stil. III, 61: «Quæ sic aurifero Pactoli fonte tumescit Lydia; quum domitis apparuit Evius Indis». In adventu et præsentia Deorum ditescere omnia et augeri opes terræ, jampridem notavimus ad Calpurn. IV, 106.

36. *Stagnantibus aurum*, stagni instar effundentibus. *Stagnare* acti-

Digitized by Google

Exsultant Dryadum faciles deliria Fauni,
Et Satyri, sub utroque Deo promptissima pubes.
Corniger hos stimulis implet puer; æthera clangor
Verberat, et crotalis responsant tympana pulsis.
Ecce pater pando recubans Silenus asello,
Cui lacer a summo pendebat cantharus armo,
Vina per os, hirtæque fluunt compendia barbæ;

ve rarum : fortasse *stillantibus* reponendum e Claudiano, Cons. Prob. 51 : « Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis Effluxere decus », ubi *effluxere* pariter usurpatum ut h. l. *stagnare*.—Vide notata ad Flori troch. I, 2, huj. op. nostri, t. II, p. 538. Ed.

37. *Dryadum faciles deliria Fauni*, h. e. quos delirare faciunt Nymphæ, et quos ludificant : qualem ludum describit Auson. Mos. v. 182 seqq. Calpurn. X, 55 seqq. Sic *Dryadum voluptas* dicitur Priapus in Petronii carm. quod supra hoc tomo dedimus, p. 301. *Faciles* dicuntur Fauni eodem sensu, quo alias Nymphæ. Virg. Ecl. III, 9; Propert. II, 34, 76; Nemes. Cyneg. 94.

38. *Sub utroque Deo*, Venere et Baccho. Hinc Calpurn. X, 56, de Satyris in Nymphas lascivientibus : « Et venerem jam vina movent ». Similiter Propertius, I, 3, 13 : « Et quamvis duplici correptum ardore juberent, Hac Amor, hac Liber, durus uterque Deus, etc. »

39. *Corniger hos stimulis implet puer*. Bacchus, qui est corniger puer, hos crebro stimulat thyrsis vel hastis, quibus tacti furore corripi putantur. Non aliud hoc est, quam quod Calp. de Baccho refert, Ecl. X, 64 : « Et plantis uvas premit, et de vitibus hastas Ingerit ». Cæterum phrasin *stimulis implet* e Plauto hausit auctor, qui « implere fustibus, implere flagris » dixit Aulul. III, 3, 6, et Casin. I, 1, 35.

41. *Pando recubans Silenus asello* : nempe temulentus et crapula gravatus, fingitur Silenus magis reclinis cubare in asello, quam sedere. Sic Ovid. Metam. IV, 26 : « Quique senex ferula titubantes ebrius artus Sustinet, et pando non fortiter hæret asello ». Idem, Art. Am. I, 543 seqq. « Ebrius ecce senex pando Silenus asello Vix sedet, et pressas continet arcte jubas » : cætera ejus loci brevitatis caussa non transcribimus, quæ, ut Burmannus observat, egregie illustrantur ex veteri monumento, in quo temulentus Silenus ex asino delapsus, a Satyris et Bacchis in eum repositus et allevatus conspicitur, apud Donium, Inscript. Cl. I, pag. 29, tab. V, et Murator. t. I, p. 104.

42. *Cui lacer a summo*. E Virgilio hæc expressa Ecl. VI, 17, de Sileno ebrio : « Serta procul tantum capiti delapsa jacebant, Et gravis attrita pendebat cantharus ansa »; ubi cantharum ansa attrita lacerum vel de manu Sileni, ægre tenentis, vel in antro pependisse, in quo eum « pueri somno videre jacentem », exponi posse notavi in Comment. ad Numism. Sic. p. 408. Burm.

43. *Vina per os, hirtæque fluunt*. Sic etiam Calpurn. X, 53 seq. Saty-

Digitized by Google

E numero comitum Veneris vestigat, et olim
Captus amore petit festino Chlorida voto.
Nympha retrocedens, dum spes alit, inque furentem
Blanda micans oculis, refugit pede : libera lusu
Turba favet, totoque fremit petulantia cœtu.
Hic subito volitans sparsas rumore per umbras
Fama movet mentes, incertaque murmura portat,
Orta dehinc largo narratur fabula motu.
Non videt auctorem, sed sentit quisque, refertque,
Atque audisse putat, nec primus in agmine toto est;
Mane sub Eoo, dum Divæ castra moventur,

rorum potantium immoderatos haustus describit : « at potis saliens liquor ore resultat, Spumeus inque humeros et pectora diffluit humor ».

44. *Vestigat*, turbam omnem et vestigia lustrans inquirit, ut Virg. Æn. XII, 466, « solum densa in caligine Turnum Vestigat lustrans ».

45. *Festino Chlorida voto.* Sic scripsi ex evidenti et necessaria emendatione vitiosæ lectionis, quam e scheda veteri Barthius dedit, « festina, Chlorida, vato ».

47. *Libera lusu Turba favet.* Calpurn. X, 55 : « Omnia ludus habet; cantusque, chorosque licentes Et venerem jam vina movent ».

49. *Sparsas rumore per umbras :* lege *sparso rumore per urbes* vel *auras.* Burm. Sed *umbras* rectum est, quia obscurum rumoris progressum notat. Sic Val. Flaccus, II, 116 : « Famamque vagam vestigat in umbra ». Et apertius Virgilius de Fama, Æn. IV, 184 : « Nocte volat cæli medio terræque, per umbram Stridens ».

51. *Largo narratur fabula motu.* An fortasse *fatu* legendum, hoc est, multorum sermone? Sed præstat *motu*, ut significetur, largius promoveri famam, pluresque agere et movere ad narrandum. Simile hoc illi Virgiliano de Fama, Æn. IV, 174, « vires acquirit eundo ». Et Val. Flaccus in ejusdem descriptione, lib. II, 121 : « audentem primi spernuntque foventque; Mox omnes agit, et motis quatit oppida linguis ».

52. *Non videt auctorem.* Videtur hoc expressisse ex illo Martialis, VII, 6, 3 : « Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis; Credo tibi, verum dicere, Fama, soles ». *Auctorem* pro nuntio vel indice dici docet Burmannus ad Ovid. Met. VII, 824. Similiter Claudian. Bell. Get. 450 : « Ipso Roma die, nec adhuc ostenditur auctor, Personuit venisse ducem ». Ed.

53. *Atque audisse putat.* Sic Statius, Theb. II, 261 : « In regem conversi omnes formidine prima, Mox audisse negant, cunctos tamen omina rerum Dira movent, variisque metum sermonibus augent ».

54. *Dum Divæ castra moventur.* Hoc de castris eleganter poni solet de migratione et mutatione loci.

Digitized by Google

Elapsum pennis, et inobservata ferentem
Per liquidas Hymenæum auras vestigia, Romæ
Advertisse pedem, subitoque redire tumultu.
Ipse aderat, pompamque trahens, victosque jugali
Quos inconsulta conjunxerat arte Diona,
Auspicium juvenem, atque æquævæ pectus Aellæ.
Illos prima patrum, generosæ stirpis alumnos
Nobilitas tota pridem celebraverat urbe,
Et species, morumque opulentia compta nitore;
Nec semel Arcitenens tentarat spicula castis
Indere pectoribus, matris molimine magno.
Olli florebant studiis Helicone potito,
Nec chorus Aonidum, nec sanctæ Palladis ardor,

Propert. IV, 8, 28 : « Mutato volui castra movere toro ». Mart. V, 14, 1 : « Sedere primo solitus in gradu semper, Tunc quum liceret occupare, Nanneius; Bis excitatus terque transtulit castra ». Cf. Lucilii Ætn. v. 607. Ed.

55. *Inobservata ferentem.* Ovidius *taciturna vestigia* dicit Fast. I, 425 : « vestigia furtim Suspenso digitis fert taciturna gradu ».

58. *Victosque jugali.* Scribe *vinctosque*, et v. seq. *Dione.* Burm.

61. *Illos prima patrum Nobilitas.* Indicat eos e patriciorum genere fuisse. — *Alumnos* scripsi pro *alumno*, quod in Barthii editione est, manifesto vitio.

63. *Morumque opulentia compta nitore.* Dicit, divitias suas morum elegantia ornasse, divites juxta et ornatos bonis moribus esse. Huc referas, quod Statius in Epithal. Stellæ ait, Silv. I, 2, 121 : « Huic quamvis census dederim largita beatos, Vincit opes animo »; et illud Ovid. Trist. IV, 4, 2 : « nominibus quum sis generosus avitis, Exsuperas morum nobilitate genus ».

64. *Arcitenens*, Cupido.

65. *Matris molimine magno*, hoc est, quamvis mater, sc. Venus, multa magnaque moliretur, magnam curam adhiberet.

66. *Studiis Helicone potito.* Burmannus emendandum putat *politi*: sed, nisi hoc vitium typorum est, scribendum potius est *potiti*. Sic *monte Helicone potiri* dixit Ovid. Met. V, 254. In Helicone versari dicuntur, qui studiis vacant. Propert. III, 5, 19 : « Me juvat in prima coluisse Helicona juventa, Musarumque choris implicuisse manum ». Possis etiam retinere *Helicone potito*, passivo sensu, quomodo usurpavit sequentis Epithalamii auctor, v. 80, « tandemque toro recubate potito ».

67. *Nec sanctæ Palladis ardor*, id est, studium philosophiæ. Palladis enim nomine philosophia et reliquæ artes significari solent, ut Phœbi et Musarum, poesis. Auctor Eleg. in Mæcen. 17 : « Pallade cum docta Phœbus donaverat artes, Tu decus et laudes hujus et hujus eras ». Pro-

Digitized by Google

Nec pater ipse jugi cuiquam majore favebat
Ingenio; par cura animo; labor otia nescit
Improbus, atque aliis urit præcordia flammis
Gloria; ab excelsa laus intemerabilis arce
Monstrat iter, quo celsa petunt fastigia rerum
Semideæ mentes, puro stirps prosata cælo.
At teneros ævi, nec adhuc puerile sonantes
A primis fausto sociarunt omine cunis

pert. I, 2, 27 et 30 : « Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet, ... Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat ».

68. *Nec pater ipse jugi*, nempe Apollo Heliconis præses.

69. *Par cura animo*, utrique pari studio tenentur.

71. *Ab excelsa laus intemerabilis arce.* Laus vel gloria, ex arduis sublimibusque rebus capienda, quasi excelsa in arce habitat, eoque animos excelsiores ejus gloriæ cupidos, ad sublimes quosque honores et celsa rerum fastigia adspirare facit. Hinc sapientiæ non modo, cujus studium arduum est, sed et animis ejus studiosis hanc excelsitatem atque arcem tribuunt. Lucret. II, 7 : « Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere Edita doctrina sapientum templa serena ; Despicere unde queas alios, etc. » Pap. Statius, Silv. II, 2, 131 : « celsa tu mentis ab arce Despicis errantes, humanaque gaudia rides ». — Philosophiæ vel sapientiæ sedem dari solere in colle vel excelsa arce, pluribus e locis Virg. in Ciri, et Silii Ital. XV, 101, probat Jo. Schrad. Emendat. c. 3, p. 49. Ed. — Burmanno videtur *excelsa arce* et *celsa petunt* absurde conjungi : mavult itaque scripsisse auctorem, « ad ætheriam laus intemerabilis arcem Monstrat iter, quo celsa petunt, etc ». Sed *iter ad ætheriam arcem* superfluum erat dicere, quum mox *iter ad fastigia rerum* vellet.

72. *Celsa petunt fastigia rerum*, summos honores et præfecturas in re publica. Claudian. Epith. Pallad. 66 : « Per cunctos iit ille gradus, aulæque labores Emensus, tenuit summæ fastigia sedis ».

73. *Semideæ mentes*, sublimes animæ, ut vocantur a Virgilio, Æn. VI, 720, et Calpurn. VIII, 39, Semideis similes. De iis, qui proprie sic vocantur, Lucanus, IX, 6 : « Quodque patet terras inter, lunæque meatus, Semidei manes habitant ». Illud *puro stirps prosata cælo* ad mentem Virgilii dixit, qui Æn. VI, 730 : « Igneus est illis vigor et cælestis origo ». — Propius ad auctorem accedit Rutilius, Numat. lib. I, 9 : « Semina virtutum demissa et tradita cælo Non potuere aliis dignius esse locis ». Ed.

75. *Fausto sociarunt omine*, nuptialibus auspiciis, ut Virgil. Æn. I, 349 : « Cui pater intactam dederat, primisque jugarat Ominibus ». — Adluditur ad morem veterum Romanorum, qui nihil, nisi captis auguriis, faciebant, et nuptias præcipue auspiciis nuncupabant. Ed.

Digitized by Google

Solliciti longa de posteritate parentes:
Hinc puer elusa juga Calliopeius illis
Nexuerat domina, lætamque ferebat ad aulam
Luctantes rapiens juvenes, immane tropæum.
Indignata tamen risit Dea, nec tibi tantum
Sæpe licere velis, nimium studiose pudoris,
Maternos nimium, puer, amplexate rigores.
Protinus instaurant pompæ genialis honorem,
Deflectuntque viam, pelagoque advertere certant.
Ales at e medio revolans Concordia cœtu

77. *Juga Calliopeius illis*: forte castigandum, « Hinc puer elusa juga jam Cythereius illis Nexuerat domina ». Burm. — At rectum est *Calliopeius*, neque Cupido hic significatur, sed Hymenæus, qui Calliopes filius perhibetur. *Musa genitum* dicit Claud. Epith. Pall. 31, et Martianus Capella in primo. Bacchi filium Seneca in Medea, v. 110, Uraniæ Catullus in Epithal. Manl. v. 2, Terpsichoræ Proclus in Chrestom. pag. 10 Schott. Clius filium alii: Calliopes et Apollinis filium ab Asclepiade dictum, nescio ubi, Schottus ad Proclum monet. Cujus sententiæ noster poeta est. — *Juga nexuerat*, connubium junxerat. Item de Hymenæo Claudianus, Laud. Ser. 119: « Expertes thalami, quarum Cythereia necdum Sub juga cervices niveas Hymenæus adegit ».

79. *Immane tropæum*, ingentem victoriam, et spolia ampla. Sumpsit hoc a Claudiano, nisi hoc antiquior est, apud quem in Epithal. Hon. et Mar. v. 117, Amor ad Venerem: « Lætare, parens; immane tropæum Rettulimus: nostrum jam sentit Honorius arcum », Forte et adlusit ad hæc Virgilii Æneid. IV, 93: « Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis, Tuque, puerque tuus, etc. »

81. *Licere velis*: ita scripsi pro *velit*, quod in editis est, quomodo et Burmannus corrigere jubet.

82. *Amplexate rigores*, severos castosque mores, a luxuria, mollitie, lascivia alienos; ut Claudiani Cons. Prob. 41: « sed mens circumflua luxu Noverat intactum vitio servare rigorem ». Tali more credebatur esse Calliope, quæ heroum regumque gesta et fortia facta dicebatur canere, non amores et lusus.

84. *Pelagoque advertere*. Puto mare Hadriaticum intelligi. Nam Venerem ante dixit auctor e Lydia venientem in Thessaliam contendisse. Nunc quum deflectit iter, Romam petitura, transeundum est mare, quod interjacet, Hadriaticum.

85. *Ales at e medio*. Concordia hoc loco *ales* vocatur, quod ejus symbolum erat ciconia, quæ in templo Concordiæ conspiciebatur, ut significat Juvenalis, Sat. I, 116: « Quæque salutato crepitat Concordia nido ». Vid. Exc. ad Sulpic. sat. hujus op. t. II, 151. Ed.

Digitized by Google

Jungere nunc dextras, nunc oscula pangere mandat,
Primaque perpetuis mysteria tradere curis.
Ipsa pharetratos urget dea Pronuba fratres
Sancta Fides, flectant choreas ad mœnia Romæ,
Et patrios læto repetant rumore penates;
Unde ante ora suorum, et avitæ in sedibus aulæ,
Testentur fixum fœdus, thalamumque coronent.

86. *Jungere nunc dextras.* Ipsum fœdus conjugale extemplo Concordia et sancta Fides, tamquam Pronuba, sanciunt junctione dextrarum, mutuaque sponsione et osculo: pompam solennem et ritum nuptiarum, et hymenæum canendum differunt, Romæ ab universo comitatu Veneris peragenda. Pariter Statius, Epithal. Stellæ, 239, in pangendo connubio nominat Junonem Pronubam, et Concordiam: « dat Juno verenda Vincula, et insignes geminat Concordia tædas ». Obiter noto ad hunc locum, *geminare tædas* idem esse, ac quod Claudian. de Nupt. Hon. 203, dicit, « Tu geminas, Concordia, necte coronas ». Nempe ex duabus virgulis, quas Statius tædas appellat, coronæ texebantur in nuptiis, ut symbolum essent conjugii. *Tædas* autem de corona itidem usurpavit Calpurn. II, 29: « Et mea frondenti circumdat tempora tæda ». — Eadem ratione interpretanda est *duplex corona* apud Valer. Flaccum, VIII, 235: « ipsa suam duplicem Cytherea coronam Donat »; quem locum adhuc majori luce perfundendum aliis reliquit Burmannus. Sed Heynius ad Virg. Æn. I, 655, *duplicem coronam* Valerii Flacci intelligit de duplici materia, auro et gemmis, eumque dicit Virgilium imitatum esse, qui dicto loco habet *duplicem gemmis auroque coronam.* Ed.

87. *Primaque perpetuis mysteria tradere curis*, h. e. initiare futuro matrimonio, et primis arcani amoris sensibus imbuere, ut inde conjuges perpetuas vitæ communiter agendæ curas suscipiant.

92. *Thalamumque coronent.* Inter præcipuos nuptiarum Veterum ritus videtur esse thalami exstructio et exornatio. Quæ quia fiebat instar tentorii, velis pictis et florum sertis, tectum thalami et columnas illud sustinentes ambientibus, id *thalamum coronare* dicebatur. Hoc describere amplius videtur Claud. de Nupt. Hon. 211 seqq. « Pars infecta croco velamina lutea Serum Pandite..... Ast alii thalamum docto componite textu. Stamine gemmato picturatisque columnis Ædificetur apex ». Idem Claud. Laud. Stilich. I, 5, « calida thalami serta » nominat. Plura de thalamo novorum nuptorum collegit Barthius ad Stat. Thebaid. VIII, 607.

Digitized by Google

XII.

INCERTI

EPITHALAMIUM LAURENTII ET MARIÆ.

Inprimis te, sponse, precor, patiare canentem,
Tuque, puella, magis tacito mihi carmine parcas.
Scimus enim, scimus vobis nunc carmina nostra
Doctiloquique etiam linguam solidare Maronis.
Sed breviter strictimque duos dicemus amantes.
Maria... plus quærat... pauca loquemur.

2. *Tacito mihi carmine parcas.* Legendum videtur *crimine*, h. e. parcas vel ignoscas mihi, reticendo vel indulgendo, si quid admisero, quod criminari possis.

4. *Doctiloqui.* Hoc nomen de poetis seriore ævo usurpatum, ut *doctiloquum carmen* a Reposiano, v. 20. — *Linguam solidare Maronis.* Valde suspectum est hoc *solidare*. Fortasse legendum est *sordere*, hoc sensu : Scimus vos nunc ita amori operam dare, ut nulla nostra carmina, etiamsi doctiloqui Maronis sint, audire velitis. Sed si *solidare* retinendum est, contraria hæc sententia extorqueri potest : Scimus vos legendis carminibus, ut nostris, ita aliorum poetarum, inprimisque Maronis, firmare, solidam reddere linguæ Romanæ scientiam. Pro adquirere, constituere, sustinere, vel alere verbum *solidare* usurpant seriores scriptores, ut Cassiodorus Variar. III, epist. 51 : « Menatrua eum duximus largitate solidandum».

6. *Maria...plus quærat.* Quamquam hic lacunæ signum est positum, metrum tamen, nullam esse, indicat. Versus sic fortasse integrandus est : « Maria plus quærat, de sponso pauca loquemur ». Maria nomen sponsæ est, quod et versu 10 occurrit. Quod diversa primæ syllabæ mensura hic et illic ponitur, licentia poetæ est, ut in nomine proprio, ignoscenda.—Forte etiam est dissyllabus et ultima producitur, ut sæpe fit in nominibus propriis in *a* desinentibus, *Leda*, etc. Ed.

Digitized by Google

Principio, generis simili vos stirpe creatos
Florenti Florique patris sat nomina produnt,
Matribus et pariter respondet fetus uterque.
Nam decuit Mariam sapientem fundere...
Calliopenque simul juvenem proferre...
O similes, multumque pares! te prima juventus
Insignem vegetumque tenet.....
Florigenas plenaque decens lanugine malas
Mollia votifero dempsisti vellera ferro,
Egregio fulges cultu, totusque decorus,
Et facie mores, patriamque ex nomine pandens.
Nam quæ primates quondam genuere Latinos,
Antiquæque urbi proprium tribuere vocamen,
Dant tibi, Laurenti, Laurentes nomina Nymphæ.

8. *Sat nomina prodet:* ita in MS, sed legendum *produnt*. Burm.

10. *Sapientem fundere.....* Forte excidit *matrem*, et versu sequenti *proferre sub auras*. Burm. Post verbum *fundere* excidit nomen proprium matris Mariæ, sponsæ, quod significationem aliquam sapientiæ, doctrinæ, virtutis habebat, quodque conjectura restitui nequit. In versu sequente vix dubito excidisse vocem *disertum*, aut aliquid simile. Nam ait, matrem sponsi Calliopen nominari, ideoque dignum ea matre filium esse juvenem disertum, cujus eloquentiam mox laudat v. 23 seqq. Musarum nomina sæpe mulierculis imposita a Romanis, observat et exemplis probat Barthius ad Stat. Theb. IV, 34.

14. *Florigenas* dicit *malas* novo vocabulo, quasi florem gignentes, quia prima barba flos juventæ dicitur. —Vid. notata nostra ad Calpurn. II, 86 et 89, et ad Saleii Bassi v. 248.

15. *Mollia votifero dempsisti.* Elegans satis descriptio lanuginis, seu barbæ mollioris, primum detonsæ *ferro votifero*, quia illo die, quo lanuginem deponebant juvenes, seu candidior tondenti barba cadebat, vota laribus domesticis fiebant, et, ut dicit Juvenalis, « plena domus libis genialibus » erat: quem ritum illustravit Lipsius ad Tac. Annal. XIV, in Excursu B docti interpretis ad Suet. Ner. cap. 12, et ad Petron. cap. 29; ut hic *votiferum ferrum*, ita *votigeri ignes* infra v. 60. Burm.

20. *Dant tibi, Laurenti, Laurentes nomina Nymphæ.* Respicit illa Virgilii, Æn. VII, 59-63: « Laurus erat tecti medio in penetralibus altis... Quam pater inventam, primas quum conderet arces, Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus, Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis »; ubi Servius: « Latinus post mortem Lavini, quum Lavinium amplificaret, ab inventa lauro, Laurolavinium id appellavit ». Burm. —Pro

Digitized by Google

Quid memorem mores juvenili in corde seniles,
Atque Italum ingenium Romana fervere lingua?
Tu fora, tu leges celebras, sanctumque tribunal,
Promptaque impavidus tu suetus dicere dextra:
Te insontes palmam semper tribuere patrono;
Te contra adstantem semper timuere nocentes.
Prorsus habes juvenis totum quod Tullius auctor
Caussidicos retinere jubet: nam fultus utroque,
Vir bonus es nimium.....
Ad te non breviter, nam sic te velle putamus,
Verba, puella, feram: pulchro formosa colore,
Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis,

nomine legendum est *nomina*. Laurentes Nymphæ dant tibi, Laurenti, nomina. Sed ad hanc sententiam auctoris illustrandam magis apti sunt versus Virg. Æn. VII, 45 sq. « Rex arva Latinus et urbes Jam senior longa placidas in pace regebat. Hunc Fauno et Nympha genitum Laurente Marica Accipimus ».

21. *Mores juvenili in corde seniles*. Spurinna, Od. I, 7, « senium mentis compositæ » vocat; Claudianus « animum senilem », de Cons. Prob. 154, « Sed gravibus curis animum sortita senilem Ignea longævo frenatur corde juventus ».

22. *Romana fervere lingua*, multum exerceri eloquentia Romana, et caussis in foro dicendis.

25. *Te insontes palmam*, h. e. te defendente insontes caussam vicerunt, eoque tibi palmam detulerunt. Locus hic morem, patronorum fores palmis exornandi, declarat post alios, quos adduximus ad Saleii Bassi carmen, v. 31.

26. *Te contra adstantem*, id est, adversarium, vel accusatorem. Sic Martial. I, 54, 12: « Stat contra, dicitque tibi tua pagina: fur es ». Spurinna, IV, 4, « Sta contra assiduo pede ».

28. *Caussidicos retinere jubet*. Manifeste respicit celebrem illam finitionem oratoris, a Quintiliano, lib. XII, 1, multum laudatam atque defensam, qua dicebatur esse *vir bonus, dicendi peritus*. Quæ licet primum auctorem M. Catonem, non Ciceronem, habuerit, teste eodem Fabio l. c. et Plinio, Epist. IV, 7, 5, noster tamen auctor Ciceroni tribuit, sive memoria falsus, sive quod Ciceronem idem sentire et sæpius inculcare, ut de Orat. II, 20, et aliis locis, scivit. Ex hac sententia versus sequens ita implendus videtur: « Vir bonus es nimium dicendique arte peritus ». — Eodem respexit Rutilius, Itin. I, 275, de Messala loquens: « Hic docuit qualem poscat facundia sædem, Ut bonus esse velit, quisque disertus erit ». Ed.

32. *Rutilis commixta rosetis*. Rosetum pro rosa positum a serioribus poetis, observavi jam ad Reposiani carmen, v. 58. — Vide etiam quæ Wernsd. notavit ad Lyricum VIII,

Digitized by Google

Sic rubor et candor pingunt tibi, florida, vultus.
Denique miramur, quid colla monilia gestent,
Ex humeris frustra phaleras imponis eburnas.
Nam tibi non gemmæ, sed tu das lumina gemmis;
Atque alias comit, per te componitur aurum.
.....scriptique tenax veloxque legendi
.....talis fueris præsaga mariti,
.....Musæa tuis insedit cura medullis.
Nec minus in propriis studium: nam vellera lanæ
Textilibus calathis semper traxere perita,

v. 12, Incerti ad Lydiam, quod dedimus huj. op. t. II, p. 454. Ed.

33. *Sic rubor et candor.* Post hunc versum nonnulla excidisse videntur; quod suadent præcedentia *Ad te non breviter*, etc. et tamen vix formam sponsæ laudare aggressus, mox subjungit intempestive: *Denique miramur*, etc. Burm.

34. *Quid colla monilia gestent.* In hanc sententiam Arborius ad nympham nimis cultam, v. 17: « Incendunt niveum lunata monilia collum: Nec collum simplex dedecuisse potest ».

35. *Phaleras imponis eburnas.* Non dubito, quin legendum sit, « Atque humeris frustra phaleras imponis eburnis ». Non enim phaleræ eburnæ, sed humeri eburni dici possunt, ut *eburnea colla* apud Ovid. Metam. III, 422, et *cervix eburnea* Her. XX, 57: *phaleræ* hoc loco pro gemmis, margaritis et mundo muliebri ponuntur, plane insolenter: neque id vocabulum ab aliis sic usurpatum memini.

36. *Sed tu das lumina gemmis.* Similiter Arborius, v. 23: « Dic, teretes digitos quare annulus et lapis ambit, Quum teretes digiti dent pretium lapidi ».

37. *Per te componitur aurum*, i. e. ornatur et honestatur, quo sensu verbum componere a sequioribus usurpari notavi ad Arborii elegiam, huj. op. t. II, p. 271. Ed.

38. *Scriptique tenax.* Laudare jam Mariam videtur ut eruditam et studiosam literarum. Unde lacunæ horum versuum sic expleri possunt: « Præterea es scriptique tenax, veloxque legendi, Et tamquam talis fueris præsaga mariti, Jam Musæa tuis insedit cura medullis ».

40. *Musæa cura*, amor Musarum, studium literarum. *Musæus* pro eo, qui a Musis est, vel ad Musas pertinet, inferioris latinitatis vox.

41. *Nec minus in propriis*, h. e. in rebus vel artibus, quæ femina rum sunt propriæ, e. g. in lanificio et textura.

42. *Textilibus calathis semper traxere perita.* Pro corrupto *traxere* cl. Burmannus reponendum censet *semper tractis arte perita.* Ego vero malo *tractare perita*, i. e. quæ perita es tractare lanam calathis. *Calathus* est vas vimineum, quo feminæ lanam facientes pensa reponere, tractare, portare solebant. Ovid. Her. IX, 73: « Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas ». Tibullus *quasil-*

Digitized by Google

Inque globos veteres coeuntia vellera pensa,
Compositas tenui suspendis stamine telas.
Quas quum multiplici * frenarunt licia gressu, 45
Traxeris et digitis tum mollia fila gemellis,

lum vocat IV, 10, 3; et Propert. IV, 7, 41 : « Et graviora rependit iniquis pensa quasillis ». Burmannus τῷ *textilibus* non incommode *rasilibus* substituendum putat ex Ovidio, Her. IX, 76, « Rasilibus calathis imposuisse manum ». Sed cui bono? — Apposite et clare Catullus in Epithal. Pel. Voss. p. 186 : « Ante pedes autem candentis mollia lanæ Vellera virgati custodibant calathisci ». Ed.

43. *Inque globos veteres coeuntia vellera pensa.* Reponendum forsitan « Inque globos teretes versans coeuntia pensa ». Vellera enim inconcinne repetuntur, et *versare* aptum rei verbum est. Sic Nasoni Epist. XIX, 37 : « Tortaque versato ducentes stamina fuso »; et Met. VI, 22, « Sive levi teretem versabat pollice fusum ». Burm. — In *teretes* pro *veteres* libenter adsentio Burmanno, reliqua audacius mutata sunt. Ego simpliciter pro nomine *vellera* verbum *vellere* repono, i. e. carpere vel trahere pensa : aut si mavis, lege *vertere*, nam *pensa* vel stamina lanæ *coeuntia*, i. e. contorta, vertuntur in globos teretes.

45. *Quas cum multiplici * frenarunt licia gressu.* Ita legebatur in MS, sed corrupte. Suspicior *formarunt* castigandum esse : sic enim in lanificio Parcarum, Achillis fila nentium, Catullus, Carm. LXV, 315 : « Dextera tum leviter deducens fila supinis Formabat digitis, etc. » *Formare* autem et *informare* est operis formam instruere. Forte pro *multiplici gressu* emendandum *nexu*, quia sursum versum texebant stantes, unde versu præcedente *suspendis stamine telas*; et *pendula tela* Ovidio, Epist. I, 10 : quem texendi modum egregie illustravit Salmas. ad Vopisci Aurelian. cap. 46. Burm. — Falli Burmannus videtur, qui versum hunc de modo sursum versum texendi, et spatha telam percutiendi, accipit. Præcedentia verba *suspendis stamine telas* indicare videntur, auctorem de recentiore texturæ ratione loqui, qua tela a sedentibus texebatur et pectine feriebatur, ac subtemen deorsum trudebatur. Inde hoc versu multo facilius et scripturæ aptius lego *multiplici frenarunt licia gressu*, h. e. licia, quibus subtemen intelligit, adnexa telæ, vel radio immissa implicarunt, vinxerunt stamina, *gressu multiplici*, i. e. progrediendo inter plura stamina. Hinc *radio percurrere telas* dicit Ovid. Fast. III, 819. Utramque texendi formam descripsit, et exemplo picturæ, ex antiquo codice Virgiliano prolatæ, illustravit Jo. Ciampinus, Veterum Monum. part. I, cap. 13, p. 104.

46. *Traxeris et digitis.* Præstiterit *Duxeris et digitis tum mollia fila gemellis*, non *traxeris*, quod filis mollibus non convenit, et *traxere*, vel *trahis arte*, ut conjeci, modo præcessit. Possis et *Torseris*, ut apud Ov. Met. XII, 475, « columque, I, cape cum calathis, et stamina pollice torque ». Auctor Elegiæ in obit. Mæcen. 73, de Hercule, « torsisti

Digitized by Google

Serica Arachneo densentur pectine texta,
Subtilisque seges radio stridente resultat.
Sed jam sufficiat de magnis pauca loquutum;
Non sinit hoc tempus totas effundere vires.
Quin magis, o pueri, vosque exaudite, puellæ,
Quos optare pares thalamos, tædasque jugales
Sensibus ex imis suspiria ducta fatentur.
Consertas prensate manus, magnumque per orbem
Dextra liget lævam, festos celebrate hymenæos,
Ac modulante melo, pariter cæso pavimento,

pollice fusa ». *Ducere* autem et *deducere* propria hac in re verba, de lana ex fuso vel colu in longum tracta et extensa. Sic Tibull. Eleg. I, 3, 86, « Deducat plena stamina longa colu »; et Eleg. III, 3, 36, « tristesque sorores Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt ». Burm.

47. *Serica Arachneo densentur pectine texta.* Burmannus conjicit *densantur. Pecten* qui fuerit, Gesnerus explicat ad verba Claudiani, in Eutrop. II, 381, « doctissimus artis Quondam lanificæ, moderator pectinis unci ». Intelligo, inquit, illud instrumentum, quod mille parvos ex aciculis uncos tabulæ adfixos habet, inter quos tractæ lanæ explicantur, distribuunturque in paginas æquabiliter. De lanificio et textura non alius explicatior locus exstat, quam hic noster. Qui tamen totus expressus videtur ad exemplar loci Ovidiani, quo tela ab Arachne pertexta narratur, Metam. VI, 55 seq. Unde et *Arachneum pectinem* appellat Noster. Locus iste, ut imitatio appareat, hic apponendus est, « Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis; Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes ».

48. *Subtilisque seges*, series subtilium dentium pectinis, quibus fila feriuntur. Sic *segetem ahenam* junctarum seriem tibiarum in organo hydraulico vocat Claud. de Cons. Mall. v. 316.

49. *De magnis pauca*, fortasse *de multis*.

53. *Suspiria ducta fatentur.* Sic de Honorio Claudianus, Nupt. Hon. 3: « Nec novus unde color, nec quid suspiria vellent Noverat incipiens, et adhuc ignarus amandi ».

54. *Magnumque per orbem*, magno orbe vel circulo facto, ad choreas ducendas, sive longo circuitu ad aram procedentes. Ed.

56. *Ac modulante melos pariter cesoque * pavinto Compede vox resonet.* Locum hunc mendosum sic constituendum opinor: « Ac modulante melo, pariter cæso pavimento, cùm pede vox resonet »: ut saltationi cantum addat; et *cæso pavimento*, neglecta secundæ syllabæ, quæ longa est, quantitate dixerit; nisi propterea vocem contraxerit, et *cæsoque pavento* pro *pavimento* posuerit, cujus tamen exemplum apud similis

Digitized by Google

Cum pede vox resonet, persultent atria larga,
Quæ virides cingunt hederæ, laurique coronant,
Votigerique ignes, stellantia lumina, complent.
Tympana, chorda simul, symphonia, tibia, buxus,
Cymbala, bambalium, cornus et fistula, sistrum,
Quæque pererratas inspirant carmina voces,
Humida folligeris exclamant organa vocis.
Surge, age jam, juvenis, dextram complectere sponsæ,
Tuque, puella, caput niveo velamine tecta,
Non cunctante gradu gressum comitare mariti.
Tuque etiam paucis monearis, Pronuba, verbis,
Quum fuerit ventum ad thalamos, primumque cubile,
Sit tibi cura ingens innoxia reddere membra

ætatis scriptores desidero.—*Cædere pavimentum* est *terram pavire*, seu pede saltanti percutere, quod *pede libero pulsare terram* Horatio dicitur. — Dein *modulante melo*, casu sexto, ævi inferioris scriptoribus frequens esse docet Buchnerus ad Venantii carmen de Resurr. Christi, v. 30; possis etiam *modulante chely*. Buam.

59. *Votigeri ignes*, qui vota et bona omina significant. — *Stellantia lumina*, quæ instar diversarum stellarum lucent, *complent*, penitus illustrant, atria. In nuptiis illustrium multa lumina accendi solita indicat etiam Claud. de Nupt. Hon. 206: « Alii funalibus ordine ductis Plurima venturæ suspendite lumina nocti ».

61. *Bambalium:* scribendum puto *bombalium*, a bombo, seu graviore sonitu. Buam. — *Bambalium* vox ignota, Cangio etiam.

62. *Quæque pererratas inspirant carmina voces.* Hic versus referendus ad *organa*, quæ versu seq. nominantur, et *carmina* mutandum in *carmine* cènseo, ut describat *organa*, quæ *voces inspirant pererratas carmine*, h. e. voces, quæ pererrante digito, et plectra quasi carminatione aliqua perstringente, excitantur. Conferendus est locus Claudiani de eodem agens, Cons. Mall. 316: « Innumeras voces segetis moderatus ahenæ, Intonat erranti digito ».

63. *Humida folligeris.* Sic corrigo pro *Huia*, quod Wernsdorf. et alii dant; quamvis putet Wernsd. *Huia* si recte scriptum sit, fictum esse vocabulum, quod flatum atque sonum tibiarum in organo exprimat. Ed. — In Præfat. ad Organon Porphyrii, huj. op. t. II, p. 705, hunc versum sic emendavimus: « Jubila folligenis exclamant organa bombis ». Eo loco et cætera ad antiquitatem organorum spectantia contulimus, et pneumaticum hic organon describi monuimus. Legendum est *folligenis exclament organa votis:* folligenis, quæ follium exspiratione proferuntur.—Ego *humida* refero ad hydraulica. Ed.

Digitized by Google

Virginis, ut totum quod possit lædere demas.
Nullum sit capiti, quo crinis comitur, aurum,
Nec collo jaceant, nisi quæ sunt lævia fila,
Annulus et digitis tollatur mollibus asper,
Ac niveos auro propera spoliare lacertos;
Ne, dum... atque oscula dulcia jactant,
Exercentque toris Veneris luctamen anhelum,
Cuncta per amplexus fœdentur membra mariti,
Atque invita viri maculet, quæ diligit, ora.
Ite pares: tandemque toro recubate potito.
Mellea tunc roseis hærescant basia labris.

. . . . . .

Dextera cervicem niveam subjecta retentet,
Stringentesque simul constringat læva papillas.
Vivite felices, quam longaque carpite sæcla:
Vivite concordes, donec premat una senectus,
Multorumque onerent natorum jura nepotes.

70. *Ut totum, quod possit lædere. Totum* pro omni positum more inferioris ætatis. Vid. not. ad Porphyr. Organ. v. 10.

75. *Nec dum... atque oscula:* suppleri posset, *Nec, dum mille jocos atque oscula.* Buam. — Sed legendum est *Ne, dum.*

76. *Exercentque toris Veneris.* Tale est, quod Catullus in Epithalamio, sponsis adclamat: « Munere assiduo valentem Exercete juventam ». —*Luctamen* appellat, ut verbo *luctari* sæpe eadem de re utuntur poetæ. Videatur Propert. II, 1, 13, et II, 15, 5.

80. *Hærescant basia labris.* Propert. II, 15, 10: « quantum Oscula sunt labris nostra morata tuis ».

82. *Stringentes papillæ.* Quid sibi velint, non video, quum eædem constringendæ dicantur manu. Igitur reponendum pro eo *Turgentes, lactantes,* aut aliud simile vocabulum poetis usitatum; nisi potius *Stringentis* legendum, nempe viri puellam amplexantis, ut dicitur a Maximiano, in Eleg. V, v. 31: « Urebar teneros adstringere fortiter artus ».

83. *Vivite felices.* Formula faustæ adclamationis. Ed. — *Longaque carpite sæcla.* Sic et Statius conjugibus precatur, Silv. II, 2, 145, « ite per annos Sæculaque ».

84. *Donec premat una senectus:* nempe ambos una. Sic Tibull. I, 6, 86: « nos, Delia, amoris Exemplum cana stemus uterque coma ».

85. *Multorumque onerent,* hoc est, accumulent, vel super multos liberos accedant nepotes, qui paria cum istis jura habeant.

Digitized by Google

FRAGMENTA

EPITHALAMIORUM VETERUM,

SIVE

ADLOCUTIONES SPONSALES,

QUÆ SEORSUM EXSTANT *.

I. GALLIENI IMP. ADLOCUTIO AD SPONSOS.

ITE, agite, o juvenes; et desudate medullis
Omnibus inter vos : non murmura vestra columbæ,

* In plerisque epithalamiis Veterum exstant adlocutiones vel adhortationes ad sponsum sponsamve, quæ vel hymenæi nomine inseruntur, vel ut dicta Pronubæ, aut ipsius Veneris, fœdus conjugale sancientis, referuntur. Qualis inprimis est, quæ in Claudiani Epithalamio Pall. et Celer. v. 130 seqq. legitur, nostris hisce persimilis. Aliæ tamen separatim exstant, quas partim e libris manu exaratis primum produxit Burmannus, Antholog. Lat. lib. III, epigr. 258, 259, 260. Quæ quum omnino videantur esse fragmenta majorum Epithalamiorum, utpote sermonem a reliquo narrationis corpore abruptum exhibentes, placuit Epithalamiis superioribus subjungere, ut, quidquid hujus generis in vetustate exstat, in unum conferamus.

1. *Ite, agite, o juvenes.* Ita edidi ex Bineto, pag. 8, qui duobus versibus auctius exhibuit, quam legitur apud Trebellium in Gallienis, cap. 11, et in Catalectis Scaligeri, lib. I, pag. 205; ubi etiam in initio habetur, « Ite, agite, o pueri, pariter sudate, etc. » quod exposuit Eustath. Swartius, Analect. lib. I, cap. 10: sed *desudare*, ut eodem sensu *depugnare*, perfectum et integrum luctæ amatoriæ fructum magis exprimere videtur. Vide notas ad Petron. cap. 19. In Trebellio legitur, « Ite, ait, o pueri, pariter sudate », ut in edit. Aldina Hist. Aug. script. sed alterum *Ite, agite* præfert Barthius ad Claud. p. 789, ut edidit Binetus, quem sequuta est editio Patissoniana, p. 152, et Frelloniana, p. 214. BURM.

2. *Omnibus inter vos.* Barthius

Digitized by Google

Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.
Ludite, sed vigiles nolite exstinguere lychnos:
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernæ.

l. c. scribendum arbitratur *Omnibus intra vos*, cui conjecturam illam, ut plurima alia, sublegit Swartius. Burm. — *Non murmura vestra columbæ*. Sic Claudian. in Fescenn. IV, 21: «Et murmur querula blandius alite Linguis assidue reddite mutuis». Frequens hæc ad columbarum oscula et murmurationes allusio poetis. Unde *columbari* et *columbatim dare basia* dicebant.—Vide quæ notavimus ad Lyricum VIII, hujus operis t. II, pag. 454. Ed.— Quibus addimus tantum locum Senecæ, Epist. CXIV: «Quid si quis feminæ cirro crispatæ, et labris columbatur».

3. *Brachia non hederæ.* Et hoc frequens. Claud. l. c. vs. 18: «Tam junctis manibus nectite vincula, Quam frondens hedera stringitur æsculus». Catullus in Epithalamio Manl. v. 33: «Mentem amore revinciens, Ut tenax hedera hac et hac Arborem implicat errans»; et Horat. Carm. I, 36, 20: «Nec Damalis novo Divelletur adultero Lascivis hederis ambitiosior». — *Oscula conchæ.* Dum conchis adsimilat, oscula labris inhærentia, et arctius impressa, instar morsus, significat, de quibus superius Epithalamium, v. 81; siquidem Plin. lib. IX, cap. 37, seu 61, conchas *clusiles mordacesque* appellat, similiterque ostrea describit Ausonius, Epist. IX, 6, «Quæ testis concreta suis ceu saxa cohærent». — Vid. hujus op. t. I, p. 284. Ed. — Huc igitur pertinent, quas Plautus in Pseud. I, 1, 65, «teneris labellis molles morsiunculas» nominat, et Catullus indicat Carm. VIII, «Quem basiabis? cui labella mordebis?»

4. *Sed vigiles nolite exstinguere lychnos.* Intelligenda hæc de lucerna amoris conscia, de qua Propert. II, 15, 3: «Quam multa apposita narramus verba lucerna?» — *Vigiles lychnos* vocat, ut «vigiles lucernas» Horat. Carm. III, 8; et «pervigiles tibias» Claudian. in Fescenn. 43. Pari modo «vivas lucernas» idem Horatius, et «animam lucernæ» dixit Varro in locis apud Heins. ad Claud. Rapt. Pros. III, 386. Burm. —Sed *vigiles* et *vivas* lucernas satis explicavimus ad Statii Lyricum, v. 13, huj. operis t. II, p. 419. Ed.

5. *Omnia nocte vident.* Swartius hæc cum nota interrogationis legebat, ut verba sint novorum et timidorum sponsorum, quibus ut animos adderet, Gallienus respondet, «Nil cras meminere lucernæ». Burmann. Tale est, quod apud Martialem XIV, 39, lucerna cubicularia loquitur: «Dulcis conscia lectuli lucerna, Quidquid vis, facias licet, tacebo». — Hæc intelligenda videntur de lucerna amoris conscia, ad quam solebant ἐν δωματίοισιν experiri Ἀφροδίτης τρόπους, ut dicit Aristoph. in Eccles. v. 8. Apposite Propertius, El. II, 12, 7, et seqq. Plura de lucernæ usu ad nocturnum opus vide apud Gonsal. ad Petron. cap. 30, p. 109. Ed.

Digitized by Google

II. AVITI* ADLOCUTIO SPONSALIS.

Linea constricto de pectore vincula solve,
Et domino te crede tuo : ne candida lædas
Unguibus ora vide, vel ne contacta repugnes.
Est in nocte timor, non est in nocte periclum :
Nec volo contendas; vinces, quum vicerit ille.

* AVITI. Hanc ex schedis Salmasianis et Divionensibus præcedenti Gallieni Adlocutioni sponsali conjunctam edimus, ita ut jam producta fuerat a Salmasio ad Trebellii Poll. Gallien. cap. XI : ex quo etiam exhibet Opitius in Var. lect. cap. 8, qui Avitum hunc putat Gallonium Avitum dictum, ejusque hoc ipsum Epithalamium inter centum illa epithalamia fuisse, quæ Trebellius cantata testatur, quum Gallienus fratrum suorum filios conjugaret. Burm. — Gallonium Avitum, legatum Thraciarum sub Aureliano, memorat Fl. Vopiscus in Bonoso. Sed hic Avitus fortasse est Alcimus, cujus duo similia, id est, amatoria epigrammata exstant in Burmanni Anthol. Lat. lib. III, ep. 211 et 212, qui tamen diversus ab Alcimo Avito, episcopo Viennensi, sacrorum carminum auctore, habendus est.

2. *Nec candida lædas Unguibus.* Vitiosissime in Salmasiano et Leidensi cod. *candita ledas Huncuibus hora :* neque melius edidit Salmasius, *In quibus ora;* quod nimis supine sequutus est Almelov. in Epigr. vet. pag. 15. Optime in schedis Divionens. *ne candida lædas Unguibus ora, vide,* ut emendat Opitius, et Heinsius in margine schedarum Salmas. Olim etiam Scriverius conjecerat *ne candida lædas Conjugis ora vide.* Burm. — Morem illum veterum nuptiarum, quo sponsæ a primo congressu viri se pugnando atque unguibus defendebant, frequenter attingunt carmina nuptialia. Claudian. in Fescenn. IV, 5, « Ne cessa, juvenis, cominus aggredi, Impacata licet sæviat unguibus ». Idem, Epithal. Pall. 134 : « Concede marito Tu quoque, neu Scythicas infensis unguibus iras Exercere velis ».

5. *Nec volo contendas; vinces.* Claud. Epithal. Pall. l. c. « vinci patiare, rogamus : Sic uxor, sic mater eris ».

Digitized by Google

III. INCERTI EPITHALAMIUM*.

Ite, verecundo conjungite fœdera lecto,
Atque Cupidineos discite ferre jocos.
Concordesque regat cum majestate benigna,
Quæ regit Idalium, quæ Cnidon alma regit:
Adliget amplexus tenerorum mater Amorum,
Constituat patres, et cito reddat avos.

* *Epithalamium.* Ex schedis Salmas. et Divionensibus hoc inedi-tum protulit Burmannus, Anthol. Lat. lib. III, epigr. 260.

3. *Concordesque tegat* edidit Burmannus, sed legendum *regat* censeo, ut respondeat sequenti *Quæ regit Idalium.*

4. *Quæ regit Idalium.* In schedis Salmas. et Divionens. vitiose legebatur *Quæ tegit Idalium, quæ Gnidos alma tegit;* et in cod. Leid. *Quæ tegit Idaliumque Gnidos.* Sed exhibui veram Heinsii emendationem. Est enim imitatio Catulli, carm. XXXIV: « Nunc o cæruleo creata ponto, Quæ sanctum Idalium, Uriosque portus, Quæque Ancona, Cnidonque arundinosam Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos ». Similiter hæc commutantur apud Claud. in Eutrop. II, 413; Silium, lib. VI, 307; ubi vid. Drak. et Jo. *Arntzen* ad Aurel. Vict. Epit. XIV, 6. Burm. — Magis aptum erat provocare ad locum Horatii, Carm. I, 30, « O Venus, regina Cnidi Paphique ». Quoniam enim ibi regina Cnidi vocatur, hic *regis* non *tegis* legendum est.

6. *Constituat patres, et cito*, h. e. quod Catullus in Epithalam. Manl. prælusit: « Ludite, ut lubet, et brevi Liberos date; non decet Tam vetus sine liberis Nomen esse, sed indidem Semper ingenerari ». Et conf. Epithal. Laur. vers. extr. — Hoc tomo supra, p. 403. Ed.

Digitized by Google

XIII.

LICENTII

CARMEN

AD

AUGUSTINUM PRÆCEPTOREM.

PRÆFATIO.

Carmen jam proponimus, cujus auctor ætate sua laudem poetæ pæne perfecti tulit, quodque ipsum egregia ingenii doctrinæque lumina habet, sed partim audaciore usu verborum, partim inveterata scripturæ corruptione tam obscurum et inquinatum est, ut, qui nunc primi ad illud illustrandum aggredimur, vix credamus, pares nos ei negotio futuros esse. Legitur illud epistolæ Augustini ad Licentium insertum, quæ in vulgato Epistolarum ejus ordine tricesima nona est, sed vicesima sexta in tomo II novæ editionis operum August. quæ cura Benedictinorum e congreg. S. Mauri prodierunt Antwerpiæ, an. MDCC, in-fol. Quum tam frequentes editiones omnium operum, et sigillatim Epistolarum Augustini, factæ sint, carmen tamen Licentii nullam a tot editoribus curam, quæ lucem atque medelam afferret, expertum est, mansitque illud in omnibus, etiam novissimis, exemplaribus quum plurimis obsitum mendis, tum omni ope interpretationis destitutum, ut affirmari possit, neminem editorum intellexisse, quod ederet. Quo major nobis danda est opera, ut, quod adhuc neglectum adeo et desti-

Digitized by Google

tutum, immo ignoratum a plerisque est, quamvis felicis ingenii carmen, commentatione nostra, quantum fieri possit, nitori atque sensui suo restituatur. Sed primum de auctore ejus dicamus.

Licentius civis et municeps Augustini fuit, Thagastæ, civitate Numidiæ, ut ille, natus, quo anno, incertum. Hoc ipse declarat versu 137 seq.

> Sed nos præterea, quod ab una exsurgimus urbe,
> Quod domus una tulit, quod sanguine tangimur uno
> Sæclorum, Christiana fides connexuit.

Falsi itaque sunt Gyraldus, Vossius, Borrichius, Bailletus, Brietius, qui Hipponensem fuisse Licentium affirmarunt. Sed tamen stirpe et cognatione Augustino conjunctum fuisse, ipse Licentius versibus adductis prodit, cui adversari videtur Paullinus in Epist. XLVI ad Romanianum et Licentium scripta, quæ in volumine epistolarum Augustini XXXVI est, ubi Alypium fratrem Licentii consortio sanguinis esse, Augustinum ejusdem in disciplinis magistrum et ingenii satorem, affirmat:

> Frater Alypius est, Augustinusque magister,
> Sanguinis hic consors, hic sator ingenii.

Auctor Vitæ Augustini in editione Benedictinorum, lib. I, cap. I, ut ista conciliet, existimat, Licentium adolescentem, quo impensius præceptori adblandiretur, poetica licentia loquutum, qua nonnunquam unius urbis cives uno sanguine prognati dicuntur. Ego vero Licentium, quum Augustinum ait secum non modo ab una urbe, sed et domo una et sanguine uno esse, gravius et disertius loquutum esse existimo, quam ut de sola civitate possit intelligi, quamquam hic *domum* non familiam, sed gentem laxioremque cognationem significare, ultro concedo. Si Paullinus Augustinum magistrum Licentii, non fratrem, ut Alypium, no-

Digitized by Google

minat, propterea istius cognationem non negat; et quemadmodum Paullinus Alypium Licentii, ita Augustinus Romanianum, patrem Licentii, suum fratrem appellat, epist. XXXII ad Paullinum, quæ est XXVII novæ edit. Fratris autem nomen a Christianis scriptoribus sæpe latissima significatione usurpari, notum est. Romanianus ipse, Licentii parens, civis Thagastensis, genere atque opibus insignis, familiarissimus Augustino ab ineunte adolescentia fuit (1), qui ei et libros *adversus Academicos* et *de vera religione* dedicavit. Hujus igitur filius fuerit Alypius, si frater Licentii proprie vocatur a Paullino. Sed cognatum modo ejus vocat Augustinus in epist. cit. Alypius autem, Thagastæ episcopus, Augustino, Paullino et Hieronymo amicitia et literarum commercio conjunctus fuit. Licentius a pueritia Augustino deditus et commendatus a patre, eum Carthagine rhetoricam docentem audivit, et deinceps Romam et Mediolanum profecto continuo adhæsit, instituendumque se bonis artibus et philosophiæ præbuit (2). Quum Mediolano in villam Verecundi Cassiciacum secessisset Augustinus cum nonnullis amicis (3), inter quos ipse fuit Licentius, varias cum iis disputationes philosophicas instituit, quas deinceps in libros ibidem scriptos *contra Academicos, de Beata Vita, de Ordine,* redegit. In his libros *de Academicis* Augustinus Romaniano dedicavit, quod in ea disputatione præcipuas partes Licentius, ejus filius, egisset, et Academicorum doctrinam defendisset. Hunc secessum in Cassiciaco innuit Licentius, ubi felicissimos dies cum sancto doctore in Italiæ medio

(1) Vid. Epist. Cit. August. ad Paullin.

(2) Graviter de ea institutione Augustini ad ipsum Licentium scribit Paullinus: « Audi, fili, legem patris tui, id est, fidem Augustini; et noli repellere consilia matris tuæ, quod æque nomen in te Augustini pietas vindicat: qui te tantillum gestavit sinu suo, et a parvulis primo lacte sapientiæ sæcularis imbutum, nunc etiam spiritalibus lactare et enutrire Domino gestit uberibus ».

(3) Augustin. Confess. lib. IX, cap. 3.

Digitized by Google

inter jucundissima otia et erudita colloquia transactos sibi revocari peroptat, versu 52 seqq. Atque in his libris, quibus disputationes cum Licentio et amicis habitæ describuntur, plurima insunt testimonia, quibus propensum Licentii in poeticam ingenium et studium singulare, Virgilii maxime, quem in villa ista cum amicis lectitabat, tractatione incensum atque nutritum, laudatur. Libro II de Academ. cap. 4 ait Augustinus, tractatis per aliquot dies libris Virgilii, quos Licentio interpretatus fuerat, illum sic inflammatum in poeticæ studium esse, ut aliquantum etiam reprimendus videretur. Jam enim ab hac intentione ad nullam se rem devocari libenter tulisse, libro III, cap. 1, dicit: « Licentius fingendis versibus vacavit, quorum amore ita perculsus est, ut propter eum maxime mihi istum sermonem inferendum putarem, quo in ejus animo philosophia (nunc enim tempus est) majorem partem, non modo quam poetica, sed quævis alia disciplina, sibi usurpet ac vindicet ». Sigillatim tum eum in fabula de Pyramo et Thisbe, et aliis hujusmodi amoribus decantandis occupatum fuisse significat, libri I de Ordine, cap. 2, item 5 et 8. Porro libro II contra Acad. cap. 3, de Philocalia et Philosophia, tamquam gentilibus inter se et cognatis, loquens, quum eas cum avicula libere volante, aliaque caveæ inclusa comparasset, sic pergit Romanianum adloquens: « Quam totam fabulam (nam subito Æsopus factus sum) Licentius tibi carmine suavius indicabit: poeta est enim pæne perfectus ». Videtur iis verbis Augustinus Licentii aliquod de Philosophia carmen Romaniano polliceri. A quo proposito ipse non alienus videtur, ubi libro I de Ordine, cap. 8, ait: « Pigrior sum ad illa metra subito effectus; alia, longe alia nescio quid mihi nunc luce resplenduit: pulchrior est Philosophia, fateor, quam Thisbe, quam Pyramus ». Unde illum paullo post hortatur Augustinus, ut in carmine de Pyrami amore, arrepta opportunitate, « attollat se in laudem puri et sinceri amoris; quo animæ dotatæ disciplinis et virtute formosæ

Digitized by Google

copulantur intellectui per philosophiam, et non solum mortem fugiunt, verum etiam vita beatissima perfruuntur ». Sed neque hujus carminis quidquam tentatum a Licentio videtur, neque illud, quod reapse molitus est, de Pyramo et Thisbe unquam perfectum in lucem prodiisse (1). Nempe illud studium Licentii crebris sanctorum virorum, ut Augustini, quiritationibus, qui illud profanæ gentilitati affine sanctitatique religiosæ adversum reputabant, et Licentium ad consectandam veram sapientiam vitamque sanctiorem cohortabantur, tandem oppressum exstinctumque videtur, ut nihil amplius ejus generis tentare et in lucem proferre auderet. Quod sane fatum universæ poeseos inter Christianos veteres fuit, ut qui alias ingenio ad poesin apto valerent, arte tamen et materia poetarum propria, tamquam profana et religioni contraria, uti nollent, et, ne minus Christiani viderentur, poetæ esse desinerent. Ob eamdem caussam non mirandum est, si poematum, quæ forte scripsit Licentius, nihil ad ætatem nostram pervenit: nam quum pleraque amores et fabulas Veterum exponerent, suadentibus viris sanctis, quibus obtemperandum aut gratificandum esset, ipse ea suppressit et abolevit, aut, ut neglecta minus describerentur, permisit. Solum illud ad Augustinum missum, quum pietatis in eum monumentum, et epistolis ejus insertum esset, quasi umbone sancti viri protectum, invidiam hominum et temporum injuriam vitavit. Cæterum illa, quæ intercidit, fabula de Pyramo et Thisbe, quum ejus memoria in scriptis Augustini servata et propagata ad

(1) Exstare hodie poema Licentii de Amoribus Pyrami et Thisbes existimat Adr. *Baillet, Jugements des Savants*, t. III, p. 292 : *Il nous est resté de Licentius une espèce de poème galant et profane, des Amours de Pyrame et de Thisbé, dont le style, au jugement du Père Briet, est assez obscur et assez bas* ». Sed errorem vel ignorantiam Bailleti ridet Menagius, et quando Brietius judicaverit, stylum Licentii obscurum et humilem esse, id ab ipso Brietio de poemate Licentii ad Augustinum scripto dictum esse monet, *Anti-Baillet*, part. I, cap. 98.

Digitized by Google

recentiora tempora esset, excitavit haud dubie nonnullos ævi medii poetastros, ut eamdem versibus describendam sumerent. Memoravit Polyc. Leyserus, in Hist. Poet. med. ævi, pag. 2086 et 2088, duo incertorum auctorum carmina, historiam de Pyramo et Thisbe exponentia, quæ manu scripta in bibliotheca nostræ Academiæ servantur, sed ne veteris poetæ Licentii esse credantur, incultis et partim rhythmicis versibus, quibus scripta sunt, ultro intercedunt (1). Alia poemata a Licentio relicta Gyraldus in Hist. Poet. dial. V, p. 291, memorare, tamquam nota sibi et lecta videtur. » Hymnos vero, inquit, scripsit et epistolas, aliaque poemata, ex quibus eum quidem in poetica valuisse, non tamen præstitisse, plane conspeximus ». Sed falsum et memoria lapsum Gyraldum esse, nulli dubitamus, qui fortasse in animo habuit Paullinum, Licentii æqualem, et scriptorum ejusmodi auctorem. Neque enim ab Augustino, qui maxime potuit, vel ab alio quopiam, scripta Licentii alia, præter ista a nobis laudata, memorari, multo minus exstare hodie, novimus (2).

Sed jam de carmine, quod superest, ad Augustinum misso dicendum est; cujus scribendi hæc caussa atque occasio fuit. Augustino in Africam reverso, et sacerdotium adepto, relictus in Italia, Licentius Romam concesserat, honores officiaque aulica et conjugium spectabat, interim acerrime incumbebat ad studia literarum, totusque in legendis præstantissimis quibusque Veterum libris versabatur. Inter hæc quum sæpe locos ad intelligendum difficiles, plurimosque rerum nodos, quibus solvendis ipse par non esset, offen-

(1) Sed historia de Pyramo et Thisbe, quam Pol. Leyserus e MS Helmstadiensi protulit, Æneæ Sylvio, postea Papæ Pio II, tribuitur in MS Bibliothecæ Thoruniensis, ut memorat Fabricius in Biblioth. med. et inf. latin. vol. V, p. 882, et ipse Petr. *Jænichen* in Notitia Biblioth. Thorun. p. 26. Ed.

(2) Post Gyraldum alii, ut Vossius, Borrichius, Brietius, Bailletus, hymnos a Licentio relictos prodiderunt, quos omnes a Gyraldo deceptos esse confirmat Menagius in *Anti-Baillet*, l. c.

Digitized by Google

deret, præterea curis gravioribus angeretur; recordari subinde Augustini, a quo discesserat, solebat, quem olim ducem studiorum et vitæ moderatorem fidelissimum habuerat, et nunc maxime ejus præceptis ac monitis se indigere videbat. Hujus igitur magistri desiderium ut quodammodo leniret, hanc ei epistolam scribit versibus, in qua memoratis primum, quas in legendis Varronis libris offenderit, rerum atque sensuum difficultatibus, æstum animi sui exponit, vitæ negotiis se distrahi, et cupiditatibus suis tamquam in mari procelloso jactari profitetur: opem et solatium a sapientia et oratione Augustini petit; doctrinam ejus et magna in se merita, et honestissimam, quam ob conjunctionem studiorum inter se coluerint, amicitiam laudat, neque hanc locorum aut temporum spatiis disjungendam, aut ullis casibus intermorituram confirmat: denique in auxilium studiorum suorum libros de Musica, ab Augustino compositos, sibi mitti petit. Videtur in his querelis, nam obscuriora insunt nonnulla, desiderium aliquod interius cognoscendæ, auctore Augustino, Christianæ disciplinæ, et ex ea quærendæ tranquillioris vitæ, significare, cujus rei jam ante in disputationibus cum Augustino habitis spem fecerat. Augustinus, qui dudum Licentium a studiis profanis civilibusque curis retractum adducere ad veræ h. e. Christianæ sapientiæ cultum studuerat, scripta ad eum epistola, cui ipsum ejus carmen insertum est, arreptaque occasione e versu 59, quo dicit: *Hoc opus ut jubeas tantum,* inclinantem impellere, euntem incitare conatur hortarique vehementer, ut vitam hactenus inanibus curis agitatam Christo ejusque disciplinæ addicat. Dolet admodum, talem animam taleque ingenium, quale ex ejus carmine eluceat, non licere sibi apprehendere et immolare Deo. Ablegat eum ad Paullinum in Campaniam, ut exemplo ejus adductus fastum excutere sæculi, et cervicem subdere jugo Christi discat, eoque moderatore vitam quietam et modestam agere. Denique arripit, quod in fine carminis dixe-

Digitized by Google

rat, *sic nobis verum ratione patescat*, et verum non inveniri affirmat, nisi apud Christum, qui ipsa sit veritas : ad quem igitur veniendum, ne laboremus. Neque vero satis habuit Augustinus sic castigare et admonere Licentium, subornavit etiam et hortatus est literis Paullinum, ut eosdem stimulos Licentio admoveret. Qui propterea scripta ad Romanianum, parentem Licentii, epistola, quæ in volumine epistolarum Augustini tricesima sexta, et novæ edit. XXXII, inter Paullini epistolas XLVI est, hunc prosa pariter ac versibus adloquitur, atque eum maxime locum ejus carminis apprehendit, v. 71 seq. quo Romæ se detineri, et officiis in aula capiendis conjugioque animum se adjecisse dixerat. Igitur, quanta cum honorum et divitiarum illecebris sollicitudo conjuncta sit, quanta in omni splendore fortunæ fallacia et misera servitus, quanta denique pericula metuenda, docet : veram nobilitatem libertatemque esse, servire Christo, et nihil dignius excelsiusque, quam abjectis rerum terrenarum curis et corporeis negotiis bona vitæ cælestis liquido animo præmeditari. Postremo auctoritatem allegat Augustini et Alypii, gravissimorum sanctissimorumque virorum, qui Licentio singulari amore, cognati et præceptoris, conjuncti, idem secum serio optent et dudum diligentissime hortentur. Dignum est carmen Paullini, quod cum illo Licentii conferatur, quoniam hujus querelis respondet, adeoque nonnulla Licentii obscurius dicta ejus verbis illustrari possunt. Etenim carmen Licentii plurimis in locis difficiles explicatus habet, quandoquidem ingenium in eo exuberat, rapido ferventius amne, quod cumulandis variandisque ideis vix modum tenet, sacra et profana, fabulas et historias, antiqua et nova miscet, tropos sæpe longius arcessit, levius adludit ad res et dicta Veterum, et subinde orationem subito abruptam ad alia transfert. Hinc ego factum esse arbitror, ut scriptores, quibus carmen Licentii proponendum esset, in argumento ejus edendo parum essent accurati. Quod facile demonstrari potest; nam in indice, qui Pithœi collectioni epigramm. et

Digitized by Google

poem. vet. præponitur, carmen Licentii sic describitur: *Licentii ad Augustinum in libros M. Varronis de Musica carmen.* In quo triplex error committitur: nam liber Varronis, cujus ibi mentio fit, non Marci Varronis, sed Publii Varronis Atacini est; neque Varronis liber de Musica, sed Varronis Iter sive Chorographia; denique expetitur a Licentio liber de Musica, non Varronis, sed Augustini, neque de eo libro ita agitur in carmine, ut dici possit, carmen illud in libros de Musica scriptum esse. Fabricius in Bibl. Lat. lib. IV, cap. 1, § 7, ubi Licentium dicit, *Augustinum ad edendos de Musica libros hortari*, finem solum ejus carminis, non summam, indicat. Nec Licentius eos libros edendos, sed secum communicandos, petit. Editor Collectionis Pisaurensis omnium poematum Latin. qui est Paschalis Amatus, quondam eloquentiæ Professor in gymnasio Pisaurensi, carmini Licentii hoc argumentum præponit: « Ad Augustinum, declarans benevolentiam erga præceptorem nullis casibus intermorituram ». Ita vero medio e carmine versum 102 captans, vix tenuem ejus particulam complectitur. Nos supra argumentum carminis exponentes, multiplex hoc esse et variis redundans sensibus, et quodam quasi æstu animi effusum esse ostendimus. Primario tamen hoc propositum Licentii esse videtur; ut laudata Augustini disciplina et veteri contubernio, adfirmet, cupere se ab eo de gravioribus doctrinis certiorem reddi, institutioneque absentis per literas frui. Cui argumento persimile est aliud, sed breve, carmen Audacis cujusdam, quo se petit ab Augustino longioribus epistolis institui, quodque epistolæ prosa scriptæ subjunctum inter Augustini epist., vulgatæ ed. ep. CXXXIX, et novæ, CCLX, legitur. Id carmen quoniam Burmannus in Anthologiam Latinam referre intermisit, et mihi non molestum est inter plures, quos hoc opere meo produxi, poetas, carminum minorum artifices, nomen Audacis hujus audiri, placuit illud, licet jejunum et rude, hoc loco proponere:

Digitized by Google

Cur mihi fons orbis (1) parvo sermone (2) meavit?
An minus apta suis speravit corda fluentis?
Quum pateat mens omnis aquis (3), spectetque loquacem
Relligionis opem (4): gratos da sensibus imbres,
Exspectat quos plena fides Christi de stipite pendens (5).

Ut de tempore, quo carmen Licentii scriptum est, pauca adjiciamus, misisse illud Licentius ad Augustinum eo anno videtur, quo hic a Valerio, Hipponensi episcopo, collega adsciscebatur. Hoc inde colligendum arbitror, quod Augustinus, ad Paullinum scribens de Licentio, nihildum de sua ad episcopatum promotione memorat; Paullinus tamen paullo post ea in epistola, quam Licentii caussa ad Romanianum mittit, narrat, se pridie, quam eas literas dedisset, nuntium accepisse ex Africa, Augustinum jam incolumi Valerio ecclesiæ Hipponensis coepiscopum factum esse. Quando igitur Licentius versu 51 *antistitem* Augustinum vocat, de episcopo quidem ea vox non accipienda est, appellari tamen ita a poeta potuit, quod ille dudum magna auctoritate presbyter erat, atque eo tempore collega a Valerio postulabatur. Ad hæc adnotari meretur, Licentium v. 98 seq. aliquot versus ponere, qui pæne ad verbum transcripti sunt e panegyrico, quod Claudianus in Consulatum Probini et Olybrii scripsit, v. 169 seq. (6). Consules autem hi fuerunt eo ipso anno, quo carmen Licentii scriptum esse

1. *Fons orbis*, doctor et quasi fons omnis doctrinæ mundanæ. Sic enim in epistola de Augustino ait: «Tam tibi mundanus orbis notus est, quam notatus: tam tu ei cognitus, quam probatus».

2. *Parvo sermone meavit.* Hoc scilicet queritur in epistola præmissa: «Provocavi te, dulcis Antistes, non ut prælargi pectoris pusillum libamen acciperem; sed ut ingens divitis ubertim flumen haurirem. Thesaurum sapientiæ desideravi; sed minus accepi quam volui».

3. *Quum pateat mens omnis aquis*, h. e. quum cupiam totum pectus meum sapientiæ tuæ flumine perfundi.

4. *Loquacem Relligionis opem*, verbosiorem de religione institutionem: inepte et obscure.

5. Ultimum versum septem pedibus constantem ipse Augustinus reprehendit in responsione.

6. Confer edit. nostram Claudiani, vol I, p. 120, sq. Ed.

Digitized by Google

diximus. Ex quo intelligi potest quum ingens celebritas Claudiani, cujus poemata vixdum edita legerentur avidissime et per ora hominum volarent, tum vero studium Licentii ardentissimum, quo pulchra quæque monumenta ingenii, antiqua et nova, captare et legere, et in usus suos convertere soleret; nisi vero malis factum Licentii pejus interpretari, eumque furti accusare, quod alienis uti versibus voluerit, clam e carmine subreptis, quod haud ita pridem editum et paucis lectum, necdum Augustino, ad quem scribebat, notum esset.

Editiones carminis Licentiani paucas commemorare licet. Namque Operum vel Epistolarum Augustini, quibus insertum est, editiones ut hoc loco recenseamus, nemo exspectabit, et præter illas separatim, aut alia in collectione editum haud scio, nisi in Pithœi Epigramm. et Poem. veter. p. m. 471, edit. Lugd. 1596, et in Collectione Pisaurensi omnium Poematum, carminum, fragmentorum Latin. tomo VI, pag. 256 (1). Nos ad textum carminis recensendum, præter Pithœanum librum, consuluimus Epistolarum Augustini exemplar a Luca Frid. Reinharto, Altorfi 1668, forma quarta, editum, qui nonnullas aliarum editionum lectiones in margine notavit, tum novam editionem Operum August. a Benedictinis Congreg. S. Mauri procuratam, et recusam Antwerpiæ an. MDCC., fol. Alias plures conferre supervacuum duxi, quum in istis quidem, quas habebam, lectiones exemplorum scriptorum et excusorum variantes affatim exhiberi crederem, plane vero castigatam et critice emendatam recensionem nusquam exstare scirem. Pauca enim sunt, quæ Casp. Barthius, Advers. lib. XVII, capite 18 toto, aliisque

(1) His autem editionibus merito alias collectiones poematum poterat Wernsdorfius adjungere. Nam e Syllabo Poetarum Christianorum, quem Christ. Daumius Paullino Petrocorio præmisit, patet, carmen Licentii etiam editum a Georg. Vicelio exstare inter Christianorum Poetarum nonnulla carmina, Mogunt. 1542, in-4 : quem librum tamen in Addendis se Wernsdorfius non vidisse fatetur. Ed.

Digitized by Google

in locis, obiter ac parum solerter in hoc carmine castigare vel explicare studuit; et aliis eruditis tam raro et parce lectus est Licentius, ut ejus mentionem vix ab uno alterove fieri videamus. Plurimum igitur ad illustrationem ejus carminis ingenio et conjectura, propriaque industria, opus erit: cujus, age, nunc periculum faciamus.

Digitized by Google

LICENTII

CARMEN AD AUGUSTINUM.

Arcanum Varronis iter scrutando profundi
Mens hebet, adversamque fugit conterrita lucem.
Nec mirum : jacet omnis enim mea cura legendi,
Te non dante manum, et consurgere sola veretur.
Nam simul ut perplexa viri compendia tanti

1. *Arcanum Varronis iter.* Fabricius, Bibl. Lat. med. æt. vol. IV, p. 810, putat M. Varronis libros IX de Disciplinis a Licentio signari. Ego vero P. Ter. Varronis Atacini *Chorographiam* indicari, persuasum habeo; siquidem e fragmento ejus superstite, mox producendo, apparet, idem quod hic Licentius scribat, argumentum Chorographiæ fuisse. *Iter* Varronis Chorographiam vocat, quoniam eo libro, varios siderum orbes et regiones terræ peragrando, cæli et telluris situm descripserat; atque *arcanum*, quod Pythagoræi et Platonici, animam mundi ex numeris fabricatam docentes, arcanum hunc corporum cælestium concentum, et ab hominum sensibus abstrusum, adserebant, docente Macrobio in Somn. Scip. lib. I, cap. 1 et 2. « Cælestia secreta » appellat idem, c. 4 extremo. De Chorographia et affinibus libris Varronis plura dixi in Proœm. ad Halieut.

2. *Mens hebet.* Pithœus edidit *habet*, perperam omnino, et Barthius, Advers. XVII, 18, et XXIII, 10, merito exagitavit. *Hebet* est quasi obstupefit, ejusque acies retunditur. Virgil. Æn. V, 395, « sed enim gelidus tardante senecta Sanguis hebet »; et Valerius Flaccus, I, 53, « Olim annis ille ardor hebet ». Licentius eo dicto forte respicit ad illud, quod philosophi de illo mundi ex impulsu orbium sono dicebant, sensus hominum non posse eum capere. Cicero in Somn. Scip. « Hoc sonitu oppletæ aures hominum obsurduerunt: nec est ullus hebetior sensus in vobis ». Censorinus, cap. 13, ait, « septem stellas inter cælum et terram vagas dulcissimam concinere melodiam, sed nobis inaudibilem, propter vocis magnitudinem, quam capere aurium nostrarum angustiæ non possunt ».

4. *Te non dante manum,* hoc est, auxiliante, erigente. Saleius Bassus, v. 241 : « Tu nanti protende manum, tu, Piso, latentem Exsere ».

5. *Perplexa viri compendia*, rationes, quibus corpora cælestia orbes

Digitized by Google

Volvere suasit amor, sacrosque attingere sensus,
Queis numerum dedit ille tonis, mundumque Tonanti
Disseruit canere, et pariles agitare choreas;
Implicuit varia nostrum caligine pectus,
Induxitque animo rerum violentia nubem.
Inde figurarum positas in pulvere formas

suos conficere cum sono et harmonia quadam docet. Has satis perplexas et intricatas fuisse, qui intelligere velit, legat Censorinum de Die Nat. cap. 13, et Macrobii in Somn. Scip. libri II capita priora. *Compendia* eadem ex ratione dicit, ac versu primo *iter*.

6. *Sacros attingere sensus*, id est, reconditos et ingenia hominum fugientes : de qua notione *sacri* diximus ad Lucilii Ætnam, v. 224 et 461. Inde recessus interiores *sacraria*. Vid. Grat. Cyneget. 534, et Calpurn. I, 15.

7. *Queis numerum dedit ille tonis*. Perperam a Benedict. editum est *tonos*. Musicam inesse dixit motibus cælestium corporum e disciplina Pythagoræ, qui quos numeros et tonos iis, pro singulorum intervallis, dederit, e Censorini et Macrobii locis cit. disci potest. Id vero tradidisse Varronem in Chorographia, testatur fragmentum ejus, quod Marius Victorinus, lib. I Art. Gramm. p. 2503 ed. Putsch. servavit, et integrum Jos. Scaliger tum in Catalect. lib. II, p. 244, tum in Astron. vet. script. et fragm. p. 157, denique P. Burmannus, Anthol. Lat. lib. V, n. 46, protulerunt. Versus ipsos, quatenus huc pertinent, et quomodo ipse distinguendos et emendandos puto, hic apponam : « Vidit et ætherio mundum torquerier axe, Et septem æternis sonitum dare vocibus orbes, Nitentes aliis alios : quæ maxima Divis Lætitia est : et tum longe gratissima Phœbi Dextera consimiles meditatur reddere voces ».

8. *Mundumque Tonanti Disseruit canere*. Sic Pith. et Reinh. ed. quod sine dubio rectius, quam quod Bened. dederunt, « mundumque tonando Disseruit canere ». Illud enim ipsum respicit, quod Varro ait, « quæ maxima Divis Lætitia est ». Et Censorinus l. c. scribit : « Dorylaus scripsit, esse hunc mundum organum Dei : alii addiderunt esse idem τὸ Χορεῖον, quia septem sunt vagæ stellæ, quæ plurimum moveantur ». Ad eamdem doctrinam allusit Claud. Cons. Mall. 102 : « quæ vis animaverit astra, Impuleritque choros, quo vivat machina motu ».

9. *Implicuit varia*. Sic Reinh. et Bened. Ed. Pithœus habet *Implevit*. Claud. Laud. Stil. II, 133, « hebetat caligine sensus ».

10. *Rerum violentia*, vis et gravitas rerum in libris Varronis occurrentium. — *Induxit nubem*, hebetudinem mentis et obscuritatem fecit. Vide quæ notavimus ad Spurinnæ od. IV, 1. — Hujus op. nostri t. II, pag. 405. ED.

11. *Positas sine pulvere formas*. Omnes meæ edd. habent *sine pulvere*; Reinhartus tamen in margine notat, alios habere *in pulvere*, quod rectum puto. Doctores solebant ad

Digitized by Google

Posco amens, aliasque graves offendo tenebras :
Ad summam, astrorum caussas clarosque meatus,
Obscuros quorum ille situs per nubila monstrat.
Sic jacui nutans, ut talem omnino ruinam,
Nec qui nos prohibet latebras cognoscere cæli,
Nec persona daret functorum freta cavernis.

meliorem intellectum rerum figuras in pulvere scribere. Licentius igitur oratione obscura Varronis vexatus, dicit se figuras rerum in pulvere notatas poscere, ut melius intelligat. Sic Augustinus, Conf. lib. IV, c. 26, ait, « Categorias Aristotelis se solum legisse et intellexisse, quum eas alii vix magistris eruditissimis, non loquentibus tantum, sed multa in pulvere depingentibus, intellexissent ».

13. *Astrorum caussas clarosque meatus*, subintellige *posco*, vel *desidero*. *Claros meatus*, ut mihi cursus astrorum clare monstrentur. Barthius, XVII, 18, legere vult *clausos clarosque meatus*, quod ad scrutantem abdita Licentium magis faciat. Sed hæc correctio nihil juvat.

15. *Sic jacui nutans*. Vide, an legendum sit *tacui nutans*, i. e. præ stupore sic quasi mutus hæsi, ut quid de re dicerem, non haberem. Nam utrumque etiam jungit Augustinus, lib. I de Ordine, cap. 8, § 24: « Hic ille tacitus ac diu consideratione nutans, motato capite abscessit ». Et *taciti* vel *muti* alias dicuntur, qui alicujus rei admiratione perculsi, quia caussas ignorant, obmutescunt. Vid. not. ad Lucilii Ætnam, v. 273. Sed tamen et *jacui* satis aptum est sequenti *ruinæ*. Et Boetius pariter, lib. I, metr. 2 : « Nunc jacet effeto lumine mentis ». Licentius ipse inf. v. 83, « ratioque jacet stupefacta regendi ». — *Ruinam* appellare videtur perturbationem et dejectionem mentis, ut Ovid. Her. XII, 32 : « Illa fuit mentis prima ruina meæ ». Simile illud Val. Catonis, v. 182, « cordis fecere rapinam ».

16. *Nec qui nos prohibet*. Hic mihi hariolum optavi, qui hujus et sequentis versus sensum evolveret. Dum meliora succurrant, puto vatem astrologum et νεκρομάντιν significari. Ea rerum, inquit, obscuritas tali me stupore perculit, ut majore neque astrologus possit, qui arcana mihi siderum narrat, et tamen prohibet inspicere; neque ille, qui umbras sepulcris evocatas jubet obscura quædam vaticinia promere. — *Agnoscere cælis* legit nova editio Antwerp. quod vix est probandum.

17. *Nec persona daret functorum freta cavernis*. Pithœus edidit *punctorum*. Et Barthius l. c. ad hoc: Miro quodam et nobis inaudito modo cavernas punctorum pro abditis ipsis punctis et latentibus velut in puteo Democriti usurpavit. Sed reliquæ edd. rectius *functorum freta cavernis*, i. e. sepulcris, in quibus habitare facit Erichtho, sagam Thessalicam, Lucanus, VI, 511 : « desertaque busta Incolit; et tumulos expulsis obtinet umbris ». — Magi animas in sepulcris oberrantes consulere credebantur. Ammian. Mar-

Digitized by Google

Protea namque ferunt veterum commenta Pelasgum,
Qui dum sollicitis non vult aperire futura,
Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis,
Captum aliquando tamen in munera parva voluerum.

cellinus, lib. XIX : « Si quis per monumentum transiisse vespere argueretur, ut veneficus, sepulcrorumque horrores et errantium ibidem animarum ludibria colligens, reus capitis interibat ». Ed. — Cæterum *persona* hic dicta pro homine, quomodo jam Suetonius usurpavit, Ner. cap. 1. — *Daret ruinam*, pro faceret vel afferret, contra usum Veterum est, quibus *dare ruinam* est cadere et corruere. Virg. Æn. II, 310 : « dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus ».

18. *Protea namque ferunt.* Vox *namque* Barthio nihili videtur, quum nihil adsit, quod conjungat, ideoque legit *quemque*, ut fiat sensus : nec Protea, quem ferunt in formas se plurimas vertere posse, talem dedisse menti ruinam. Sed servandum est *namque*, et bene conjungit sequentia. Dixerat ante Licentius, nullum fore vatem aut magum, qui se vera quærentem tamdiu tamque ambiguo responso differat ; Namque Protea adeo, qui multos consulentes eludere consueverit, captum aliquando, ut verum responsum daret.

19. *Qui dum sollicitis.* Proteum vatem in varias formas ignis, aquæ, ferarum conversum, ut consilia petentes effugeret, nec nisi coactum et vinctum responsa dedisse, narrat Virgil. Georg. IV, 387 seqq. in fabula de Aristæo. Is de amissarum apum calamitate querens apud matrem Cyrenen, Nympham Penei fluminis, ab hac docetur Proteo capto oraculum extorquere. Quam fabulam similiter narrat Ovid. Fast. I, 363. At locus Virgilii totus hic respicitur a Licentio.

20. *Spumat aper.* Conf. Virg. l. c. v. 406 seq. Ovid. Met. VIII, 733 ; Sil. Ital. VII, 422 seq. Similiter Horat. Satir. II, 3, 71 : « Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus. Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, quum volet, arbor ». Versum autem Licentii ut pulcherrimum admiratur Menagius, *Anti-Baillet*, part. I, cap. 98. Sed contra *La Monnoye* inquit in notis : *Ce vers n'est pas du caractère héroïque ; les mots y sont rapportés les uns aux autres avec trop d'affectation. C'est un vers de grammairien, un vers technique ; Virgile n'aurait eu garde d'en faire un pareil.* Sed tamen Ovidius talem versum haud respuerit.

21. *Captum aliquando tamen in munera parva volucrum*, hoc est, ita aliquando captum esse, ut cogeretur dare parva munera volucrum, h. e. dare præceptum de acquirendis apibus. At quam obscura hæc ! *in munera* significat, ut munera daret vel acciperet, quemadmodum Claudianus in Ruf. I, 311 : « cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes », h. e. vulnerat equos, ut ex his pocula vel potionem habeat. — Aptissime huic loco Ovid. Amor. III, Eleg. 8, 33 : « sed postquam sapiens in munera venit adulter », hoc est, postquam Jupiter ad Danaen venit, ita ut secum ipse munus ferret. Ed. — Apes *volucres* et *aves* dicit

Digitized by Google

At mihi, qui nimium curis gravioribus angor,
Dulcia quique animæ, sed dulcia pabula quæro,
Varronis responsa latent. Quod supplice cantu
Præsidium nympham, regemque et flumina poscam?
An te voce vocem, clari quem rector Olympi
Fontibus infantum præfecit, et abdita jussit

Varro, lib. III de Re Rust. c. 16 : « Meum erat eas novisse volucres, quibus plurimum natura ingenii atque artis tribuit : itaque de incredibili earum avium natura audi ». Symposius, Ænigm. quod *Lapis* inscribitur : « Litera decedat, volucris quoque nomen habebo ». Sic etiam muscam *parvulam volucrem* appellat Phædrus, V, 3, 3.

23. *Dulcia quique animæ, sed dulcia pabula quæro.* Ita Pith. et Reinh. dederunt, melius omnino, quam Bened. « Dulcia quæque animæ, sub dulcia pab. q. » Barthium offendit illud *sed dulcia*, et quum clara tantum et dulcia sese sectari clare et suaviter dicat Licentius, legendum et procudendum deinceps autumat : Dulcia quique animæ, sed lucida pabula quæro ». Sed quis unquam *lucida pabula* dixit? potius *dulcia* Licentius haud inepte repetiisse censendus est, ut gravius adfirmaret, et apertius alluderet ad fabulam Aristæi, dulcia mella requirentis. Cæterum *pabula animæ* bonæ artes sunt, trita sententia, ut Lucilius, Ætnæ v. 270 : « Implendus sibi quisque bonis est artibus; illæ Sunt animi fruges ».

25. *Præsidium nympham, regemque et flumina poscam?* Sic Pith. et Reinh. ediderunt. Emendare videntur editores Bened. « Quod supplice cantu Præsidium nymphamve rogem, vel flumina poscam ». Sed præfero antiquam Pithœi lectionem. Plane enim alludere et tamquam repetere Licentius videtur fabulam de Aristæo, qui auxilium petens a nympha matre, et flumine adeo, in quo habitabat, « Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis, Multa querens », ut canit Virgilius, Georg. IV, 319. Quando etiam *regem* cum nympha et flumine hic appellat Licentius, videtur ipsum Proteum, a quo responsum petebat Aristæus, intelligere. Nam rex dicitur, quicumque regit, vel consilio, vel auctoritate et imperio.

27. *Fontibus infantum præfecit*, i. e. baptismo infantum administrando presbyterum constituit. Per *abdita* autem *fluenta*, quæ sequente versu addit, videtur interiorem doctrinam Christianam et institutiones Evangelicas significare, eo quidem tropo, quo flumen ingenii et orationis dici solet. Igitur post indicatas difficultates, quas in doctrina Varronis percipienda offenderat, videtur jam interiorem disciplinæ Christianæ scientiam ab Augustino petere, et ab Aristæo, qui auxilium nympham et flumen poscebat, transire ad Augustinum fontibus infantum, adeoque et institutioni catechumenorum, præfectum. Ingeniose hoc quidem, sed tamen et temerarie et minus religiose facere videtur, sacra profanis, et seria fabulis admiscens.

Digitized by Google

Ubertate animi longe ructare fluenta?
Ferto, magister, opem, ac tu ne desere vires
Invalidas, mecumque sacras subvertere glebas
Incipe: tempus enim, nisi me mortalia fallunt,
Labitur, in seniumque trahit. Tibi noster Apollo
Corda replet, patremque suum, patremque Deorum
Conciliat, legemque bonam, pacemque cruentam
Monstrat, et abducto velamine singula pandit.
Viginti emensus nam longos forsitan orbes

28. *Ructare fluenta*, id est, proferre, edere : indecorum verbum, ut infra, v. 148, *vomere;* sed valde frequentatum Christianis scriptoribus, qui e versione Latina sacri Codicis acceperunt. Prudentius, de Λόγῳ divino usurpavit, Apoth. 93 : « Immo animus Patris, et ratio et via consiliorum Protulit imperium patrio ructata profundo ». — Etiam improbavit hoc verbum in Prudentio Buchnerus, de Commut. rat. dic. I, 2, p. 44. Sic tamen eo usus est Symmachus, Epist. IV, 18 : « Vos amici Camenarum florem ructatis Heliconis ». Veteres id verbum non nisi de malis et contemptis rebus importuno sermone prolatis adhibuerunt, ut Horat. Art. Poet. 457 : « Hic dum sublimis versus ructatur, et errat ». Et Cicero in Catilinam, II : « eructant sermonibus cædem ». Ed. — Cæterum *fluenta* simpliciter dicuntur pro oratione et institutione, ut fit in brevi Audacis carmine, quod in præfatione protulimus.

29. *Ac tu ne desere vires.* Barthius hic, ne offendat amplius in legem carminis neglecta elisio, emaculandum arbitratur, « Ferto, magister, opem, nec te sine desere vires ». Ego hanc latinitatem non intelligo, nec elisione neglecta offendor, cujus generis plura committit auctor.

30. *Mecumque sacras subvertere glebas*, h. e. sacræ Scripturæ et Ecclesiæ doctrinam scrutari et excolere. Est hoc e latinitate ecclesiastica, ut Ecclesia agro vel vineæ, doctrina et institutio agricolationi adsimiletur. Sic acrostichis Sedulio subjuncta : « Sedulius Domini per culta novalia pergens, Discurrit per prata libens, etc. » Tale est, quod in Marii Victoris carmine, v. 28, occurrebat : « Quam latos campos animæ, et penetralia cordis Excolere, et captæ collapsum mentis honorem ».

32. *Tibi noster Apollo Corda replet.* Non alius, quam Dominus et Servator noster Jesus Christus, intelligi potest, quem Licentius satis profane cum Apolline gentilium componit. Qua causa et auctoritate hoc fiat, exposui in Excursu primo ad calcem hujus carminis.

34. *Legemque bonam*, doctrinam Evangelii, quo bonitas et benignitas Dei patefacta est. — *Pacemque cruentam*, i. e. pacificationem inter Deum et homines, sive propitiationem Christi sanguine partam.

36. *Viginti emensus nam*, h. e. forte annum ætatis vicesimum superaveras.

Digitized by Google

Solis eras, quum te ratio pulcherrima mundi,
Ditior imperiis, et nectare dulcior omni,
Corripuit, statuitque vagum, medioque locavit,
Omnibus unde aciem posses intendere rebus.
O bone, carpe iter annorum, sapientia quantum
Crescit amore sui, inveniens nova culmina semper.
Perge viam, qua te soboles præclara Tonantis
Perducit, sternens in planos ardua campos.
Et quum luciferos præcordia vesper in ortus
Distulerit, sanctumque super benedixeris ignem,
Sis memor ipse mei: bibulam qui ponitis aurem

37. *Quum te ratio pulcherrima mundi.* Dicit, Augustinum tum quasi primum gradum fecisse sapientiæ et doctrinæ publice profitendæ, quum inquirere rationem pulchritudinis cœpisset, quæ hoc in mundo reperitur. Videtur respicere libros Augustini de Pulchro et Apto, quos ad Hierium, Romanæ urbis oratorem, scripsit, quum esset ætate annorum fortasse viginti sex aut septem, ut ipse memorat, Confess. lib. IV, cap. 15. Hi autem interciderant, quum Confessiones suas scriberet; nec quod scripsisset, ipse meminerat, ut refert l. c. cap. 13.

39. *Statuitque vagum*, antea errantem, levem et incuriosum, defixit in se, consistere jussit et attendere. Sic Paullinus in Carm. ad Licentium, Epist. XLVI: « Pulchra quidem, sed mira vagis præsentia rerum Mentibus, at sapiens non stupet ista animus ».

41. *Carpe iter annorum, sapientia quantum.* Sic supra carmine IX hujus tomi, v. 17, p. 349: « crescens annis sapientior ætas ».

42. *Inveniens nova culmina semper*, arduum quid et sublime, quod attingere et superare laboret, et in quo emineat.

43. *Soboles præclara Tonantis.* Sic Prudent. Apoth. 171: « Filius ille hominis, sed filius ille Tonantis ».

44. *Sternens in planos ardua campos.* Respicit verba sacræ Script. Luc. III, 5: « Omnis et vallis complebitur, et mons collisque deprimetur, et asperæ viæ redigentur in planas ».

45. *Et quum luciferos præcordia.* Legendum arbitror *præconia*, quod latius demonstro, et sensum horum versuum declaro in Excursu secundo ad calcem hujus carminis.

47. *Bibulam qui ponitis aurem.* Adloquitur, qui in veteri Ecclesia dicebantur, audientes et catechumenos; phrasin petiit e Persio, Sat. IV, 50, « Nequidquam populo bibulas donaveris aures »; et Ovid. Trist. III, 5, 14, « verba auribus bibere » dicit. Quia superius affirmaverat, se ad meliorem in rebus divinis sapientiam adspirare, et Augustinum, ut in precibus pro catechumenis sui memor esset, rogaverat, nunc affectu quodam permotus ipsos catechumenos in ec-

Digitized by Google

Legibus invictis, contundite pectora palmis,
Sternite membra solo, meritosque ciete dolores,
Et prohibete nefas : Deus imperat omnibus unum,
Admonet antistes, venturaque flumina terrent.
O mihi transactos revocet si pristina soles
Lætificis Aurora rotis, quos libera tecum
Otia tentantes, et candida jura bonorum,
Duximus Italiæ medio, montesque per altos;
Non me dura gelu prohiberent frigora cano,

clesia orantes, tamquam socios suos et ejusdem conditionis, adloquitur, atque ut hanc emendationem mentis, omnibus æque necessariam et a Deo jussam, et baptismo accipiendo convenientem, præeunte Antistite pariter a Deo petant, hortatur.

48. *Legibus invictis*, præceptionibus e verbo divino ductis, quibus adversari nefas est ; vid. vers. 34. Reinhartus notavit, alios legere *invitis*, vel *in viris*, quod nihili est.

49. *Sternite membra solo.* Erat enim inter catechumenos ordo *prostratorum* et *genuflectentium.*

50. *Et prohibete nefas*, cavete a peccatis, eorumque veniam a Deo petite : usitata formula poetis. Virg. Æn. V, 197 : « hoc vincite, cives, Et prohibete nefas » ; et Ovid. Met. X, 322, « Hoc prohibete nefas, scelerique resistite tanto ». Solet Licentius usurpare dicta veterum poetarum, eaque mutato sensu sacris Christianis accommodare : an recte ubique, nunc non disquirimus.

51. *Venturaque flumina terrent.* Sic Pithœus et Reinh. ediderunt. Benedict. *fulmina.* Barthius legendum *flamina* statuit, qua voce intelligat Spiritum Sanctum, quem missurum judicem mundi in Evangelio promittit Servator. *Fulmina* fortasse ita scripserit Licentius, ut usurparet dictionem Virgilii, Æn. I, 230 : « Æternis regis imperiis, et fulmine terres », aut adluderet ad legislationem Sinaiticam, fulminibus terrentem, quo respicere *leges invictæ* v. 48 possunt. Sed maxime consentaneum textui et sententiæ est, ut *flumina* legamus, et baptismum interpretemur, ad quem præparandi erant catechumeni, de quibus hic sermo est. *Terret* baptismus, aut terrere debet competentes, quia tremendum mysterium est, ab indignis non temere capiendum : rationes alias dedimus in extremis Excursus secundi, ad calcem hujus carminis.

52. *O mihi transactos revocet.* Expressit Virgilianum versum, Æn. VIII, 560, « O mihi præteritos referat si Jupiter annos ».

54. *Otia tentantes*, forte legendum *sectantes.* — *Candida jura bonorum* interpretor jus et usum bonorum atque possessionum, quem candide invicem communicant sinceri et candidi amici. Respicit usum agri et villæ, quem Augustino et amicis concesserat Verecundus, de quo versu seq.

55. *Italiæ medio, montesque per altos.* Intelligit villam Verecundi,

Digitized by Google

Nec fera tempestas Zephyrum, fremitusque Borini,
Quin tua sollicito premerem vestigia passu.
Hoc opus ut jubeas tantum, cruor irriget artus,
Solstitio Neuros, bruma sectabimur Istrum,
Ignotus Garamas solvet mihi vincula gentis,

Cassiciacum, quo se relicta schola Mediolanensi contulerat Augustinus, secum habens juvenes aliquot, et inter hos Licentium et Trygetium, quibuscum sermones crebros de rebus gravibus et seriis instituit, e quibus nati sunt varii libri, eo in secessu scripti, adversus Academicos, de Vita beata, de Ordine. Hanc villam Verecundi inter montes sitam, colligimus ex his Augustini verbis, Confess. lib. IX, cap. 3, § 5 : « Gratias tibi, Deus noster : reddes Verecundo pro rure illo ejus Cassiciaco, ubi ab æstu sæculi requievimus in te, amœnitatem sempiterne virentis paradisi tui; quoniam dimisisti ei peccata super terram, in monte incaseato, monte tuo, monte uberi ». — Cæterum hic versus ex illo Virgilii, Æneid. VII, 563, formatus videtur : « Est locus Italiæ medio, sub montibus altis ». Ed.

57. *Fremitusque Borini.* Nescio an vocabulum hoc sincerum sit. Antiquiores dicunt *Borei* vel *Boreales*. Ovid. Trist. IV, 8, 41 : « Vita procul patria peragenda sub axe Boreo ». Ed.

58. *Tua premerem vestigia,* id est, sequerer te et comitarer. In quam sententiam Horatius Mæcenati scribit, Epod. I, 1, 11 : « et te per Alpium juga, Inhospitalem et Caucasum, Vel Occidentis usque ad ultimum sinum, Forti sequemur pectore ». Ed.

59. *Cruor irriget artus,* hoc est, tantum opus est, ut hoc jubeas, et ut ego vivam et valeam. Sic Virgil. Æn. II, 638 : « Vos o, quibus integer ævi Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires, Vos agitate fugam ». — Contra, ubi æger et invalidus homo est, *cruor* gelari et hærere dicitur, ut Stat. Theb. IV, 727 : « gelant venæ et siccis cruor æger adhæret Visceribus ». Cruor enim generatim pro humore vitali sumitur ». Ed.

60. *Solstitio Neuros, bruma sectabimur Istrum.* Neuros populum Sarmatiæ Europeæ circa Borysthenem statuunt Geographi. Sed videtur poeta hoc loco non borealem, sed australem populum nominare voluisse, quem solstitio, hoc est, æstu maximo, adire molestissimum sit. Itaque nescio, an potius *Mauros,* legendum sit, vel *Meroen,* ut exscripserit vel expresserit Noster Claudianum, qui de Cons. Prob. v. 135 plane ut Noster : « Solstitio Meroen, bruma tentabimus Istrum ». — Schraderus in Observationum libro, cap. 3, p. 31, hunc vers. 60 arripit et pariter, ut Wernsdorfius, legendum esse *Mauros* contendit, aut potius *Meroen,* ex imitatione Claudiani. Ed.

61. *Garamas solvet mihi vincula gentis.* Margo Reinharti indicat, alios habere *gerris,* quod æque, immo multo magis obscurum est. Ergo, nisi aliis aliud placeat, legendum existimem *solvet mihi vincula plantis,* i. e. Garamas me hospitio excipiet, ut phrasin adhibuerit ex

Digitized by Google

Exampeosque lacus fugiens Hypaneius amnis
Callipidum Scythicas resonat spumosus ad undas.
Ibimus et Leucos, qua Leucia solis in ortus
Tenditur, et vasti deserta cacumina Cassi, 65

more et lingua Orientis, et e sacris literis petitam, ubi peregre advenientes ita dicuntur excipi, ut eis calceamenta solvantur, et aqua pedibus lavandis detur: qualem phrasin et infra adhibet Noster v. 102. — Cæterum *vincula* pro calceamentis poni frequens apud poetas est. Ovidius, in Metam. III, 168, « Vincla duæ pedibus demunt »; idem, Fastor. III, 823, « Nec quisquam invita faciat bene vincula plantæ Pallade ». Ed.

62. Hoc versu Pithœus legit *Exampheosque lacus fugiens*. Reinhartus *Exampeosque*, Benedict. *Xampæosque*: et pro *Hypaneius amnis*, quod omnes habent, margo Reinharti ponit *Hypanis ubi amarus*. Recte legitur *Exampeosque*, elisa una vocali, vel confusis duabus, propter metrum, quemadmodum vs. 139 in *Christiana fides* factum: sed et *Xampæos* admitti potest e scriptura codicum inferioris ætatis, qua priores nominum propriorum syllabæ decurtari solebant, ut in *Spania* pro Hispania. Versum illustrant verba Pomp. Melæ, lib. II, cap. 1: « Callipidas Hypanis includit. Ex grandi palude oritur, quam matrem ejus accolæ appellant: et diu qualis natus est defluit. Tandem non longe a mari ex parvo fonte, cui Exampeo cognomen est, adeo amaras aquas accipit, ut ipse quoque jam sui dissimilis et non dulcis hinc defluat ». Ad quem locum Melæ etiam versus Licentii adducit Vossius. Quæ de aquis amaris dicuntur, ansam dederunt Reinharto supra, ut corrigere vellet *Hypanis ubi amarus*.

63. *Resonat spumosus*. Virgilius, Georg. IV, 370, « Saxosumque sonans Hypanis ». Fortasse legendum *resonet*, et mente repetendum *mihi*, ut hic versus cum superiore cohæreat.

64. *Ibimus et Leucos*. Leucos Galliæ Belgicæ populum nominat Plinius, lib. IV, 17. Sequens *Leucia* quæ sit, non video, nisi *Leuce* intelligenda est, Indici maris insula, quam Ptolemæus inter Indi et Gangis ostia collocat, alii tacent. Est et alia Leuce, Ponti insula, Borysthenis ostio objecta, quæ et Achillea appellata, teste Mela, lib. II, c. 7. Potuit eam inter loca, quorum difficilis aditus, ponere Licentius, ob caussam, quam refert Ammianus Marcellinus, lib. XXII: « In hac Taurica, inquit, insula Leuce sine habitatoribus ullis Achilli dedicatur ..... Aiunt enim non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare ».

65. *Tenditur* pro extenditur, patet; ut alias *tendere lumina* pro intendere. Virg. Æn. V, 508: « pariterque oculos telumque tetendit ». Notissimus tropus. Vid. quæ adnotavit Burm. Anth. Lat. t. I, p. 68, ad epigr. de Galatea in vase. Ed. — *Deserta cacumina Cassi*. Casium montem excelsissimum et Syriæ et Arabiæ Petrææ tribuunt Geographi. *Cassi* scribunt Pithœus et Bened. ut metro satisfiat. Nam Veteribus *Ca-*

Digitized by Google

Queis Epidaphnæas æquat sibi Cassia rupes,
Unde quiescentem Auroram, currusque solutos,
Sopitamque diem media sub nocte viderem,
Te suadente, petam : nec enim labor aut metus ullus

sius nomen semper prima brevi est.

66. *Queis Epidamneas* hic omnes editiones legunt ; sed *Epidamneas rupes* ignoro : neque enim aut Hæmi montes, aut Ceraunii satis vicini Epidamno Macedoniæ sunt, ut hos ita appellatos existimem. At legendum est *Epidaphnæas*, ut intelligatur mons Casius ad Antiochiam Syriæ, quæ Epidaphnes cognominata est teste Plinio, lib.V, 21. Casia est ea pars Syriæ, in qua Casius Antiochenus, a Ptolemæo *Casiotis* dicta. Ludere aliquantum voluit Licentius, similitudine vocum *Casii* et *Casia*, ut v. 64 cum Leucis et Leucia fecerat. Pro var. lect. Reinharti margo ponit *Qua Sepidamneos*, quæ nihil juvat. — Salmasius ad Solin. c. 34, p. 401, hunc Licentii locum explicans, de solo Cassio Arabico vel Ægyptiaco sermonem esse existimat, et per Cassiam intelligit urbem Κάσιον, quam in Ægypto ad montem illum Cassium esse dicit Stephanus : nullam urbem Cassiam esse in Syria : atque hinc Licentium dicere, urbem Cassiam, quæ ad Pelusium est, æquare Epidamnum, sive Dyrrachium, de situs parilitate ; nam et illam pariter in ora maris edita et saxosa conditam esse, atque inde dictum Dyrrachium, hoc est, Δυσράχιον, quod in aspero et ῥαχώδει litore situm esset. Addit Salmasius propterea falli et Melam et Licentium, et si qui alii scripsere ex Pelusiaco illo Casio solis ortum conspici vigilia quarta : hoc de Casio Antiochiæ vicino tantum verum esse ; et nominis errorem eos induxisse. Sed errare ipsum Salmasium, quilibet videt. In hoc quidem sentio cum eo, per Cassiam Licentii aptius intelligi urbem vel regionem Ægypti, quæ et Cassiotis a Ptolemæo dicitur, sed eam comparari cum Cassia Syriæ et monte Cassio ad Antiochiam, non cum Dyrrachio, manifestum est, et ignorata vera lectio *Epidaphnæas* Salmasium in errorem induxit ». Ed.

67. *Unde quiescentem Auroram*. De Casio Arabiæ vel Ægyptio, Mela, lib. I, c. 10 : « Arabia, qua in altum abit, adeo edita, ut ex summo vertice a quarta vigilia ortum solis ostendat ». De Casio Syriæ vel Antiocheno, idem narrat Plinius, lib. V, cap. 22 : « Ejus excelsa altitudo quarta vigilia orientem per tenebras solem aspicit, brevi circumactu corporis diem noctemque pariter ostendens ». Casium Ægyptium videndi solis ortus gratia ascendit Hadrianus Imp. teste Spartiano, c. 14, præterea Dione Cassio et Appiano Alex. Casium Syriæ Julianus quoque Imp. ut memorat Amm. Marcellinus, lib. XXII : « Denique præstituto feriarum die Casium montem ascendit nemorosum et tereti ambitu in sublime porrectum : unde secundis galliciniis videntur primi solis exortus ».

68. *Sopitamque diem*. Sic de Alpibus Avienus, Descr. Orb. v. 429 : « rigidis insurgunt rupibus Alpes, Nascentemque diem celso juga vertice cernunt ». Ed.

Digitized by Google

Terret, ubi insontem precibus Deus audit apertis.
Et nunc Romulidum sedes et inania tecti
Culmina, bacchatasque domus, vanosque tumultus
Desererem, et totus semel in tua corda venirem,
Ni mens conjugio incumbens retineret euntem.
Crede meis, o docte, malis, veroque dolori,
Quod sine te nullos promittunt carbasa portus,

70. *Insontem precibus Deus audit apertis.* Insonti preces *apertas*, i. e. clara voce prolatas tribuit ad sententiam veterum poetarum, qui honesta peti clara voce a bonis viris dicunt, impia contra submisso murmure. Pers. Sat. II, 6 : « Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros Tollere de templis, et aperto vivere voto ». Confer, quæ Horatius in eamdem sententiam dicit Epist. I, 16, 59 sqq.

71. *Et nunc Romulidum sedes.* Palatium Cæsarum significat, qui quasi Romuli successores. *Romuleas arces* vocat Prudentius in Symm. II, 765 : « Unus nostra regat servetque palatia Christus, Ne quis Romuleas dæmon jam noverit arces ». Alias *Romulidæ* sunt Romani. Sulpicia, vs. 57; Prudent. Apoth. 225. Cæterum ex his verbis Licentii occasionem captavit Paullinus, ut Epist. XLVI, in carmine ad Licentium, scriberet : « Nunc te sollicitat variis male suada figuris, Heu ! validos etiam vertere Roma potens ». — Mihi videtur his versibus Licentius adlusisse ad locum Horatii, Carm. III, 29, 9 : « Fastidiosam *desere* copiam, et Molem *propinquam nubibus* arduis ... beatæ Fumum et opes, *strepitumque Romæ* ». Ed.

72. *Bacchatasque domus*, hominum frequentantium turba et strepitu, quasi bacchantium, personantes. Sic Val. Flaccus, lib. III, 20 : « Dindyma sanguineis famulum bacchata lacertis ». Prudentius « bacchantia gaudia mundi » dicit Hamart. 375. Præsertim Virg. Georg. II, 487 : « virginibus bacchata Lacænis Taygeta ». Ed.

73. *Totus semel in tua corda venirem*, totus me ad animi tui votum et sententiam accommodarem, ut me doceres et regeres : dictum, ut alias *ire in alicujus sententiam*, et ab Ovidio *venire in arbitrium* dicitur, Her. XVI, 136 : « Venit in arbitrium quum Cytherea meum ».

74. *Ni mens conjugio incumbens.* Barthius, Advers. VI, 13, putat Licentium non hic de uxoriis rebus loqui, et conjugium non semper de matrimonio junctis, sed et aliis pari amore duobus accipi. Sed interpretem Licentii Paullinum dabo, qui ad præcipua momenta hujus carminis in eo, quod ad Licentium scripsit, respondet, atque eum de matrimonio et honoribus Romæ capiendis cogitasse, diserte adfirmat : « Tu thalamos licet et celsos mediteris honores Nunc, olim Domino restituere tuo ».

76. *Quod sine te nullos promittunt carbasa portus*, h. e. quod, nisi tu me regas, nunquam puto me ex hac jactatione vitæ turbulentæ ad tranquillitatem animi perventurum. *Carbasa* pro navigatione. — Imita-

Digitized by Google

Erramusque procul turbata per æquora vitæ.
Præcipites densa veluti caligine nautæ,
Quos furor Australis, stridens et flatus ab Euro
Perculit, et raptis privavit turbo magistris,
Protinus abruptis miseri volvuntur in undis:
Non forus, aut proræ, non lintea deinde procellas
Ferre valent, ratioque jacet stupefacta regendi:
Sic me ventus agit, volvuntque cupidinis æstus
In mare letiferum, nec terræ protinus absunt.
Sed mecum reputans tua candida verba, magister,

tus videtur his versibus quæ Pap. Statius de patre suo scribit, Silv. V, 3, 237 : « labat incerto mihi limite cursus Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ ». Ed.

77. *Turbata per æquora vitæ.* Similiter Boetius, Cons. Phil. lib. I, p. 2 : « Nihil est, quod admirere, si in hoc vitæ salo circumflantibus agitemur procellis ».

80. *Raptis privavit turbo magistris.* Virg. Æn. V, 867, « amisso fluitantem errare magistro Sensit ».

82. *Non forus.* Singulari usus est, quamquam pluralis frequentior, ut A. Gellius, XVI, 19 : « stans in summæ puppis foro » ; et Sueton. Aug. 71, *forum aleatorium* dixit. — Item Ennius, Fragm. « Multa foro ponit, et agea longa repletur ». Ed. — Sed Cicero in Caton. Maj. cap. 6 : « Qui gubernatorem in navigando agere nihil dicunt, quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant ». Ed. — *Non lintea deinde procellas Ferre valent:* sic carmine VII hujus tomi, v. 19, p. 322 : « tremulo crispentur cærula motu, Quantum vela ferant ».

83. *Ratioque jacet stupefacta regendi.* Significat illud, quod Ovidius clarius explicat Trist. I, 2, 31 : « Rector in incerto est, nec, quid fugiatve petatve, Invenit : ambiguis ars stupet ipsa malis ».

85. *Nec terræ protinus absunt*, et tamen inde terra propinqua est, in quam me recipiam ; h. e. in propinquo mihi auxilium est, quod petam. Simile illud Virgilii, Georg. II, 45, « In manibus terræ », h. e. prope sunt, vicinæ sunt. Fortasse legendum *adsunt*, sensu contrario.

86. *Sed mecum reputans*, etc. Verba ista ad versum usque 90 obscurissima, quia abrupte et concise dicta sunt, fortasse etiam manca, versu uno alterove perdito ; et sensus, pro diversa, qua distingui verba possunt, interpunctione, variabilis. Ego sic explicare et distinguere tento, ut hoc ipsum mihi parum placeat. Opinor induci a Licentio sermonem aliquem et querelam Augustini de levi illius fide, qua forte usus fuerat in epistola ad Licentium nunc deperdita. Memini, inquit, te, Augustine, apud me candide queri, quando dicebas, sane *callida* et fallax *res est, tibi credere :* verbis tuis et promissis *animum meum decipere*, et quasi *laqueis irretire* videris ; namque dum *præteritos* annos et veteres amicos, qui olim

Digitized by Google

Hæc magis esse reor, tibi credere, callida res est,
Decipit, atque animis molitur retia nostris:
Præteritos oblitus enim, præsentia præsto:
Nunc tibi, care, tuo nos nunc de pectore lapsi.
Heu mihi! quo ferar, unde velim tibi pandere mentem?
Ante sub Ægæo optabunt pia tecta palumbes;
Et versa Halcyone componet in arbore nidos;
Esuriens vitulos alet ante leæna sequaces;
Atque impasta diu teneros lupa nutriet agnos;
Mutantesque suis divisum partibus orbem,
Aut Barcæus alet Taurum, aut Hyrcania Tauros;
Ante Thyesteis iterum male territa mensis,

tecum fuerunt, *obliviscerís*, *præsentia* tantum *præsto* esse, et animo tuo inhærere videntur. Inde est, quod *nos* absentes *nunc tuo de pectore lapsi sumus*. Ad hanc querelam respondet Licentius ad versum usque 102, quo se nunquam Augustini immemorem fore confirmat. Versum 89 Pithœus aliter distinguit, sensu non clariore: « Præteritos (oblitus enim præsentia) præsto ».

91. *Tibi pandere mentem*. Pithœus *pendere*, perperam.

92. *Optabunt pia tecta*, volent vel eligent sibi construere nidos. Antverp. editio habet *aptabunt*, quod fere melius. — *Ægæum* mare hic nominare videtur, quod hoc valde procellosum habebatur.

93. *Et versa Halcyone*, i. e. naturam et morem mutans, quos in æquore solet, nidos in arbore faciet. Ovid. Metam. XI, 745: « Perque dies placidos, hiberno tempore, septem Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis ». Hinc « dilectæ Thetidi Halcyones » dicuntur Virgilio, Georg. I, 399. Pithœi et Reinh. edd. hic legunt *componat*, et in sequentibus *alat*, *nutriat*. Nos novam edit. Opp. Antverp. sequi voluimus.

97. *Aut Hyrcania Tauros*. Sic Pith. et Reinh. sed Benedict. *Hyrcania Sauros* dederunt, nescio quam gentem prodentes. Ego putaverim *Mauros* legendum esse. *Barcæus* est populus Africæ; vid. Virg. Æn. IV, 42. Ille *alet Taurum*, secum habebit populum Scythiæ vel Sarmatiæ, de quo Ovidius, Pont. III, 2, 45, « Est locus in Scythia, Tauros dixere priores, Qui Getica longe non ita distat humo »: nisi velis hic legere *aret*, et intelligere Taurum montem Asiæ. Contra *Hyrcania*, regio Asiæ, alet *Mauros*, gentem Africæ. Quo pacto hic versus expressus ex illo Virgiliano, Ecl. I, 62: « Ante pererratis.....Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim ».

98. *Ante Thyesteis*. Hi versus, paucis verbis mutatis, transcripti sunt e Claudiani Cons. Prob. v. 171: « Ante Thyesteis iterum conterrita mensis, Intercisa dies refugos ver-

Digitized by Google

Interrupta dies refugos vanescet in ortus;
Ante dabunt imbres Nilum, super æthera damæ
Errabunt, nantesque canent, et flumina plaudent,
Quam mihi post tergum veniant tua dona, magister.
Arcet amor coplamque tenet communis honesti.

tetur in ortus ». — Hos quoque versus Schraderus, lib. Observationum supra ad Licentii versum 60 allato, e Claudiano transcriptos agnoscit. Virg. nost. t. I, p. 85. Ed.

100. *Ante dabunt imbres Nilum.* Claudianus sic versu 169 : « Ante dabunt hiemes Nilum ; per flumina damæ Errabunt ». Dubium est, utrum Noster *imbres* posuerit pro *hiemes* Claudiani, quoniam imbres sunt e proprietatibus hiemis, ut vidimus ad Saleii v. 139 ; an vero id respiciat, quod Nilus nullis oriatur ex imbribus, ut adserit Plinius in Paneg. cap. 30, et Tibullus, I, 8, de Nilo : « Te propter nullos tellus tua postulat imbres, Arida nec pluvio supplicat herba Jovi ». Adde Claudianum Idyllio IV. — *Super æthera damæ.* Schraderus loc. cit. putat hic Licentium scripsisse *super æquora*, in quo me non consentientem habet. Nam qui satis impudenter Claudianum exscribebat, operam saltem dedisse credendus est, ut ejus verba non nihil mutata redderet. Et tamen *flumina* Claudiani non plane omisit, sed sequente vs. addidit *nantesque canent et flumina plaudent.* Idem vero *super æthera* damas errantes facere poterat, ex alia imitatione Virgilii, qui Ecl. I, 60 : « Ante leves ergo pascentur in æthere cervi ». Quo quidem in versu Cerdæ emendatio, qui correxit *pascentur in æquore*, quamvis a Schradero laudata, minoris auctoritatis et momenti esse videtur. Virg. nost. t. I, p. 85. Ed.

101. *Errabunt, nantesque canent.* Ita scribo pro *Errabunt, montesque canent*, quæ absurda scriptura est omnium edd. qui enim *canere* convenit montibus ? Scilicet damæ non solum super æthera errabunt, sed et, ut aves, nando in aquis canent, et flumina plaudent. — *Plaudere* aquam est natantium. Manilius, V, 423 : « Hic alterna ferens in lentos brachia tractus, Nunc plausa resonabit aqua ». — Et similiter Statius, Silv. I, 3, 73 : « Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu Plaudit aquas ». Ed.

102. *Quam mihi post tergum veniant.* Hanc phrasin, quæ barbariem aliquam olet, et revera non est. purissimæ latinitatis, ex versione sacrorum voluminum venire prorsus apparet. Ezechiel, cap. 23, v. 35 : « quia oblita es mei, et projecisti me post tergum tuum, tu quoque porta scelus tuum ». Barth. Advers. XVII, 18.

103. *Arcet amor copulamque tenet.* Tò *u* in *copulam* exterendum est, ut *poclum* pro *poculum*, et mille talia apud poetas. *Copula* amoris est nexus. *Coagulum* dixit Publius in Mimis : « Amicitiæ coagulum unicum est fides ». Varro de vino : « Hoc continet coagulum convivia ». Barth. ibid. Reinhartus jam expressit *coplamque :* sic versu 113 dicit *vinclum*, et v. 139 *sæclorum.* — *Arcet*

Digitized by Google

Hic, hic regnat amicitiæ decus hoste fugato :
Nam neque propter opes vitreas, aurumque rebelle,
Jungimus assensus animorum; nam neque vulgi
Nos fortuna ruens, quæ separat ardua, junxit;
Sed labor interiora legens vulgata libellis,
Atque animis inventa tuis, et nobile dogma
Indictum, contraque bonos responsa relatus.
Et mea Calliope, quamvis te cominus altum
Horreat, et vultus abscondat, inutile tractans;

amor honesti, i. e. arctam facit et tenet copulam.

104. *Hoste fugato*, illis cupiditatibus fugatis, quæ hostes esse veræ amicitiæ solent.

105. *Propter opes vitreas*, hoc est, fragiles, et facile perdendas. — *Aurum rebelle*, quod perpetua inter homines bella et dissidia creat. Propert. III, 13, 49 : « Auro pulsa fides, auro venalia jura ». Ovidius, Met. I, 141 : « Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum Prodierat; prodit bellum, quod pugnat utroque ».

107. *Nam neque vulgi Nos fortuna ruens*. Fortuna illa fallax et variabilis, quæ est in divitiis et honoribus externis, quamque vulgus respicere solet.—*Quæ separat ardua*, quæ discrimen facere inter honoratos et humiliores solet, neque committere, ut sinceram inter se amicitiam colant.

108. *Sed labor interiora legens*. Sed quædam communio societasque studiorum, quum *interioris* doctrinæ præcepta, partim veterum sophorum *libellis vulgata* tuo ductu *legi*, partim *tuis* ipsius *animis*, tua meditatione, *inventa* audivi vel legi. — *Et nobile dogma Indictum*, hoc est, quando quæstionem aliquam nobilis argumenti proponebas, *et contra* ea, quæ nos *bene referre* ad propositum videbamur, solide *respondebas*. Quæ hic *interiora* se legisse dicit Licentius, *secreta* nominat Claudianus, de Consul. Mall. vs. 67 : « Omnia Cecropiæ relegis secreta senectæ » ; et vid. dicta ad vers. 6.

110. *Contraque bonos responsa relatus* : sic Pithœus et Reinh. ediderunt, sed *contraque bonus responsa relatus* nova ed. Antw. Ego priorem lectionem præfero, et superius explicavi. Laudat Licentius disputationes eruditas, et colloquia cum Augustino habita.

111. *Et mea Calliope*. Videtur, ita loquens, respicere ad cavillationes Augustini, qui in secessu Cassiciaci cum Licentio disputans, studium ejus poetices, tamquam inutile et spernendum præ philosophia, reprehenderet, et subinde Calliopen ejus traduxerat. Sic enim ille, lib. I de Ordine, cap. 3 : « Video tibi Musam tuam lumen ad lucubrandum accendisse » ; et paullo post : « Merito tu nihil mirabaris, et apud Calliopam te intus tenebas ».

112. *Inutile tractans*, nempe ex opinione Augustini, qui ad Licentium sæpe, quod patrem suum Ovidius dixisse refert, Trist. IV, 10,

Digitized by Google

Hoc tamen, hoc animi vinclum, nexusque fideles,
Non qui montosis firmatas rupibus Alpes
Fregit, et Italicas pressit cum mœnibus urbes,
Rumperet, aut nostro tereret de robore quidquam.
Ite procul latices tumidis amfractibus Oxi,
Aut ab Arimphæis Rhipheos, aut oppida Caspi
Cimmeriasque domos sejungere flumine largo;
Mæotumque plagæ, et pontus quas obruit Helles,

21, « Sæpe pater dixit, studium quid inutile tentas? »

114. *Non qui montosis*, h. e. non Hannibal, qui sibi aditum in Italiam perruptis Alpibus patefecit, omni impetu suo rumperet. Lucanus, VI, 38: « Franguntur montes, planumque per ardua Cæsar Ducit opus ». Apud Claudianum, Bell. Get. 532, Alaricus Gothorum dux: « per tot populos urbesque cucurri, Fregi Alpes ». Idem Claud. sæpius *ruptas*, *laxatas*, *apertas* Alpes dicit.

115. *Italicas pressit cum mœnibus urbes*, i. e. invasit, obsidione pressit, occupavit. Tale est, quod de Cæsare Italiam invadente ait Petronius, in Carm. de Mutat. Reipubl. v. 209: « Dum Cæsar timidas iratus deprimit arces ».

116. *Aut nostro terreret robore quidquam*. Sic quidem omnes edd. legunt, sed sensus poscit, ut emendemus *nostro tereret de robore quidquam*, h. e. robur amicitiæ nostræ quodammodo diminueret.

117. *Amfractibus Oxi*. Oxus est fluvius ingens Sogdianæ in mare Caspium vel Hyrcanum decurrens. Hujus et sequentium versuum hæc sententia esse videtur: Etsi sunt terræ et gentes, quas longa maria et flumina disterminant, sunt tamen aliæ vicinæ et in continenti sitæ, quæ aliis discordiarum caussis distrahuntur. Cæterum quod Licentius hoc loco iterum longam enumerationem gentium terrarumque diversarum orbis ingreditur, uti supra inde a versu 96 fecerat, hoc ei forte e recenti lectione Chorographiæ Varronis inhæsit. Unde novum argumentum duci potest, eum librum Varronis versu 1 hujus carminis significari.

118. *Aut ab Aremphæis*. Scribendum est *Arimphæis*, quos ad Rhiphæos montes pertinere scribit Plinius, VI, 7, et de illis amplius cap. 12: « Arimphæos quosdam accepimus haud dissimilem Hyperboreis gentem. Sedes illis nemora, alimenta baccæ; capillus juxta feminis virisque in probro existimatur: ritus clementes. Itaque sacros haberi narrant, inviolatosque etiam feris accolarum populis: nec ipsos modo, sed illos quoque, qui ad eos profugerunt ». Sequens *Rhipheos* corrupte scripsit, metri caussa, pro *Rhiphæos*, quod syllabas omnes longas habet. Populos hic nominatos quomodo dici possit, Oxum fluvium sejungere, non video. Sed videtur Licentius nomina gentium temere arripere, neque ei accuratam geographiæ notitiam tribuo.

120. *Mæotidumque plagæ, pontus*

Digitized by Google

Europæ atque Asiæ longe discrimina tendant:
Nonne boum per utrumque latus armenta fatigans
Finibus abscindit Talari Dodona Molossos,
Cognatosque Arabas? nec pacis fœdus amicum
Sidonios inter mansit regnumque Pelopum,
Sacrilegosque Phryges, quamvis pro tempore cunctis

quas. Et hoc corruptum est, et contra metrum. *Mæotis* palus Scythica, juxta Tanais ostium, pluralem respuit: at *Mæotæ* appellantur illius accolæ; hinc scribendum *Mæotumque plagæ* pro *Mæotarum*: deinde inserenda copula est, *Mæotumque plagæ et pontus quas obruit Helles*. Vult enim, Mæotim et Hellespontum esse ea maria, quæ Asiam et Europam disterminent.

122. *Per utrumque latus armenta fatigans*, quæ ab utroque latere colitur, et mediterranea est, nec mari aut flumine dirimitur. Forte respicit ad nomen Epiri, cujus regio est Dodona.

123. *Abscindet lateri Dodona* dat Pithœus: *abscidit lateri* Reinh. *abscidit Thalari* Benedict. Videtur legendum *abscindit*: nam *abscidit* metro adversum est. *Dodona*, urbs Molossidis in Epiro, oráculo Jovis celebris. *Thalari* nomen haud dubie e mspto codice habent editores: et nomen *Talarus* pro *Tomarus* mons in MS Plinii, lib. IV, c. 1, inventum esse affirmant ejus editores; quem montem in confiniis Molossorum esse, et centum fontes circa radices habere tradit Plinius, Jovis autem templum sub eo situm Strabo, lib. VII, p. 227. Unde et hic apud Licentium existimo *Thalari* in scripto codice positum fuisse pro *Tomari*, et versum sic legendum: *Finibus abscindit Tomari Dodona Molossos*. Fateor tamen, nondum ex eo perspici cur adeo memorabilem putaverit Licentius hanc Molossorum disjunctionem a monte Tomaro, sub quo Dodona: quamquam Tomarum pro Thesprotiis positum non dubito. Eruditio Licentii, quæ hic venditatur, superflua juxta et obscura est.

124. *Arabas cognatos* Molossis cur Noster dixerit, non exputo. Ratio fortasse ab Arabum cum Cadmo trajectu, quem obiter memorat Strabo, lib. X, p. 447, repetenda est, aut ab origine oraculi Dodonæi, quod sacerdote femina in Græciam a Phœnicibus abducta ortum esse dicitur apud Herod. II, c. 54.

125. *Regnumque Pelopum*, id est, Pelopidarum s. successorum Pelopis: hinc Peloponnesi regnum intelligit. In *Pelopum* mediam produxit contra morem. Pelops, a quo plurimi Græciæ reges descenderunt, Tantali, Phrygiæ regis, filius fuit, et coloniam e Phrygia deduxit, teste Strabone, lib. VII, pag. 321. Alii reges ex origine Europæ Agenoris, Sidoniorum regis, filiæ fuerunt. Inde cognatio et hospitium Græcorum, Sidoniorum atque Phrygum, quod Paris Phryx pessimo scelere, in Menelaum et Sidoniorum regem commisso, violavit, ut memorat Dictys Cret. lib. I, cap. 3 seq. Cujus facti scilic. memor *sacrilegos Phryges* dicit Licentius.

Digitized by Google

Hospitium commune fuit. Quid denique fratrum
Dissidium, pugnasque canam? quid honesta parentum
Verbera, quid matrum furias, natosque superbos?
Est etiam superum concors discordia rerum,
Totque fluunt ritus, quot dat sententia leges,
Nec tenet unus amor : non si mihi murmura centum
Det Boreas, totidemque animas, centumque per ora
Lingua rigens adamante fremat, memorare valebo,
Quæ sociata prius veterum natura locorum

127. *Hospitio commune fuit:* sic editum est ab omnibus. Sed *hospitium* scribendum esse jam monuit Barthius, XVII, 18.

130. *Est etiam superum*, id est, divinarum, sacrarum rerum. Ad *concors discordia* Barthius l. c. Ovidianum illud citat, *concors discordia fetibus apta est*, et hoc Rustici Elpidii : « etiam discordia fidas Conservant elementa vices ». Addo locum Epistolæ, a Maximo, Madaurensi grammatico, pagano homine, ad Augustinum scriptæ, quæ est XLIII, vel XVI novæ edit. ubi hoc oxymoron in eodem argumento, quo Licentius, nempe de dissidentibus in una religione sententiis, usurpat : « Dii te servent, per quos et eorum atque cunctorum mortalium communem patrem universi mortales, quos terra sustinet, mille modis concordi discordia veneramur et colimus ».

132. *Non si mihi murmura centum.* Trita hæc sententia poetis, quam tamen exaggeravit Licentius ultra modum, ut ex comparatione aliorum intelligere est. Virg. Georg. II, 43 : « Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox ». Ovid. Met. VIII, 532, « Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis, Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset ». Claudian. in Cons. Prob. 55 : « Non, mihi centenis resonent si vocibus ora, Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus, Acta Probi narrare queam ». Displicet imprimis, quod voces et animas a Borea petit. — Sed *Boreas* subinde pro spiritu et flatu vehementiore, vel ejus caussa, poni apud poetas videtur, ut in illo Manilii, V, 329 : « Hinc veniunt vocis dotes, Boreæque sonantis, Garrula quæ modulis diverse tibia format, etc. » Atque hoc dicto Licentii confirmatur lectio codicis Gemblacensis in Manilio *Boreæque sonantis*, pro qua Bentleius posuit *citharæque sonantis:* quamquam Vossius ad Catullum, p. 227, ex optimo exemplari legere mavult *auræque sonantis*. Ed. — *Ventum* quoque pro sono, qui ex flatu est, posuit Avianus, fab. 39, v. 11, ubi lituus ait : « Sed tantum ventis et cantibus arma coegi ». Et Claudianus, Nupt. Pallad. et Celer. v. 38 : « Dissimilem tenui variabat arundine ventum ». Sed auctor anonymus in Observatt. Miscellaneis Nov. t. I, pag. 115, lectionem in loco Manilii, *Boreæque sonantis*, magnopere improbat, pro eoque rescribi vult *eborisque sonan-*

Digitized by Google

Distulit, et tereti limavit glarea mundo.
Sed nos præterea, quod ab una exsurgimus urbe,
Quod domus una tulit, quod sanguine tangimur uno
Sæclorum, Christiana fides connexuit, et quod
Nos iter immensum disterminat, et plaga ponti
Interfusa coercet; amor contemnit utrumque,
Gaudia qui spernens oculorum, semper amico
Absenti fruitur; quoniam de corde profundo
Pendet, et internæ rimatur pabula fibræ.

tis, i. e. lyræ ex ebore fabricari solitæ. Hic vero potius intelligere debebat tibiam ex ebore. Virgil. Georg. II, 193: « Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras ». Ed.

136. *Distulit*, disparavit, disjunxit: cætera perobscura sunt, *tereti limavit glarea mundo*. Necesse est, *glaream* hoc loco singulari significatione usurpatam: nam quod *gloria* in aliis legitur, ut margo Reinharti indicat, id parum attendendum est. *Glaream* sequiore ætate pro aggere seu militari via acceptum esse, Scal. probare ad hæc verba Ausonii, Epist. X, 15, adnisus est: « Aut iteratarum qua glarea trita viarum Fert ». Sed eam significationem neque Scaliger aliis satis approbavit, neque ego verbis Licentii satis aptam reperio. Mihi respexisse ille ad eum usum vocis videtur, quo *glarea* dicitur fluviorum et æquoris. Sic enim *glarea rivi* dicuntur Calpurnio, VI, 65, et *glarea fulva Tagi* Rutilio, Itin. I, 356. Quoniam igitur supra Licentius plurimas gentes atque terras fluminibus maribusque disjunctas memoravit, hic quoque *glaream* posuisse pro fundo vel litore maris arenoso videtur, ut dicat, æquor interfusum disjunxit et separavit, quæ prius sociata erant, et *limavit* idem sit, ac quod *abscidit* Horatio, Carm. I, 3, 21: « Nequidquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras ».

137. *Sed nos præterea*. Sic Reinhartus edidit, quem sequor. Pith. et Benedict. *prætereo*, minus recte. Scilicet hæc conjungenda, *nos præterea Christiana fides connexuit*. Menagius hos versus recitans in *Anti-Baillet*, cap. 98, legit nescio quo ex libro: « Sed nos præterea qui ab una...Quos domus...qui sanguine ». — Sed Heinsius, Advers. lib. I, 16, pag. 161, non solum *prætereo*, quod Pithœus edidit, probat, sed etiam versu seq. legit *sanguine jungimur uno*, pro *tangimur*. Fortasse legendum est: « Sed nos præterquam quod ab una, etc. » Ed.

141. *Interfusa coercet*. Dictio e Virg. sumpta, G. IV, 480, « et novies Styx interfusa coercet », quod etiam Claudianus expressit, Rapt. Pros. I, 23.

144. *Internæ rimatur pabula fibræ*, interiores animi sensus adficit: phrasin videtur petiisse ex Persio, qui Sat. V, 29, « Quod latet arcana non enarrabile fibra ». Et Paullinus, Epist. IV ad Auson. « Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris Corda tremunt ».

Digitized by Google

Interea venient quæcumque futura bonorum,
Scripta salutiferi sermonis, et illa priorum
Æquiparanda favis, reputans quæ pectore in alto
Conceptum in lucem vomuisti nectareum mel,
Præsentem ipsa mihi te reddent, si mihi morem
Gesseris, et libros, quibus intellecta recumbit
Musica, tradideris; nam ferveo totus in illos.

146. *Scripta salutiferi sermonis*, epistolæ, qua salutem invicem dicunt amici. *Salutiferum libellum* dicit Paullinus, Epist. I ad Auson. « Ante salutifero felix quam charta libello Dona negata diu, multiplicata daret ». Ausonius « salutiferas voces », Mosell. 295.

147. *Priorum Æquiparanda favis.* Reinhartus legit *piorum*, Pithœus et Benedict. *priorum*, quod rectius : *priores* sunt antiqui scriptores, et Licentius vult, Augustinum ea scripsisse, quæ Veterum sapientiæ eloquentiæque sint æquiparanda. Hoc sensu enim *favos*, *mel*, *nectar* centies apud Veteres dici, nemini ignotum est, et pluribus locis probavit, ipsum hunc Licentii versum proferens, Barthius, Advers. XXIV, 17, et LIII, 5. Ipsi vidimus ad Calpurn. IV, 151, et Saleii Bassi v. 78.

148. *Vomuisti nectareum mel.* Sordidum et indecorum verbum in re maxime decora adhibet. Quamquam enim idem de apibus usurpat Trimalchio apud Petron. cap. 56, quando, « apes, inquit, divinas bestias puto, quæ mel vomunt »; id tamen proprie dictum excusationem habet, et si quid deterius est, ad sordes sermonis plebeii, quem affectat ille, referendum. Sed inferior latinitas nonnullis id genus vocabulis sensum putidiorem usu detraxit. Verbum *ructare* supra vs. 28 vidimus, et *vomere* adeo de re sacra adhibet Prudentius, Apoth. 595 : « Date, pandite librum, Evomuit spirante Deo quem sanctus Esaias ». —Veteres verbum *evomere* non nisi de oratione indecora et inhonesti argumenti adhibuerunt, ut Plinius, Hist. Nat. XIV, 22, de libro Marci Antonii, quem iste de ebrietate sua scripserat : « Exiguo, inquit, tempore ante prælium Actiacum id volumen evomuit ». Ed.

150. *Quibus intellecta recumbit Musica*, h. e. quibus Musicæ doctrina continetur, ita abs te tradita, ut tu recte intellexisse et tradidisse videaris.—Sic in Apuleii Metam. lib. I initio, *libris felicioribus conditæ* Oudendorpius interpretatur *repositæ ac servatæ*. Ed.—Ita vero corrigendam duximus vitiosam et nullius sensus lectionem, quam omnes edd. habent, *quibus in te lenta recumbit*. Eos libros ab Augustino petendi caussam fortasse habuit eam, quam in principio carminis indicavit, quod, quæ Varro de harmonia cælestium corporum dixerat, minus intelligens, ejus rei perspiciendæ subsidium in libris Augustini de Musica se reperturum existimabat. Sed eorum librorum alia ratio. Exstant hodie Augustini de Musica libri VI, quorum in quinque prioribus circa numeros ad moras temporum pertinentes, quos rhythmos

Digitized by Google

Annue, sic nobis verum ratione patescat;
Sic plus Eridano fluat, et contagia mundi
Nequidquam volitent nostri circum arva coloni.

appellat, immoratur. In sexto autem, qui maxime celebratus est, studet ostendere quonam pacto a mutabilibus numeris, sive corporeis, sive spiritalibus, ad immutabiles numeros, in sola immutabili veritate existentes, quibusdam veluti gradibus perveniatur, et sic invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur. Sic argumentum eorum librorum ipse explicat Augustinus partim epistola CI, n. 4, ad Memorium, partim Retractat. lib. I, cap. 11.

152. *Annue, sic nobis verum.* Formula hæc est a Tibullo, II, 5, 121: « Annue, sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli »; et Sidon. Apollinaris, Carm. V, 600, « Annue, sic vestris respiret Byrsa tropæis ». Verbis iis, « sic nobis verum ratione patescat », Licentius videtur Augustino in memoriam revocare crebras disputationes, quas cum eo de studio inquirendæ et inveniendæ veritatis habuerat, in libris contra Academicos expositas. Augustinus vero repetit ea verba ex hoc carmine, et reddit Licentio in epistola, ut persuadeat, quærendum esse Christum, qui ipsa sit Veritas.

153. *Sic plus Eridano fluat,* id est, uberrime et copiosissime, instar fluvii exundantis. Servius ad Virgil. Æn. VI, 659, observat, Eridanum pro quocumque alio flumine κατ' ἐξοχὴν dici, quia et Georg. I, 482, legimus *fluviorum rex Eridanus:* et amant poetæ pro appellatione ponere magnæ rei proprietatem, ut Georg. I, 9, « pocula Acheloia ». — Sed Nic. Heinsius, Advers. IV, cap. 2, p. 575, hic legit: « Sic suus Eridanus fluat ». Quod ita intelligit ut *suus Eridanus* idem valeat ac sui juris, et liber a Geticis catervis. Idem sequenti versu vult *nostris colonis.* Ed.

154. *Nequidquam volitent.* Precatur, ut pestilentia, quæ tum plures orbis Romani provincias vastabat, fines agrorum suorum non invadat. Hujus aliquoties mentio fit in libris Augustini.

Digitized by Google

EXCURSUS I

AD LICENTII CARMEN, v. 32 sq.

.....Tibi noster Apollo
Corda replet, patremque suum, patremque Deorum
Conciliat.

Apparet, his verbis a Licentio Jesum Christum, Servatorem sanctissimum, Apollini, et Deum patrem Jovi ethnicorum adsimilari. Fit hoc quidem studio et imitatione Virgilii, cujus dictionem, ubicumque potest, usurpare solet. Hic enim, Æn. III, 433, scribit:

.....vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo;

et Æn. I, 65, Jupiter *Divum atque hominum rex* appellatur. Sed et studio imitandi non magis quam temeritate ferventis ingenii eo provehitur Licentius, ut profanus videatur, et sanctitatem divini Servatoris violet, nomine Deorum gentilium imponendo, quos omnes detestandos præ Christo, nec nomen eorum usurpandum censuerunt sanctiores viri. Ut Paullinus, Epist. II ad Ausonium:

Negant Camenis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.

Et Augustinus, Retract. lib. I, cap. 3, ipse culpat se, quod in scriptis suis aliquando Musas, quasi aliquas Deas, quamvis jocando, commemorarit. Nec solum nomine Apollinis usurpando offendit Licentius, sed quod Deum simul patrem ejus et patrem Deorum appellat, plane Deos, qui e disci-

Digitized by Google

plina Christiana nulli sunt, exæquare Christo, atque eum non alium, quam Deos gentilium, existimare videtur. Miror itaque, neque Augustinum, neque Paullinum in Epistolis, quibus Licentium ad vivendum Christo multis gravibusque verbis hortantur, multaqne hujus carminis dicta attingunt, hanc ejus profanam mentem verborumque, ut ita dicam, gentilitatem non reprehendisse, licet non leviter in eum invehatur Augustinus, eumque inter alia dicat ingenio, quod a Deo acceperit, aureo ministrare libidinibus, et in illo Satanæ propinare. Immo, quod magis mireris, Augustinus ipse in dialogo, quem cum Licentio, alioque suorum sodalium Trygetio, instituit, libro I de Ordine, cap. 4, plane simili sententia utitur, et Christum una cum Deo patre, petito ex lectione Virgilii elogio, condecorat. Nam ubi Licentium sentit spem aliquam amplexandæ melioris philosophiæ, quæ in doctrina Christiana est, facere, gaudio pertentatus hunc versum pronuntiat:

Sic pater ille Deus faciat, sic altus Apollo.

Et editor Benedict. hic adnotat, nonnullis in exemplis scriptum exstare *sic altus Iesus*, quod haud dubie a librario factum est, qui nomine Apollinis offendebatur. Sed dignus videtur locus, quem aliquanto pleniorem hic apponamus: « Hic ego multo uberius cernens abundare lætitias meas, quam vel optare aliquando ausus sum, versum istum gestiens effudi: *Sic pater ille Deus faciat, sic altus Apollo.* Incipias, perducet enim ipse, si sequimur, quo nos ire jubet, atque ubi ponere sedem, qui dat modo augurium, nostrisque illabitur animis. Nec enim altus Apollo est, qui in speluncis, in montibus, in nemoribus nidore turis pecudumque calamitate concitatus implet insanos; sed alius profecto est, alius ille altus veridicus, atque ipsa (quid enim verbis ambiam) veritas. Cujus vates sunt, quicumque possunt esse sapientes. » Agnoscimus totam Augustini orationem ad locos quosdam Virgilii alludere. Atque illa quidem verba: *Incipias*,

Digitized by Google

perducet enim ipse, etc. respiciunt orationem Æneæ, Deli in templo Apollinis preces facientis, Æn. lib. III, 88:

> Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
> Da, pater, augurium, atque animis illabere nostris.

Sequentia verba, quibus, *altus Apollo* qui vere dicendus sit, docet, alium Virgilii locum designant, ubi templum Apollinis in jugo montis situm, cum antro Sibyllæ describit, Æn. VI, 9 seq.

> At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
> Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
> Antrum immane petit,

Facile quidem ex his intelligimus, totam rationem nominandi pro Christo Apollinis ab allusione applicationeque verborum poetæ pendere, unde et veniam isti appellationi petiisse dedisseque Augustinus videtur; sed tamen, ubi pari in facto duo Christianos scriptores convenire observamus, perspicere ex eo videmur, propensos quodammodo veteres Christianos ad Apollinem Christo comparandum fuisse, idque nomen religioni suæ minus infestum, minusque odiosum, quam aliorum Deorum, habuisse. Quum id numen vaticiniis præfectum esset, et vera doctrina Christiana ipsa vaticiniis et oraculis antiquis fulta et firmata crederetur, erant inter Christianos non pauci, qui spiritum, qui veros prophetas egisset, et qui sacerdotes Apollinis, aut negarent differre, aut discrimen illud parum attenderent. Quin ipsius Apollinis quibusdam oraculis Christiani dicebant personam Servatoris esse patefactam (1), et Sibyllarum vaticinia producebant haud pauca, quæ Christi officium atque doctrinam declarabant (2). Quas quoniam vates et sacerdotes Apollinis fuisse non negabant, et tamen ubi vera Christo canerent,

(1) Vide oraculum Apollinis Milesii apud Lactant. Inst. Div. lib. IV, cap. 13, n. 11.

(2) Vide oracula Sibyll. apud Lactant. lib. IV, cap. 18 et 19, et inter opera Eusebii orationem Constantini ad Sanctorum cœtum, cap. 18.

Digitized by Google

divino afflatu actas et Dei nuntias (1) credebant, proclive erat, ipsum Apollinem quasi amicum Christo numen, vel adumbratum inter gentiles Servatorem, qui et Σωτὴρ appellaretur, existimare. Maxime vero hæc opinio inter Christianos invaluit auctore Constantino Magno, postquam ei celebre illud visum, quo crucis signum ei ostensum et victoriæ promissæ dicebantur, contigerat. In eo viso Apollinem apparuisse, aut Constantinum credidisse eum sibi oblatum, ex loco panegyrici, Constantino ab Eumenio rhetore dicti, qui primam omnium et maxime sinceram de eo relationem exhibet, haud obscure potest intelligi. Sic enim ille, cap. 21: « Vidisti, credo, Constantine, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenum singulæ ferunt omen annorum. Hic est enim humanarum numerus ætatum, quæ tibi utique debentur ultra Pyliam senectutem. Et immo quid credo? vidisti, teque in illius specie recognovisti, cui totius mundi regna deberi vatum carmina divina cecinerunt ». Quando Christiani scriptores postea Christum Constantino in somnis visum, et crucem pro signo victoriæ ab eo monstratam esse prodiderunt, ex ea re nihil aliud, quam dolus et sapientia doctorum Christianorum intelligitur, qui ut Constantinum eo viso ad Christi sacra vocatum ostenderent, ea specie, quam ipse pro Apolline habuerat, Christum ei apparuisse affirmarunt, atque, ut inde deinceps hoc persuasum sibi profiteretur, effecerunt. Latius hoc jampridem demonstravi in Dissert. de Viso Constantini Magni ad locum Eumenii rhetoris, Musæi Critici vol. II, fasc. 2 edita. Hoc igitur visum ut opinionem jam tum inter Christianos vulgatam de similitudine Christi et Apollinis demonstrat, ita eamdem, dubium non est, postea auctoritate Constantini magis confirmatam et

(1) Quomodo Constantinus sentiebat, qui l. c. postquam versus quosdam Sibyllæ, Christi Servatoris nomen præferentes, recitavit, addit: Καὶ ταῦτα τῇ παρθένῳ δηλαδὴ θεόθεν ἐπίστη προκηρύξαι· μακαρίαν δ' αὐτὴν ἔγωγε κρίνω, ἣν ὁ Σωτὴρ ἐξελέξατο προφῆτιν τῆς ἑαυτοῦ περὶ ἡμῶν προμηθείας.

Digitized by Google

celebratam esse. Constat Imper. Constantinum per omne vitæ spatium singulare Apollinis studium præ se tulisse, cum eoque fere Christi cultum miscuisse. Qui cæterorum statuas Deorum evertebat, multas ille Apollinis statuas vel tripodes Constantinopoli in hippodromo posuit, ut Eusebius, Sozomenus et Zosimus diversis locis tradunt, ex iisque notavit Gyllius in Topogr. Constantinop. lib. III, cap. 3. Inprimis memorabilis statua Apollinis est, quam ex ære factam, antiquo et admirabili opere, et ex Ilio Phrygiæ translatam, supra columnam rotundam porphyretici marmoris, quæ plurimis circulis vel zonis laureatis cincta erat, collocavit, et suum illi nomen indidit, et capiti ejus clavos quosdam, quasi radios, inseruit, qui corpus Domini salutiferæ cruci affixissent. Vides quasi combinationem aliquam Christi et Apollinis. Plura de ea columna ex Cedreno et Zonara tradunt Gyllius in Topogr. Constant. l. c. et Pancirolus in Comment. ad descript. urbis Constantinop. Non minorem ille honorem Sibyllæ, vati Apollinis, habuit, cujus vaticinia de Christo, inprimisque illud, quod Virgilium putat Ecloga IV complexum esse, copiose laudat in Orat. ad Sanctorum cœtum; tum vero eam memorabili in nummo, qui *Constantiniana Daphne* inscribitur, habitu Victoriæ, cum lauro et tropæo, expressam signari curavit, ut memoriam visi supra memorati conservaret, quo Victoria, Apollinem comitata, apparuerat, coronam lauream offerens, quam ille videtur pro Sibylla Daphne habuisse. Exstat ille nummus apud Patinum, Imperat. Roman. Numism. ex ære medio et min. pag. 466, et L. Begerum, Thes. Brandenb. t. II, p. 803. Sed uberiorem ejus explicationem hæc dissertationis angustia atque hic locus non capit. Honor iste Apollini habitus, qui Constantino ferebatur victoriam et imperium prædixisse, et adjuvantibus Sibyllæ oraculis ipsum ei Christum demonstrasse, haud dubie plures permovit Ecclesiæ doctores, ut Apollinis cultu inter gentes celebrato crederent aliquando venturum orbis Servatorem significatum: et paucos ab ævo Constantini fuisse arbitror, qui non Ecloga IV Virgilii, tamquam Sibyllæ oraculo, putarent adventum atque officium Christi cele-

Digitized by Google

brari. Legendus inprimis est Lactantius, Institt. divin. lib. VII, cap. 24, et, cujus testimonium hic præcipue requirimus, Augustinus Eclogam Virgilii haud aliter, quam de Christo, intelligendam esse confirmat, Epist. CLV, et CCLVIII novæ edit. « Omnino non est, inquit, cui alteri, præter Dominum Christum, dicat genus humanum :

> Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
> Irrita perpetua solvent formidine terras.

Quæ ex Cumæo, id est, ex Sibyllino carmine se fassus est transtulisse Virgilius; quoniam fortassis etiam illa vates aliquid de unico Salvatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri ».—Sic etiam Hieronymus, lib. II, epist. 2 ad Paullinum : « Quasi non legerimus Homero-centones et Virgilio-centones; ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit : *Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna; Jam nova progenies cælo demittitur alto.* » Et patrem loquentem ad filium : « Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus ». Et post verba Salvatoris in cruce : « Talia perstabat memorans, fixusque manebat ». Ed. — Hac opinione imbuti doctores ubi in eadem Ecloga legebant : *Tuus jam regnat Apollo;* hic etiam existimabant Apollinis nomine Christum significari. Atque igitur Augustinus cum Licentio, quibus admodum familiaris sensus et dictio Virgilii erat, satis magna auctoritate, a vaticinio Sibyllino ducta, nec magna cum offensa aliorum, videntur Apollinem pro Christo nominasse.

Digitized by Google

EXCURSUS II

AD LICENTII CARMEN, vs. 45 seq.

Et quum luciferos præcordia vesper in ortus
Distulerit, sanctumque super benedixeris ignem,
Sis memor ipse mei.

Ad hæc verba sic commentatur Casp. Barthius, Advers. lib. XVII, c. 18: «Nihil aliud his verbis a sanctissimo antistite nobilissimus Licentius petit, quam ut in precibus ad Deum omnipotentem, per totum diem ab aurora ad vesperuginem continuatis, sui meminens esse velit. Quare vulgatum illud *præcordia* nutrit errorem insipidum. Emacula *precis orgia vesper in ortus :* poetica elegantia *orgia* solennem Dei omnipotentis cultum appellat. Possit et *ordia* dicere, sed illud nobis magis arridet». Sed abeat Barthius cum suis *orgiis*, quam vocem de cultu sacro et precibus publicis, de quibus hic sermo est, nunquam usurpavit ecclesia, a vocabulis profana gentilium sacra redolentibus studiosissime abstinens. Neque video, quomodo Barthius Licentii verba *Et quum luciferos . . . Distulerit* interpretari de precibus ad Deum per totum diem ab aurora ad vesperuginem continuatis possit. Nusquam enim puto in ecclesia veteri, nec nisi sanctissimis quibusdam diebus, ut in Quadragesima, preces publicas ita ab aurora ad vesperam continuatas, ut Christiani per totum diem nulli alii rei, nisi orationi vacarent. E vulgari potius usu verborum *vesper distulit in ortus* preces, hic sensus emergit, vesper preces finivit, usque dum aliæ fiant mane proximo. Igitur preces vespertinas et lucernales intelligit, easque eodem modo et ritu fieri innuit, ac matutinas. Qui autem precum earum ritum atque ordinem

Digitized by Google

e monumentis scriptorum veteris ecclesiæ cognoverit, facile nobiscum sentiet, h. l. pro *præcordia* legendum esse *præconia*. Etenim preces vespertinæ sicut et matutinæ, fiebant pro diversis catechumenorum, energumenorum, competentium ac pœnitentium ordinibus, quas singulas diaconus ecclesiæ indicere, atque ordinem quemque excitare et hortari ad precandum, ipsamque precationum formulam præire, et instituere singulos, quomodo et pro quibus orandum esset, solebat. Hæc exhortatio προσφώνησις diaconi, et τὸ κηρύττειν appellabatur, atque inde diaconi κήρυκες vel ἱεροκήρυκες *sacri ecclesiæ præcones* audiebant, ut latius docet Binghamus, Orig. Ecclesiast. lib. II, cap. 20, § 10. Mihi itaque non dubium est, illam admonitionem diaconi, qua singulos sacri cœtus ordines ad precandum excitabat, et ipsas, quæ ex formula a diacono recitata fiebant, preces, vel totum actionum sacrarum ritum, quia per diaconum indicebatur, hoc loco latine vocari *præconia*. Binghamus quidem Latinos ait τὸ κηρύττειν per τὸ *prædicare* expressisse, quod inprimis testatur Concil. Toletan. IV, c. XL: « Unum orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat »; sed vocem *præconium* de officio diaconi usurpatam, nisi fortasse alicubi reperitur, et nondum satis eruta ex antiquis Christianorum monumentis est, vel solus hic Licentii locus mihi satis probaverit, et verbi *præconare*, quod recentior latinitas attulit, usus, idem quod τὸ *prædicare* significantis. Sic enim Glossa Græco-Lat. κηρύσσω, *præcono*, *prædico*. Vid. Cangius, Glossar. voc. *præconare*. Tum eamdem vocem *præconia*, et quem ei hoc loco sensum damus, gravius videtur adserere, quod sequitur, *sanctumque super benedixeris ignem*. Hoc enim complementum precationum publicarum, et alteram partem, quæ præconium diaconi consequebatur, indicat. Omnes enim preces publicæ fiebant partim diaconi προσφωνήσει, sive indictione diversarum petitionum, partim episcopi ἐπικλήσει, invocatione, sive benedictione, cum impositione manuum ipsius, ad quam inclinare capita jubebantur per diaconum. Vid. Binghamus,

Digitized by Google

lib. XIII, c. 10, § 3. Igitur post præconium diaconi benedictionem episcopi nominat Licentius. Qui autem in verbis ejus *ignis* intelligendus sit, difficile explicatu est. Luminaria vel lychnos accensos significari, vix probabile est, etsi de officio vespertino sermo est. Nam cur ignis hic *sanctus* vocetur? et quænam esset hæc benedictio lychnorum? Existimo potius *ignem* interpretandum esse sensu ecclesiastico, quo ignis dicebatur admonitio gravis et precatio catechumenis baptismo præparandis recitata, ut verbo divino, iram Dei denuntiante et tanquam urente, correpti dolorem de peccatis conciperent, gratiamque divinam ardenter anhelarent.—Sic enim Minuc. Felix, Octav. cap. 27, *orationis incendia* vocat, quibus dæmones de corporibus exigantur. Ed. —Vide Binghamum, Orig. eccles. lib. X, cap. 2, § 8. Hæ precationes cum catechumenis etiam exorcismi vocabantur, qui baptismum præcedebant. Hinc Augustinus, comment. in Psalm. LXV, tomo IV Opp. p. 486 novæ edit. « Noli festinare ad aquam; per ignem transi ad aquam, ut transeas et aquam. Propterea et in sacramentis et in catechisando et in exorcisando adhibetur prius ignis .... Post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum, ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium ». Etiam Paullinus, ad eum ignis sensum respiciens, Epist. XVI in fine: « Hoc igne illuminati, et ad sitim aquæ vivæ per ignis hujus ardorem accensi, in desiderium Domini vere dicemus: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, quoniam apud te fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen ». Videntur ejusmodi admonitiones vel exorcismi in vespertino maxime officio per eos dies, qui baptismum proxime celebrandum præcedebant, usurpati, et precibus pro catechumenis præmissi vel inserti. Licentius ipse declarat, sibi de precationibus sermonem esse, quæ baptismum proxime futurum spectent:

> Sternite membra solo, meritosque ciete dolores,
> Et prohibete nefas: Deus imperat omnibus unum,
> Admonet antistes, venturaque flumina terrent.

Digitized by Google

Nam per *ventura flumina* commodissime intelligo baptismum mox suscipiendum. Hic terrere poterat catechumenos non vere dolentes, et gratiæ divinæ cupidos, quoniam extra et post baptismum non aliam deletionem peccatorum esse veteres doctores plerique statuebant. Licentius forte, quum hæc scriberet, nondum baptismum acceperat, et quoniam majoris illuminationis erat cupidus, uti ante versu 3o significavit, hinc petebat ab Augustino, ut in oratione pro catechumenis instituenda sui etiam, tamquam catechumeni, memor esset, hoc est, pro se oraret, seque una admoneret. Itaque verborum Licentii, *quum sanctum super benedixeris ignem,* hic sensus est, quum super vel præter gravem admonitionem et precationem factam catechumenis benedictionem impertieris.

Digitized by Google

Digitized by Google

INCERTI AUCTORIS,

FORTASSE

RUFI FESTI AVIENI,

EPITOME ILIADOS HOMERI,

NUNC PRIMUM

A PLURIMIS QUÆ INSIDEBANT MENDIS REPURGATA

ET PERPETUIS ANIMADVERSIONIBUS ILLUSTRATA.

ACCEDIT

T. PETRONII ARBITRI

TROJÆ HALOSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

XIV.

PROOEMIUM

DE

ILIADOS EPITOME LATINA

EJUSQUE AUCTORE,

UBI SIMUL

HOMERISTÆ LATINI

ANTIQUIORES

CUM EORUM FRAGMENTIS

RECENSENTUR.

Quod nunc edimus poema, summam Iliados Homericæ complexum, variam diversis temporibus fortunam et iniqua adeo fata expertum est, ut affirmare possimus, nullius carminis, nostra collectione publicati, æque necessariam, atque hujus, editionem fuisse. Ab Antiquis non ignoratum, nec spretum, posterioribus sæculis atque ea, quam mediam vocamus, ætate, quæ compendia quarumvis artium jejuna et contractos in brevius libros, præ luculentis et copiosis scriptoribus, amabat, præcipuo in honore fuit, et publicis in scholis prælectum est, quod quum testimonia nonnulla scriptorum, tum codices manuscripti frequentes, in bibliothecis adhuc reperti, probant. Sed ex hoc usu scholarum magnam labem et multum squalorem contraxit, ludi magistrorum

Digitized by Google

insipientium erroribus et interpolationibus misere deturpatum; et postquam meliores literæ, aliique scriptores egregii, ope typographiæ, passim vulgari cœperant, hoc opus contra obsitum sordibus eviluit, prorsusque jacuit neglectum: quippe proximo a renatis literis sæculo, vix ter quaterve typis exscriptum novimus, neque ab aliquo editore tam benigne habitum, ut ab immensa mendorum vi liberaretur. Post Jo. Spondanum, qui hanc Epitomen cum Darete Phrygio inter opera Homeri, repetita, sed, quantum equidem scio, non diversa editione, Basileæ, an. 1583 et 1606 prodire jussit, nemo tanto intervallo ad nostra usque tempora repertus est, qui eam, non dicam emendare et perpolire, sed ex antiquis exemplaribus reddere, magisque frequentare inter eruditos cuperet. Neque vero dignus hic scriptor tam iniqua fortuna fuit, et nonnulli eruditorum, ingenium et elegantiam ejus agnoscentes, non mediocriter laudarunt; in quibus quidem Laurentius Valla inepte eum ipsi Virgilio antetulit: sed præcipue Casp. Barthius in Adversariis, commentariisque ad Statium, emendavit passim et exquisitis ornavit elogiis. Post eum pauci admodum reperti sunt, qui attingerent. Nostra demum ætate Batavorum eruditorum studium in hunc poetam conversum est, qui editis observationum criticarum libris multos ejus locos corrigere, et suo nitori restituere adnisi sunt; de quorum opere deinceps accuratius disseremus. Sane poema illud attente legentibus apparet auctor bono ingenio et judicio præditus, a vitiis scriptorum sequioris ævi, ut a tumore et acuminum affectatione, alienus, sermonis vero Latini castitate et elegantia, tum imitatione vetustiorum poetarum satis felici laudabilis. Homerum ita convertit et contrahit, ut sibi multa relinquat libera, neque aliud fere ex Iliade, quam nudam factorum seriem, sumat, cætera, quæ ad rerum descriptionem exornationemque pertinent, vel suo ipsius ingenio fingat, vel sententiis phrasibusque principum poetarum Romanorum Virgilii et Ovidii, accommodet; quod

Digitized by Google

quidem tam studiose et diligenter facit, ut sæpe Homerum deserere, propter illustrem aliquem veteris poetæ locum eo transferendum, videatur. Habet quidem oratio ejus latinitatis cadentis, et serioris, quo scripsit, ævi indicia : utitur subinde vocabulis vulgaribus et minus electis, quibus abstinere poetæ nobiliores solent; sed habet etiam gemmulas insigniores, et lectissimæ latinitatis venustates, quæ ingenium elegans et lectione præstantissimorum scriptorum tritum facile prodat. Quæ ego in adnotationibus meis hoc diligentius curavi ostendere, quo magis cupiebam poetæ illius dotes explicare, et a plurimorum, quo laborare adhuc visus est, contemptu vindicare.

Opus ipsum varie inscriptum in excusis et manu exaratis libris est. Antiquitus simpliciter *Homerus* videtur dictus. Sic enim Lutatius, scholiastes Statii, et quidam medii ævi scriptores citant, et sic antiquioribus codicibus inscribitur. Alii tamen codices inscribunt *Homerus de bello Trojano*, vel *de destructione Trojæ*, parum apte et sapienter. Editiones quædam impressæ *Homeri Iliadum opus* (1), aut *Epitomen et summam universæ Iliados Homeri* vocant, adduntque ineptum *Pindari Thebani*, tamquam auctoris, nomen, quod et codices quidam scripti servant. Quo absurdius vero id nomen et intolerabilius est, ut omni cura explodendum videatur, hoc magis videmur admoneri, ut veram poematis a nobis propositi ætatem, et, si fieri possit, auctoris nomen exquirere studeamus. Hoc si probabili ratione contigerit ostendere, tum juvabit etiam, unde Pindari auctoris nomen venerit, conjicere.

Romanum hominem fuisse carminis Homerici auctorem, cum Casp. Barthio, Advers. LIX, 15, et Petro Bondamio, Variar. Lect. lib. II, c. 4, p. 139, haud temere colligo ex ejus

(1) Medio ævo Ilias Homeri vocari cœpit *Iliades*, quod jam Bedam venerabilem, libro de Metris, pag. 2382 Putsch. usurpasse video, qui *Iliades* et *Odysseam Homeri* nominat.

Digitized by Google

versu 907, ubi, Æneam cum Achille congressum memorans, addit, nisi eum tum Neptunus servasset,

Non claræ gentis NOBIS mansisset origo.

Idem vero et inde apparet, quod ubique lectionem et imitationem poetarum Romanorum prodit, adeo quidem, ut Homerum, quem exscribit, vix tantum respicere, quantum Virgilium et Ovidium, videatur. Nobilem etiam Romanum et beatum hominem fuisse, qui carmen illud animi otiique oblectandi caussa in secessu ruris sui composuerit, haud vana conjectura mihi persuadere ex epigrammate antiquo videor, quod in Burmanni Anthol. Lat. lib. III, ep. 62, occurrit, repetitum ex Pithœi Epigr. et Poem. vet. lib. I, p. 192, et *de Navigatione* inscribitur. In eo auctor villam suam maritimam laudans, e qua prospicere velificantes in mari naves, et subinde ad litus appellentes, poterat, sic incipit:

O litus vita mihi dulcius! o mare! felix,
Cui licet ad terras ire subinde meas.
O formosa dies! hoc quondam rure solebam
Iliadum armatas sollicitare manus.

Nempe *Iliadum* hic scribendum esse pro *Iliadas*, quod in vulgatis est, cum Pithœo, qui sic in margine emendavit, existimo, nisi *Iliade* mavis, quod Fr. Christius suasit in Excursu ad Villaticum, p. 270. Et in villæ suæ amœnitate contemplanda hoc potissimum recordatur auctor, se quondam in eo rure Iliadas, h. e. Trojanos armatos in aciem produxisse, et ad bellum sollicitasse, hoc est, Iliada perscripsisse. Juvat hanc interpretationem, quod in fine epigrammatis ad alterum opus Homericum, Odysseam, adludit:

Naviget, et fluctus lasset mendicus Ulyxes:
In terris vivet candida Penelope.

Scilicet hoc epigramma sic scribit auctor, ut quasi occupatus in Odyssea Homeri convertenda videatur, atque inde

Digitized by Google

villam suam quasi Ithacam Ulyssis, in qua Penelope degat et deliciis fruatur, sibi proponit, illic in mari Ulyssem cum fluctibus maris luctantem. Inde fit, ut maris et navigationis pericula cum securo et amœno litore comparet per plures versus, qui in ipso epigrammate legendi. Adsunt vero et alia in eo indicia, quæ significent, non aliam ab auctore Iliada, quam eam, de qua nunc agimus, respici. Animadvertamus, oportet, in fine latinæ Iliados ab auctore totum peracti laboris cursum phrasibus e re nautica sumptis, quasi navigationis absolutæ, exprimi :

> Sed jam siste gradum, finemque impone labori,
> Calliope, vatisque tui moderare carinam,
> Quem cernis paucis stringentem litora remis, etc.

Enimvero haud temere factum arbitror, ut auctor Epitomes tot imaginibus a navigatione petitis uteretur, et *carinam*, *remos*, *litora*, *portum*, *rudentes*, ipsumque Homerum, quem lustraverat, quasi *patens* pelagus, nominaret; nisi a loco et tempore et aliis rebus, in quibus tum versabatur auctor, quum scriberet, occasionem habuit de navigatione multum cogitandi. Hoc ipsum vero satis declaratur adducto epigrammate. Villam suam, auctor ait, mari proximam, ex una parte omnes ruris delicias, ex altera portum et stationem navium habere, unde assidue naves soleat, alias portum subeuntes, alias in alto mari jactatas, prospicere. Inter hos autem prospectus, idem ait, se quondam Iliada scripsisse. Atque igitur tuto hinc colligere videmur, parvam Iliadem, quam habemus, quamque auctor multis verbis navigationi comparat, eam ipsam esse, quæ ibi in villa maritima perscripta esse dicatur, atque adeo epigrammatis de navigatione et Epitomes Homericæ eumdem auctorem esse. Ulterius, quæ hactenus dicta sunt, in nostris ad ipsum epigramma adnotatis probabimus, quod integrum inter testimonia Veterum de Epitome Homeri producemus.

Quod parvam Iliadem in villa maritima scriptam esse

Digitized by Google

perhibet epigramma, idem nos manu ducere ad ipsum auctorem ejus noscendum potest, siquidem poetam multa scribere carmina, et scribere in villa solitum inveniamus. Invenimus autem *Rufum Festum Avienum*, cujus epigramma *ad amicos de agro suo* exstat apud Pithœum, Epigramm. vet. lib. IV, p. 157, et in Anthol. Lat. Burm. lib. III, ep. 59, ubi vitæ suæ perpetuam rationem actusque diurnos, quos in villa sua obire soleat, recenset, atque in his poemata assidue scripta memorat :

> Rure morans quid agam, respondi pauca, rogatus :
> Luce Deos oro (1), famulos post arvaque viso,
> Partitusque meis justos indico labores,
> Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso, etc.

Multa Avienum carmina scripsisse, et fere assidue in poesi exercenda occupatum fuisse, ipse testatur in monumento, quod Deæ Nortiæ dedicatum, et Romæ in villa Cæsarini repertum, Petr. Burmannus in Antholog. Lat. lib. I, ep. 79, e Fabretto, Sponio et Almelovenio traduxit :

R. FESTVS V. C. DE SE AD DEAM NORTIAM.

> Festus Musoni soboles prolesque Avieni,
> Unde tui latices traxerunt Cæsia nomen,
> Nortia, te veneror, lare cretus Vulsinienai,
> Romam habitans, gemino proconsulis auctus *honore*,
> *Carmina multa serens*, vitam insons, integer ævum.

In quo Epigrammate interpretando adsentior Jac. Sponio in Miscell. erud. antiq. sect. II, p. 99, qui geminata verba *soboles prolesque*, idem significantia, ita explicat, ut sobolem Musoni, sive ex ejus posteris se descendere,

(1) Sic malo scribere plurium codicum, quos Burmannus nominat, auctoritate, quam, quod Pithœus et ipse Burmannus edidit, « Mane Deum exoro ». Qui ita scripserunt librarii, Christianum facere Avienum voluerunt, qui ipse non fuit.

Digitized by Google

et *prolem Avieni*, id est, filium fuisse dicat Rufus Festus, tum Avienum illum hic indicari putat, cujus Phænomena, Fabulæ, aliaque hodie supersunt (1), licet ab eo dissentiat Henr. Cannegiet. in Dissert. Aviani fabulis subjecta, cap. 2 : nam voces illas conjunctas *soboles prolesque* idem Avienus, distincta tamen significatione, tamquam peculiarem sibi locutionem, usurpat in Arateis Phænom. v. 370 :

> .....Ipsius autem
> Subjectos capiti geminos tibi cernere fas est,
> Spartanam geminos sobolem, prolemque Tonantis.

Quod si vero unus Avienus diserte dicitur *multa* variaque *carmina* scripsisse, probabiliter non possumus diversa, quæ hodie sub Avieni nomine exstant, carmina diversis Avienis, aut aliis simile nomen habentibus, tribuere, licet plures Avienos antiquitus memorari non negem. Certe Arateorum scriptor Avienus idem de se, quod Rufus Festus in allato monumento, prædicat, multitudinem jactans carminum suorum, vers. 71 :

> O mihi nota adyti jam numina Parnassei,
> O, per multa operum mea semper cura, Camenæ (2).

Jam consideremus varia et numerosa Avieni carmina, quæ

(1) Certe Arateorum Phænomen. auctorem eumdem esse cum eo, cui monumentum supra descriptum positum est, haud vana conjectura ex ipso monumento potest colligi. Subjicitur ei monumento hæc acclamatio filii Placidi : « Ibis in optatas sedes, nam Jupiter æthram Pandit, Feste, tibi, candidus ut venias ». Iis vero verbis filius Placidus satis aperte ad initium Arateorum adludit : « Carminis inceptor mihi Jupiter : auspice terras Linquo Jove, excelsam reserat dux Jupiter æthram ». Debeo hanc conjecturam Jo. Nic. Funccio, Comment. de vegeta Ling. Lat. senectute, cap. 3, § 53, p. 221.

(2) Hugo Grotius ad hunc vers. « Multa operum », h. e. multa opera, πολὺ τῶν ἔργων, ut supra *rerum fluitantia* pro *res fluitantes* ; et alibi centies. Indicat vero Avienus sese ante Arateam paraphrasin alia poemata edidisse : puta, περιήγησιν Dionysii, Oram maritimam, Fabulas.

Digitized by Google

partim exstant hodie, partim deperdita ei ab Antiquis tribuuntur, et omnia ejus generis esse reperiemus, ut Epitome Iliados Homeri his perquam similis videri, et nulli veterum poetarum potius, quam Avieno, adscribi possit. Habemus duorum poematum Græcorum metaphrasin Latinam hexametri carminis genere ab Avieno confectam, Arati et Dionysii Alexandrini, et neminem eruditorum esse arbitror, qui non uni Avieno utramque deberi adserat (1). In utroque carmine docti viri observarunt, Avienum a Græco fonte multum recessisse, non pauca Arato intacta vel de suo, vel e Latina Germanici metaphrasi petita inseruisse, nonnulla etiam Dionysio addidisse, ut præter eum plures auctores sequutus videatur. Quod docuerunt Fabricius, Biblioth. Lat. lib. III, cap. 11, et Henr. Cannegieterus, Dissert. ad Avian. cap. 3. Plane eadem ratio, idem consilium est Iliados Latinæ. Versio Homeri est hexametris versibus expressa, sed ita instituta, ut in multis Homerum deserat, alia de suo addat, alia e poetarum Romanorum locis exornet. Qui igitur duo poetas Græcos Romano habitu induit, nec tam convertit, quam interpolavit, hic primarium Græcorum poetam Homerum similiter tractare omiserit? hic Iliados Latinæ, cujus plane idem genius, eadem componendi ratio, ac Arati Dionysiique Latini est, non auctor habeatur? Dices, carmen Homeristæ Latini compendium magis ex Iliade contractum, quam translationem esse, eoque ab Arati et Dionysii metaphrasi multum differre. At palam

(1) Adserunt hoc inprimis Gyraldus, Dial. IV, p. 257, et Vossius, de Hist. Lat. lib. II, cap. 9, fabulas etiam, quibus plerumque Aviani nomen inscriptum, Avieno adsignantes, hac maxime ratione, « quia hæ, et reliqua Avieni scripta unius hominis ingenium sapiunt, qui gauderet aliorum inventa Latinis numeris reddere ». Quamquam de fabulis fortasse concesserim Cannegietero, auctorem eis inscriptum Avianum diversum ab Avieno, saltem dubium esse; in duabus tamen Arati et Dionysii metaphrasibus uni Avieno adscribendis tam manifesta ratio apparet, tanta instituti et styli similitudo est, ut neque Cannegieterus plane contra ire ausus sit.

Digitized by Google

est, noluisse auctorem tam vasto et diffuso operi, quale Homeri Ilias est, parem versionem aptare, sed modicum carmen, sola serie factorum et summa rerum memoranda, exhibere voluisse, quod ipsum Avienus aliis majoribus libris in summam redactis, et carmine expressis, probavit. Servius (1) testatur Avienum totum Virgilium et Livium iambis scripsisse, ubi non poetam Livium, ut quibusdam visum est, sed historicum intelligit. Sed quis credat, totum opus Livianum, plus quam CXL libros complexum, ab Avieno redditum carmine esse, cui labori vix ætas Avieni ab aliis studiis et occupationibus reliqua suffecisset? Et Virgilium totum in meros iambos convertere, miserrimus versificatoris labor erat, nisi ita vertebat, ut aliquam ingenii doctrinæque partem afferret. Contraxit igitur vasta opera, et summam rerum complexus est, ut posset ipse de suo exornare et variare; cujus adjectionis exemplum in Livio contracto factæ Servius loco citato memorat. Quando igitur ille totum Livium et Virgilium ab Avieno iambis conversum scribit, non universa actorum dictorumque series, sed summa totius operis intelligenda est, qualem esse Iliadis Homeri conspicimus. Virgilius ab Avieno in summam contractus mire ad opinionem confirmandam facit, eumdem auctorem contractæ Iliados esse; qui toto carmine ita se familiarem Virgilio præbet, ut sæpissime Virgilianis phrasibus utatur, et narrationes nonnullas e Virgilio mutatas in Homerum transferat, alias ex eodem suppleat atque exornet. Facilior quidem ratio Avieni auctoris approbandi videri potest,

(1) Ad Æn. X, 388 : « Rhœti de gente vetusta Anchemolum ». Hæc fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus; Avienus tamen, qui totum Virgilium et Livium iambis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse ». Fabricius quidem, in Bibl. Lat. l. c. ait verba *Virgilium et* esse spuria, et male doctos viros ex hoc loco Servii adfirmasse, Virgilianas fabulas ab Avieno compositas. Sed idem Servius alio loco prodit ad Æneid. X, vs. 272 : « Et Stoici dicunt stellas esse ultra triginta duo, quarum nomina et adfectus Avienus, qui iambis scripsit Virgilii fabulas, memorat ».

Digitized by Google

quæ e comparatione styli, in Arati Dionysiique metaphrasibus, et in Latina Homeri Iliade observandi petatur. Sed eam comparationem in tribus hisce poematibus difficillime institui, immo vix locum habere posse, nemo miretur. In Arateis æque ac in Descriptione orbis terræ singulare argumentum et peculiare narrandi genus, cum nullo alio poeta commune, regnat. Nam illic recensio astrorum, paucis intermixtis fabulis, hic mera enarratio terrarum et gentium totum poema implet. Contra in Iliade, ubi belli historia describenda erat, vulgatior poetarum materia est, et continens perpetuaque oratio, ab isto Astronomico et Geographico poemate, quæ singularum partium recensione constant, mirum quantum diversa. In istis modicum carmen vertendum et dilatandum erat; in Iliade vastum opus in brevius contrahendum. In istis scribendis fere nullius poetæ imitatio locum habebat, in hoc plures sibi proponere imitandos, ob commune argumentum, poterat. Nihil itaque mirum, si neque similitudo magna styli inter ea poemata facile reperiunda est, neque ex comparatione ejus auctor facile colligendus. Si quis tamen locos quosdam in singulis sua natura comparabiles indagare et accuratius considerare velit, fortasse non levem dictionum et sententiarum similitudinem reperiet. Certe epilogus in fine Periegeseos et Iliados legitur, cujus utrimque persimilis est sententia. Auctor Iliadis sic finit:

> Sed jam siste gradum, finemque impone labori,
> Calliope.....
> .....ades inclyta Pallas,
> Tuque fave cursu vatis jam, Phœbe, peracto.

Et Dionysii interpres sic:

> At tu, Phœbe pater, vos clari turba, Camenæ,
> Nominis Aonio famam inspirate labori.

Latinitas in contracta Iliade talis est, ut auctori ejus vix alia ætas, quam Avieni, possit adsignari. Ætas quidem Avieni ejus, qui plura carmina scripsit, non plane certa est, siqui-

Digitized by Google

dem plures ejus nominis in antiquitate clari memorantur, et, quum plerique eum esse dicant, quem Macrobius adolescentem cum Servio aliisque disputantem in Saturnalibus induxerit, adeoque Theodosii Junioris et sequentium Imperatorum ævo floruisse adfirment; alii tamen ab hoc sejungendum, eoque paullo antiquiorem arbitrantur. In quibus præcipue est Henr. Cannegieterus, qui in Diss. Aviani fabulis subjecta, cap. 2, observat, a Macrobio Avienum et Servium ita confabulantes induci, ut Avieno quasi discipuli, Servio doctoris et præceptoris partes tribuantur, Servium autem, qui in suis ad Virgilium commentariis Avienum scriptis libris clarum adducat, hoc ipso declarare, eum non æqualem suum, sed se priorem et antiquiorem fuisse. Equidem argumentum illud e Servii commentariis ductum non admodum firmum esse existimo, si quidem statuere velimus, Servium illum diu post Macrobium et disputationes illas Romæ cum Avieno adolescente habitas scripsisse, aut forte Servii commentariis junioris alicujus Grammatici, qui Avienum laudaverit, scriptis adsutas esse; sed tamen nolo prorsus Cannegieteri sententiæ adversari, atque illud concedam libens, Avienum carminum auctorem paullo antiquiorem Macrobiano esse, et saltem Theodosiano ævo claruisse. Festus quidam sub Valente Consularis Syriæ et Proconsul Africæ in Cod. Theodosiano, et ab Ammiano Marcell. Libanioque memoratur, quem eumdem esse Festum Avienum, qui in marmore supra laudato *gemino proconsulis honore auctus* et carminum multorum auctor dicitur, non iniquum est judicare (1). Atque hæc Festi illius ætas omnino talis est, quæ auctori Latinæ Iliadis optime conveniat. Lutatius quidem, scholiastes Statii, qui primus eum auctorem citat ad Theb. VI, 120, sexto demum sæculo vixisse videtur, quod Sedulii et Boethii testimoniis utitur. Sed auctor Iliados purior et castigatior est, quam

(1) Ipse vero Wernsdorfius hanc ipsam sententiam retractat in proœmio de R. Festo Avieno, et agnoscit eum Festum, cum eo cujus carmina proximo tomo inserentur, confundi non recte posse. Ed.

Digitized by Google

ut ætate in barbariem lapsa et Lutatio propior existimari possit; et si cadentis latinitatis indicia habet, minime tamen deterior Festo Avieno est, neque talibus vitiis inquinatus, qualia in Boethiani ævi poetis, Maximiano Gallo, aut Cresconio Corippo, observamus. Ipsum Iliados in parvum poema contrahendæ consilium ætatem, quam ei adsignavimus, prodere videtur. Qua in barbariem inclinante, uberrimam olim Romanorum eruditionem jam fugientem sustinere et sistere pauci viri, majoribus doctrinæ monumentis, quæ ignavis ingeniis dudum molesta erant, in compendium vel epitomen redigendis, conabantur : qua Eutropius, Aurelius Victor, Sextus Rufus breviaria Historiæ Romanæ, Vegetius Epitomen Rei militaris, Marius Victorinus, Sulpitius Victor, Julius Severianus, alii, præcepta artis rhetoricæ e majoribus Græcorum et Romanorum libris summatim collecta; alii denique aliarum rerum compendia scribebant (1). Hanc ætatem a Constantino M. ad Theodosiana usque tempora extendi dicimus, qua igitur confectam Epitomen Homeri haud immerito collocamus. Ne ad inferiora tempora, quibus Romanum imperium procumbebat, eam detrudamus, hoc maxime prohibere videtur, quod auctor versu 907 generis Cæsarum ab Ænea deducti meminit, quod eum non facturum fuisse arbitramur, si eo tempore scripsisset, quo Cæsarum successores cum ipso imperio exspiraverant.

Gentilium sacris addictum fuisse auctorem Latinæ Iliados, ex ejus epilogo, ubi Calliopen, Palladem, Phœbum adloquitur, quæ Deorum nomina Christiani poetæ refugiebant, liquido apparet, et Festum Avienum, cui eam adscribimus, pariter fuisse paganum, monumentum supra adductum, quod eum Deæ Nortiæ religiosum prodit, satis declarat. Hic vero Cannegieterus l. c. paullum turbat ratio-

(1) De talibus Epitomarum et Excerptorum scriptoribus, quos extrema Latinitatis ætas protulit, pluribus agit Salmasius in præfat. ad L. Ampelium, qui ipse ex hoc genere scriptorum est.

Digitized by Google

nes nostras, et Avienum, scriptis clarum et a Servio citatum, quem nos eumdem cum Festo Avieno et auctore Iliados existimamus, Christianum fuisse adeoque diversum ab isto statuit. Opinionem suam confirmat ex verbis, quæ ex libro Avieni de Virgilii fabulis Servius adscripsit in commentariis ad Virg. Æn. X, 272, ubi de cometarum genere, qui blandi esse dicuntur, et res lætas significare: « Hic, inquit, dicitur apparuisse eo tempore, quo est Augustus sortitus imperium: tunc denique gaudia omnibus gentibus futura sunt nuntiata ». Hæc extrema ad verbum reddita esse ait ex Angeli dictis, quæ refert Divus Lucas, II, 10: Εὐαγγελίζομαι ὑμῖν χαρὰν μεγάλην, ἥτις ἔσται παντὶ τῷ λαῷ. Sed ex verbis ad dictum aliquod sacrorum librorum adludentibus nemo suspicionem Christianismi ducet, qui temporis illius, quo Avienus vixit, rationem norit. Quo Christianorum religione ubique dominante libri eorum sacri ita vulgo lecti et noti omnibus erant, ut docti præsertim inter ethnicos viri, cætera adversarii Christianorum, tamen res et dicta et historias ex libris eorum tenerent, et subinde laudarent etiam. Chalcidium in commentario in Timæum Platonis (pag. 219 edit. Meurs.) novimus ejusdem stellæ, de qua Avienus loquutus videtur, Christum recens natum portendentis, exortum ex historia evangelica referre; neque tamen de ea sic loquitur, ut inde, Christianum fuisse scriptorem, satis tuto colligere possimus. Avienus Macrobii (Saturn. lib. II, cap. 4) pueros ab Herode Judæorum rege intra bimatum occisos refert, haud dubie ex Matthæi libro, quia neque Josephus, neque alius quispiam, memoravit, nec tamen propterea pro Christiano habetur. Ipse Avienus, Phænomenorum Arati interpres, v. 32 seq. verba adhibet de sole et luna, quæ Grotius non absurde putat ex Mose hausta:

> Cujus et extremum tellus opus, ignea cujus
> Lumina sunt late, Sol et soror: ille, diei

Digitized by Google

Tendat ut infusi rutilum jubar; altera, noctis
Ut face flammanti tenebrosos rumpat amictus (1).

Etsi Cannegieterus ineptum eum esse pronuntiat, qui inde Festum Avienum Christianorum sacris addictum fuisse arbitretur, præsertim quum multa alia ab iis abhorreant, ego tamen graviorem rationem non video, cur ipse Avienum Servii Christianum esse maluerit, quod verba ex Evangelico libro mutuasse visus est.

Hactenus quidem adductis rationibus carmen Homericum Festo Avieno adserendum duxi, non quod hunc unice verum et certum auctorem putarem, sed quod neminem alium ex notis certiorem. Nam testimoniis Veterum, aut codicum auctoritate hic nihil agitur, et abunde constat, auctorem ipsum nomen suum poemati non inscripsisse, idque antiquitus non alio sub nomine, quam ipsius Homeri, cognitum et adlegatum, et a librariis exscriptum esse. Quemadmodum etiam cum Arati Phænomenis, latino Avieni carmine translatis, factum est, quod subinde solo Arati nomine adlegatur, etiamsi non ipse Græcus poeta, sed latina translatio intelligatur. Quam ob caussam et deserendam putavi opinionem, quam olim fovi, et (huj. op. nost. t. II, p. 313) proposui, de Pentadio Iliadis Latinæ auctore. Nam si certum est, nomen interpretis Latini neque ab Antiquis prodi, neque in antiquioribus codicibus reperiri, palam est, sub Pindari Thebani nomine, quod ei in recentioribus codicibus perperam impositum est, latere Pentadium non posse, licet ejus nomen in veteribus scriptis sæpe in *Pintati* vel *Pintadi* corruptum reperiatur. Et Pentadius præterea e carminibus hodie exstantibus is poeta apparet, qui lusibus ingenii et artificio

(1) Ad hunc locum Grotius: « Videri possint hæc desumpta verbotenus ex Mose, Genes. I: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præcsset diei; luminare minus, ut præesset nocti.* Nam luminaria sunt eadem, quæ lumina, ut apud Ciceronem, *nondum tot luminaribus exstinctis* ».

Digitized by Google

difficili poesin fere ubique implicuerit, ut carminis tam plani et expediti, quale Ilias Latina est, auctor haberi vix possit.

De *Pindari Thebani* nomine, ei carmini falso imposito, tam difficile et ambiguum judicium est, ut, qui rationem ejus indagare velit, is operæ pretium facturus sit, nec ne, vix audeam adfirmare. Potest enim barbari et inepti hominis inventum esse, nulla idonea caussa, neque aliter quam ridendum : potest etiam eruditior subesse ratio, et ab homine non indocto, licet per errorem, profecta. Quam rem felicius dijudicare possemus, si omnino de auctore et tempore, quo primum id nomen usurpatum, aut de codicibus, in quibus repertum est, satis constaret. Vossius tradit in codice anno 1390 scripto, qui Patavii est, Pindarum Thebanum inscribi; sed sæculo XIII Eberhardus Bethuniensis Pindari nomen ignorat, solum Homerum nominat, sicut alii codices antiquiores. Igitur sæculo demum XIV id inventum et codicibus adscriptum videtur. Qua sane ætate, pro summa hominum inscitia et barbarie, haud raro factum est, ut libris, quorum auctor ignotus esset, celeberrimi cujusque scriptoris nomen, quum minus celebres ignorarentur, nulla gentis et ætatis ratione habita, imponeretur; neque adeo, si carmini latino Pindari, Græci poetæ, nomen impositum est, hoc magis mirum videri debet, quam quod Hippocrati epistola latina attributa est ad Mæcenatem scripta (1). Sed fieri potuit, ut nomen Pindari ab homine non indocto, nec sine aliqua ratione, induceretur, si forte existimabat, Ilia-

(1) *Pindari* tamen nomen inter Romanos non plane ignotum et inusitatum fuit. Pindarus enim vocabatur libertus Cassii, cujus manu hic interficiendum se post aciem Philippensem curabat, ut memorat Appianus. Et Pindarus alius in Romanis inscriptionibus occurrit. — Cæterum epistola, de qua hic mentio fit, reperitur Marcelli libro Medicamentorum præmissa, in editione Jani Cornarii, Basil. 1536, fol. Etiam subjuncta est Cornelio Celso et Scribonio Largo, post Vindiciani carmen, in fine, Parisiis, 1528, in-4. Sed rectius ea epistola edita est sub nomine Antonii Musæ, Norimb. 1587. Ed.

Digitized by Google

dem parvam primitus græce a Grammatico aliquo confectam, post a Romano homine latine conversam esse. Hanc opinionem etsi ipsa libelli lectio refutat, videtur tamen posse quodammodo ex inscriptione ejus, quæ in codicibus et editionibus aliquot antiquis legitur, colligi, ubi *Homeri Iliadum opus per Pindarum Thebanum* scil. compositum, dicitur *e Græco in Latinum traductum*. Et Pindarus quidam, Alexandrinus Grammaticus, apud Fabricium, Bibl. Gr. vol. I, p. 551, et Villoisonum, Anecd. Gr. t. II, p. 187, in scholiis ineditis ad Dionysium Thracem laudatur, qui teste Suida Ptolemæus cognomento Pindarion dictus est, et varia ad Homerum pertinentia scripsit, ut Exemplorum Homericorum libros III, de charactere Homerico, de dictione, de Utide Homeri. Ad hæc Ælianus, Var. Hist. IX, 15, narrat, Homerum Cypria carmina filiæ suæ dotis loco dedisse, ejusque rei testem esse Pindarum, quo nomine nescio, utrum Grammaticus ille Alexandrinus, an poeta Thebanus intelligendus sit. Cypria vero carmina ad bellum Trojanum pertinebant, et anteriora Iliadis Homericæ complectebantur, Cypria dicta propterea, quod Venus Helenam promittens Paridi, qui eam postea rapuit, caussa exstiterat belli Trojani. Vid. Perizonius ad Æliani l. c. et cel. Heynius, Excursu I ad Æn. II, pag. 229. Hæc talia de Pindaro Grammatico, res Homericas exponente, memorata legisse vel audisse potuit homo quidam serioris ævi, et propterea Epitomen Iliados ab eo perscriptam arbitrari. Thebanum appellabat alius, qui Grammaticum Alexandrinum cum notiore, poeta Thebano, permutabat. Succurrit et alia opinatio, auctorem Iliados Latinæ fortasse non Pindarum, sed *Pandarum* inscriptum esse, qui e principibus Trojanorum, quod telo in Græcos conjecto fœdus ante factum ruperat, belli Trojani principium et incentivum fuit, et bis terve in ipso carmine nominatur. Hoc nomen carmini, quod multis in codicibus *de bello Trojano* inscribitur, aptissime præponi ad exprimendum ejus argumentum putabat sciolus quidam, qui ea re alios belli Trojani scriptores volebat imi-

Digitized by Google

tari, quos sciebat libris suis noti alicujus Trojani vel Græci, qui ipsi bello interfuerat, nomen tamquam auctoris, inscripsisse. Noti sunt libri de bello et excidio Trojæ sub Dictyos Cretensis et Daretis Phrygii nomine scripti. Et alii similes scriptores, nomine Trojani alicujus herois præditi, olim de bello Trojano egisse memorantur, ut Nestor poeta sub Severo, quem Iliada scripsisse testatur Suidas, et Thessandrus, idem argumentum amplexus, qui citatur a Servio ad Æn. II, 211. Thessandrus autem inter Græcos ex equo Trojano descendentes memoratur a Virg. Æn. II, 261 (1). Et medio inprimis ævo hic usus fuit, ut carminibus bellum Trojanum exponentibus ducis Trojani nomen præfigeretur. Josephi Iscani de eo argumento libros Dareti Phrygio inscribere, suppresso auctoris nomine, voluerunt, et Albertus Stadensis historiæ belli Trojani nomine elegiaco scriptæ, quam adhuc ineditam e codice Mspto bibliothecæ Ducalis Guelferb. orbi erudito notam fecit Jac. Frid. Heusingerus(1), titulum *Troili* fecit, qui unus ducum Trojanorum fuit. His exemplis adductis admodum verisimile est, obscurum aliquem hominem sequioris ævi, qui Epitomen Iliadis Latinam nullo auctoris nomine, nec certo titulo, insignitam haberet, *Pandari de bello Trojano* titulum, ex ipso carmine sumptum, adscripsisse, quod nomen mature cum notiore Pindari a librariis commutatum est. Hoc ipsum a librario factum, qui Iliadis Latinæ codicem Guelferbytanum sec. scripsit,

(1) Dictyos Cretensis, qui contra Trojanos militavit, nomine olim Τρωϊκὰ scripta exstitisse, versio ejus libri latina etiamnum exstans testatur. Ita et alium scriptorem Idomenei nomine insignem Τρωϊκὰ reliquisse, scholiastes Apollonii ad lib. I Argon. qui eorum librum primum citat, auctor est, et Jonsius de Script. Hist. Philos. lib. II, cap. 1, § 4, p. 141, conjicit, illum Idomeneum esse, quem Epicuri auditorem, patria Lampsacenum, Athenæus, VII, 5, testetur, et de illustribus viris scripsisse, Strabo libro XIII memoret. Ed.

(2) Ad fragmenta Cornelii Nep. Fl. Mallio Theodoro de Metris adjuncta, p. 113 seqq.

Digitized by Google

duobus locis deprehendi, ubi *Pandari* nomini alterum *Pindari* pro variante lectione appositum est. Vide v. 436 et 449.

Ex ipsa Iliados Latinæ et contractæ consideratione haud temere judico, merum opus hominis Romani et Romanorum poetarum lectione innutriti esse, neque ex epitome aliqua Græce prius facta ductum. Immo suspicor, auctorem ejus non ipsum Homeri Græcum opus, quod contraheret, ante oculos habuisse, sed antiquiorem ejus traductionem latinam, neque eam sinceram et Homericis ubique respondentem, sed interpolatam sententiis et fabulis aliorum poetarum, et maxime ad Virgilii sensum accommodatis. Constat innumeros fere poetas belli Trojani scriptores præter Homerum inter Græcos exstitisse, qui partim Iliadem imitarentur et variarent, partim hanc antecedentia et consequentia singularibus carminibus exponerent, in quibus maxime eminent Cypria carmina, et parva Ilias dicta. De quorum carminum generibus et ætatibus disertissime egit Heynius V. C. Excursu I ad Æn. lib. II. Ex iis carminibus passim compilatis multa varietas rerum et fabularum enata est apud poetas Græcos et Latinos, qui Homerica aut res Trojanas scripserunt. Inter Romanos quidem qui antiquitus hanc operam susceperunt, Græcos sequuti, non aliud fere, quam Iliadem Homeri, aut cætera, quæ diximus, carmina Græcorum verterunt latine; sed postquam Virgilius ex parva Iliade et aliis poetis multa ab Homero non dicta in suum epos transtulerat, Virgilii postea usus et auctoritas tantum valuit apud Romanos, ut ii etiam qui Iliadem converterent, Homerum e Virgilio exponere, et fabulis sententiisque Virgilianis exornare vellent. Ex eo genere versionem Iliados poeticam, recentiore ætate, aut paullo ante, quam Epitome nostra scriberetur, confectam, et ab antiquioribus diversam exstitisse, fere necesse est, ut mihi persuadeam. Hoc maxime e Periochis Iliados Homeri, Ausonio adscriptis, colligo, quæ non solum e latina aliqua Homeri versione, ut versus latini singulis præpositi, et partim a

Digitized by Google

Virgilio mutuati, demonstrant, excerptæ videntur, sed et singularia quædam continent, ab Homero non dicta, et cum nostra Homeri epitome convenientia. Quo pertinet inprimis, quod ad librum XXII ait, Hectoris corpus ab Achilleter circum mœnia Trojana raptatum, quod Homerus ignorat, Epitome latina e Virgilio (Æn. I, 483) aptavit sibi: et ad lib. XXIV mandata precesque ad Achillem de corpore Hectoris restituendo delatas refert, quæ apud Homerum ipsum non leguntur, sed in Epitome latina exstant. Occurrunt etiam in iis, quæ discrepare ab Homero æque ac Epitome latina videntur. In Periocha libri VII Hector, cum Ajace singulare prælium conserens, dicitur *lapide ictus in suorum se recepisse multitudinem*, quod ab Homero, saltem hoc libro, non refertur, et nisi ex Iliade latina, majore et interpolata, translatum est, certe ex Epitomes eo loco, quo de pugna ista singulari agitur, colligi non potuit. Et libro ultimo Jupiter dicitur Thetidi in mandatis ad Achillem dedisse, *ut fata hominum in exanimo hoste vereatur*, qualem sententiam Homerus nusquam adhibuit, Epitomes auctor usurpavit quidem, at non in mandatis Thetidis, sed in precibus Priami ad Achillem referenda. Quod si Periochæ Ausonii extractæ ex Epitome latina esse non possunt, exstiterit sane necesse est amplior Ilias, latine versa et Virgilio conformata, e qua et Periochas istas, et Epitomen, de qua agimus, auctor suus confecerit.

Sane exstitisse inter Romanos plures Homericorum librorum versiones, multis ex locis scriptorum antiquiorum pariter ac recentiorum manifestum fit, ubi versus Homeri, non Græci, sed Latini, tamquam ex nota receptaque versione, non nominato auctore ejus, referuntur. Erat etiam hic mos apud Romanos, ut in conviviis divitum et principum virorum inter alia acroamata certi homines, qui carmina Homeri recitarent, adhiberentur, quos *Homeristas* vocatos e Petronii cap. 49 discimus. Hoc inprimis testatur Juvenalis, Sat. XI, 177:

Digitized by Google

Nostra dabunt alios hodie convivia ludos.
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert tales versus qua voce legantur!

Ab his hominibus non semper Græcos Homeri versus decantatos esse, sed et plurimum Latinos, e Petronii l. c. mihi optime videor colligere: *Ipse Trimalchio in pulvino consedit, et, quum Homeristæ Græcis versibus colloquerentur, ut insolenter,* h. e. raro, *solent, ille canora voce latine legebat librum.* Hæc dum reputo, aptam mihi video offerri occasionem exsequendi consilii, quod dudum in aliis poetarum abs me prolatorum classibus sequutus sum, ut similium Epitomatori nostro scriptorum vel poetarum memoriam ex antiquitate repetam. Nempe eos animus est poetas Romanos recensere, qui vel aliquem Homeri librum Latino carmine transtulerunt, vel de bello Trojano rebusque eo pertinentibus, aut heroe aliquo Homerico egerunt, quos *Homeristas Latinos* licebit appellare.

I. Inter interpretes Iliados Romanos, antiquos quidem, Fabricius, Bibl. Gr. vol. I, p. 297, *Cneium Mattium*, et *Ninnium Crassum* præcipuos nominat, *Cn. Matium* seu *Mattium* e scriptis Veterum notum fecerunt Petr. Crinitus de Poetis, Læv. Torrentius ad Suetonii Julium, cap. 52, et Jos. Scaliger in Conject. ad Varr. de L. L. p. 149 seq. Homo doctissimus et suavissimus audit, scriptis Mimiambis non minus, quam Iliade Homeri translata clarus. In Mimiambis, quos A. Gellius passim, Terentianus Maurus, et Macrobius in Saturn. laudant, fabularum nativo lepore, et gratis novorum verborum figmentis placuit (1). Versus ex Iliadis libris idem Gellius adducit, lib. VI, cap. 6, et lib. IX, cap. 14; tum Varro,

(1) Vid. Gellius, lib. XV, 25, et XX, 8. Præterea Terentianus Maurus, de Metris, pag. 2437 Putsch. « Hoc Mimiambos Mattius dedit metro (nempe Hipponacteo): Nam vatem eumdem est Attico thymo tinctum Pari lepore consequutus et metro ».

Digitized by Google

lib. VI de L. L. denique Grammatici Charisius, Diomedes, Nonius, Priscianus. Varie tamen ejus nomen, judice Scaligero, depravatum apud Grammaticos reperitur. Apud Macrobium Attilius, apud Nonium Crassus, apud Priscianum Nimius Cassius et Cn. Manlius, apud Diomedem Cn. Atticus falso appellatur. De *Crasso* adhuc dubitem, utrum vitiose id nomen positum pro Matio, an vero alium Iliados scriptæ auctorem indicet. Neque enim in uno tantum Nonii exemplari legitur, sed et in Prisciano, lib. IX, p. 866, ubi Msptus Putschii codex *Ninnius Crassus* legit pro eo, quod ipse Putschius ante eum inspectum edidit, *Nimius Cassius* (1). Hunc Matium Scaliger l. c. ait C. Cæsaris amicissimum fuisse. In quo falli magnum virum arbitror. Nam Cn. Matium Mimiamborum et Iliadis scriptorem antiquiorem Cæsaris ætate fuisse existimo, quoniam a Varrone citatur, et Cæsaris amicus ubique Caius Matius dicitur, quam ob rem et Torrentio ad Suet. Jul. 52 distinguendus a Cneio videtur. Is C. Matius etiam in Ciceronis et Trebatii familiaritate vixit. Nam ejus epistola ad Ciceronem et Ciceronis ad Matium exstant, lib. IX Epist. ad Fam. De eo etiam Cicero ad Trebat. lib. VII, 15, et ad Att. IX, 13 agit. Et communis Matii et Trebatii epistola ad Ciceronem scripta inseritur lib. IX ad Att. epist. 19. Idem C. Matius esse videtur quem de Re rustica scripsisse Columella, lib. XII, c. 4, tradit, quemque falso Cneium Matium appellari a Plinio, lib. XII, c. 2, et a Prisciano, lib. VI, p. 722 Putsch. opinor. Nam Plinius Cn. Matii, equitis Romani, meminit, qui primus nemora tonsilia invenit, quem adeo illum rei rusticæ studiosum et scriptorem esse, ipsa res declarat, et Priscianus l. c. hoc fragmentum Cn. Matii (quamquam hic facili lapsu librarii *Martius* scribitur) affert: *meos hortulos plus stercoro quam olero*, quæ verba non alius scriptoris, quam Rei rusticæ, sunt. Itaque apud utrumque

(1) Fortasse etiam sub *Ninnio* vel *Nimio* Licinii nomen latet. Nam Licinii Crassi noti.

Digitized by Google

videtur Caii nomen pro Cneio reponendum. Ab hoc etiam Matio inventum et appellatum videtur malum Matianum, cujus meminerunt Plin. XV, 14; Colum. lib. V, 10, 19; Sueton. Domit. 21; Macrobius, Saturn. II, 10. Cæterum in medio relinquam, an is C. Matius, eques Romanus, amicus Cæsaris, idem cum isto Mimorum et Iliadis scriptore fuerit. Hic potius consultum duco Iliadis Matii reliquias, quæ apud Grammaticos conservatæ sunt, Stephano et Scaligero ducibus, recensere:

1. Ex Iliad. lib. VII. Gellius, Noct. Att. VI, 6:

Dum det vincenti præpes Victoria palmam.

Veteres editiones Gellii fere *Trimatium* et *secundo* Iliados pro *septimo* legunt. Sed, notante Scaligero, versus est Iliad. VII, 291: εἰσόκε δαίμων Ἄμμε διακρίνῃ, δώῃ δ' ἑτέροισί γε νίκην.

2. Ex libro VII. Varro, lib. VI de Ling. Lat. p. 80:

Corpora Graiorum mœrebar mandier igni.

Scaliger scribendum putat *mœrebant*, et apponit versum ejus libri 428:

Νεκροὺς πυρκαϊῆς ἐπενήνεον, ἀχνύμενοι κῆρ.

3. Idem Varro l. c. ex incerto libro:

Obscœni interpres, funestique ominis auctor.

Scaliger putat ab illo esse: Ἀργαλέην, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσαν· quem versum cujus libri sit quærere, jam longum est.

4. Ex libro XII. Priscianus, lib. VII, p. 760, Putsch.

.....celerissimus advolat Hector.

Cn. Manlium in Iliade, non adjecto libro, citat Priscianus. Sed Scaligero videtur esse Iliad. XII, v. 462: ὁ δ' ἄρ' ἔσθορε φαίδιμος Ἕκτωρ.

Digitized by Google

5. Charisius, lib. I de Analogia, p. 93, Putsch. *Acrum* pro *acrem* Cn. Mattius, Iliad. XV.

6. Ex libro XVI. Nonius, cap. de contrar. gener. Verborum, voce *Fite*, p. 475:

Nunc socii, nunc fite viri.

Sic legit Scaliger. In Nonio mendose legitur: « Crassus, lib. XVI Iliados: *Socii nunc fite viri* ». Expressus est versus Iliad. XVI, 270: Ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι.

7. Ex libro XX Iliad. Diomedes, lib. I, p. 336: « Hietare et hiatare Veteres dixerunt... Cn. Matius XX Iliados: *Ille hietans herbam moribundo tenuit ore* ».

Hoc Scaliger in suo Diomedis exemplari sic corruptum legit: « Cn. Atticus XX Iliados: *Ille hiat herbam moribundus ore* ». Unde corrigendum putat *Ille hiat at animam moribundior*, et verba Homeri apponit: Αὐτὰρ ὁ θυμὸν ἔϊσθε καὶ ἤρυγεν, qui est versus 403 Iliados, lib. XX. Mihi potius Matius respexisse ad phrasin Homericam ὀδὰξ ἑλεῖν οὖδας videtur, quam usurpavit Epitomator noster, v. 371:

Et carpit virides moribundus dentibus herbas.

8. Ex lib. XXI. Gellius, lib. IX, cap. 14:

Altera pars acii vitassent fluminis undas.

Gellius ibi *acii* pro *aciei* positum observat. Scaliger apponit hæc Homeri: ἦπαρ οἱ ἄλλοι ἀτυζόμενοι φοβέοντο, qui est versus 4 ejus libri.

9. Ex libro XXIII. Gellius eodem loco:

An maneat specii simulacrum in morte silentum.

Specii pro *speciei* positum. Scaliger versum Homeri 103 ejus libri comparat: Ἦ πόποι, ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλον.

Digitized by Google

10. Ex libro XXIII Iliad. sub Ninnii Crassi nomine Priscianus, lib. IX, p. 866, hunc versum citat:

Nam non connivi oculos ego deinde sopore.

Sed Scaliger restituendum putat *Cneius Mattius Iliados lib. XXIV* ex illo: Οὐ γάρ πω μύσαν ὄσσε ὑπὸ βλεφάροισιν ἐμοῖσιν. Est versus 637.

II. *Odysseam* Homeri Latine vertit antiquissimus Romanorum poeta *Livius Andronicus*, multosque ejus versus adducere solent Gellius, Festus, Nonius, Diomedes, Priscianus. Sed quia plerique obscuri et sordibus obsoletæ dictionis molesti sunt, nunc quidem eorum recensione supersedemus, quamquam eos e Stephani fragm. Poet. Lat. ubi cumulate afferuntur, repetere, haud difficilis labor esset.

III. *Cypria carmina*, vel Cypriam Iliadem, latine reddidit *Nævius*, item antiquus poeta, qui præterea bello Punico, Tragœdiis et Comœdiis scribendis clarus fuit.

Charisius libro I, p. 118 ex Nævii Cypriæ Iliados libro I hunc versum profert:

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Et ex Iliados secundo Priscianus, libro X, pag. 881, Putsch.

Fecundo penetrat penitus thalamoque potitur.

Chalcidius, pag. 159, ed. Meurs. hunc veterem versum Nævii citat:

Exuviis rabies furiarum examina mille,

quem Fabricius in not. ad h. l. fortasse petitum ex ejus Iliade putat, sed in eo legere vult *Exuviæ, rabies*. Ignorant eum versum Stephanus et Almelovenius, qui fragmenta Nævii collegerunt.

IV. *Ciceronem* etiam ad eos pertinere, qui Homeri libros integros, aut locos ampliores latine verterint, facile decla-

Digitized by Google

rant ejus libri præsertim philosophici, in quibus loca Homeri et testimonia Latina reddita passim profert.

1. Libro II de Divinat. cap. 30, locum longiorem Homeri adducens, præmonet ita se recitaturum, uti ipse quondam otiosus converterit. Est vero ille Iliados lib. II, 299 seqq. quo Agamemnon refert, Calchantem vatem e portento draconis, octo pullos avium cum matre devorantis, annos belli Trojani auguratum esse. Quem nunc subjicimus:

Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratosne habeant, an vanos pectoris orsus.
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quæ Priamo cladem et Trojæ, pestemque ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris Divum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani specie tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulsu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos
Corripuit pullos: quos quum consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat,
Cui ferus immani laniavit viscera morsu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, et duro formavit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in mediis Divum versarier aris.
Tum Calchas hæc est fidenti voce loquutus:
Quidnam torpentes subito obstupuistis, Achivi?
Nobis hæc portenta Deum dedit ipse creator
Tarda et sera nimis; sed fama ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos,
Quæ decimo cadet, et pœna satiabit Achivos.
Edidit hæc Calchas, quæ jam matura videtis.

Digitized by Google

2. Idem, de Divinat. II, c. 39, ex Iliad. lib. I, 236, hunc versum reddit:

Prospera Jupiter his dextris fulgoribus edit.

3. Querelam Achillis ex Iliad. I, 642, affert lib. III Tusc. Quæst. c. 9:

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Quum decore, atque omni me orbatum laude recordor.

4. Verba Homeri de Bellerophonte ex Iliad. VI, 201, refert Tusc. Quæst. lib. III, c. 26:

Qui miser in campis mœrens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

5. Ajacis tumulum, vel ejus qui cum Hectore congressurus esset, ex Hectoris oratione apud Homerum, Iliad. VII, 89 seq. Cicero, lib. II de Gloria, versibus Latinis reddidit, teste Gellio, XV, 6:

Hic situs est vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur hæc aliquis: mea semper gloria vivet.

6. Iliad. IX versum 363 vertit libro I de Divin. c. 25:

Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit.

7. Ex Iliad. XIX, 226, hæc habet Tusc. Quæst. lib. III, cap. 27:

Namque nimis multos, atque omni luce cadentes
Cernimus, ut nemo possit mœrore vacare.
Quo magis est æquum tumulis mandare peremptos
Firmo animo, et luctum lacrymis finire diurnis.

8. Ex Odysseæ XII, 184 seqq. orationem Sirenum qua Ulyssem invitant, refert Cicero, lib. V de Finib. cap. 18, ubi ipse diserte profitetur: «nam verti ut quædam Homeri, sic istum ipsum locum:

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulysses,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus.

Digitized by Google

Nam nemo hæc unquam est transvectus cærula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus;
Post variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, clademque canemus,
Græcia quam Trojæ divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

9. Augustinus, de Civit. Dei, lib. V, cap. 8, versus quosdam Homericos adducit, quos dicit Ciceronem in Latinum vertisse:

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Jupiter auctiferas lustravit lumine terras.

Apparet autem, versum esse 135 libri XVIII Odysseæ, Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Verba sunt Ulyssis ad Amphinomum, adfirmantis, mentes hominum mutari subinde, nec ipsas constare sibi, esseque singulis diebus, quales eo die velit esse Jupiter, Deorum atque hominum parens. Versus latinus posterior sensum Homeri non exprimit, et vel ipse corruptus est, vel corruptum Homeri exemplar reddidit. Neque verò, quo libro Ciceronis isti versus exstiterint, adhuc exploratum est. — Minucius Felix in Octav. c. 19, versum Homeri sic reddidit: «Talem esse mortalium mentem, qualem parens omnium diem duxerit». Ed.

V. Memorabilis etiam inter Romanos ob latinam Homeri interpretationem est *Actius Labeo*, quamquam inde non magnam laudem retulisse videtur. Notat eum Persius Satyræ initio: «Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem Prætulerint»; iterumque versu 5o, «Non hic est Ilias Acti Ebria veratro». Cornutus, vel quisquis est vetus interpres Persii, ad priorem locum memorat: «Labeo transtulit Iliada et Odysseam, verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius, quam sensum sequutus sit. Ejus est ille versus:

Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos».

Digitized by Google

Quo istum Homeri exprimebat Iliad. II: Ἰλιὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιο τε παῖδας. *Pisinnos* autem pro liberis dixit. Idem Persii scholiastes ad alterum locum adnotat: « Actius Labeo Iliadem Homeri versibus fœdissime composuit». Quamquam igitur a Satyrico ejusque scholiaste Ilias Actii vel Attii fœde describitur, et propterea Lindenbrogius ad Stat. Theb. VI, 120, Epitomen Iliadis, quam nos proponimus, non ineptiorem Labeone, quamvis recentiorem, putat, recte tamen judicat Barth. ad Stat. l. c. male Iliadem Labeonis e Satyricorum scommate æstimari, neque, quod isti ex altiore antiquitate vituperent, id continuo fœdum esse. Ego quidem Labeonem istum non Neronis et Persii tempore vixisse, ut quidam existimant, sed antiquioris multo ætatis esse arbitror, eoque a Persio maxime ob vetusta et obsoleta vocabula et asperam dictionem reprehensum esse, quomodo et in aliis vetustis poetis fecit. Cæterum distinguendus hic Actius Labeo non solum a vetustiore Accio, Tragœdiarum scriptore, sed ab Antistio Labeone, celebri Jureconsulto, qui Augusti temporibus vixit. De quo vid. l. 2, § 47, ff. de Orig. Juris.

VI. Ovidius, qui Elegia ultima libri IV Epist. ex Ponto poetas ævi sui commemorat, plures in his nominavit, qui bellum Trojanum aut fabulas Homericas carminibus exposuerunt. In his præ cæteris eminet *Macer*, ob hoc *Iliacus* vocatus ab Ovidio l. c. v. 6, quem Nic. Heinsius ad Ovid. l. c. duplex poema obsidionis Trojanæ, sive, ut Heynius V. C. Excursu I ad lib. II Æn. p. 226 magis definit, Antehomerica et Posthomerica scripsisse ait. Antehomerica testatur Ovidius, Am. lib. II, 18, 1:

> Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
> Primaque juratis induis arma viris;
> Nos, Macer, ignavæ Veneris cessamus in umbra.

Nam ex iis verbis liquet, carmen illud egisse de conjuratione Græcorum adversus Trojam, et de rebus ad Trojam gestis usque ad iram Achillis, de qua Homeri Ilias. Et eadem Ele-

Digitized by Google

gia, v. 37, Ovidius innuit, Macrum in eo carmine attigisse Paridis adulterium et Helenæ raptum, et mortem Laodamiæ ob maritum Protesilaum amissum, quæ longe ante iram Achillis acciderunt. Alterum Macri opus, Paralipomena Homeri complexum, indicat Ovidius ex Ponto lib. II, epist. 10, ad hunc Macrum scripta, v. 13:

> Tu canis æterno quidquid restabat Homero,
> Ne careant summa Troica bella manu.

Qua Elegia etiam significat, familiarem eum sibi fuisse, et secum Asiam et Siciliam peregrinando lustrasse, v. 21:

> Te duce magnificas Asiæ perspeximus urbes,
> Trinacris est oculis te duce nota meis.

Eumdem Macrum fuisse puto, de quo militiam et arma sequuto queritur Tibullus, lib. II, eleg. 6. Alium *Macrum*, majorem natu, Ovidius, Trist. lib. IV, 10, 43 laudat:

> Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
> Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer.

Est hic, qui Æmilius Macer citatur a Grammaticis, et de avibus et serpentibus, et herbarum virtutibus scripsit. Veronensem, et amicum Virgilii vocat Servius ad Ecl. V. Quem diversum a Macro Iliaco quum dudum Douza in Adnott. ad Ovid. Am. II, 18, 1, et Heinsius ad Pont. IV, 16, 6, pronuntiaverit, miror admodum, Brouckhusium ad Tibull. II, 6, 1, non agnovisse, et Nic. Funccium de virili æt. L. L. pag. 298 utrosque confudisse. Nam profecto ille Macer, ad quem Naso extremis suis temporibus ex Ponto scribit, quemque a scriptis carminibus Iliacum vocat, is esse non potuit, quem grandiorem natu sibi juveni carmina sua, plane quidem diversa ab Iliacis, prælegisse narrat, quemque Elegia extrema epistolarum ex Ponto, quia inter æquales et superstites poetas non meminit, tunc jam defunctum fuisse innuit. Auctor vero est Hieronymus in Chronico Eusebiano,

Digitized by Google

Æmilium Macrum, qui Ornithogoniam et Theriaca scripsit, obiisse in Asia, quo tempore Augustus nepotes suos Caium et Lucium Agrippas adoptavit. Id factum A. U. 737, Caio Furnio, Caio Junio Silano Coss. Multo igitur tempore hic ante obiit, quam Ovidius in exsilium ejiceretur, et inde epistolam ad alterum Macrum scriberet. Macrum Iliacum ad Liciniam gentem esse referendum, sicut alter Ornithogonias et Thericon auctor gentis Æmiliæ fuerit, censet Heinsius ad Ovid. ex Pont. IV, 16, 6. Fuit enim C. Licinius Macer, orator et historicus celebris Ciceronis ætate, de quo videri potest Vossius in histor. Lat. lib. I, c. 10, p. 45, cujus gentilem fuisse Macrum belli Trojani auctorem, mihi facile persuadeo, idque ex hoc etiam colligendum censeo, quod Grammatici subinde Macrum citantes Æmilii et Licinii nomina confundunt. Nonius in voce *Profecta*, Licinium Macrum in Ornithogonia citat, ubi sine dubio legendum Æmilius Macer. Contra Priscianus, lib. X, p. 895, Æmilii Macri Annalium librum XVI allegat, ubi Licinius Macer historicus nominandus erat. Referenda adhuc alia sententia est Jo. Bapt. Pii, Adnotatt. poster. cap. 184, qui belli Trojani scriptorem Macrum, ad quem scribit Ovidius, putat esse Pompeium Macrum, quem dicit floruisse sub Augusto, literarum columen et eruditionis quemdam veluti thesaurum fuisse, et a Suetonio Jul. cap. 56, his verbis memorari: « Quos omnes libellos (Cæsaris) vetuit Augustus publicari, in epistola, quam brevem admodum ac simplicem ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit ».

VII. Auctore Ovidio res Trojanas, et quidem Antehomericas, poemate tractavit *Camerinus*. Sic enim ille, Pont. IV, 16, 19:

Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Trojam.

Hunc Q. Sulpicium Camerinum Consulem sub Augusto

Digitized by Google

A. U. C. 761 putat Glandorpius in Onomast. cujus meminit Suetonius in Vespas. c. 2. Bis captam Trojam esse, ab Hercule prius, quam ab Atridis, multi veterum scriptorum tradunt. Et Herculis in Trojam expeditionem jam memorat Homerus, Iliad. V, 638 seq. latiusque exponit Dares Phrygius, de excidio Trojæ, cap. 3 seq. Cujus quidem hic caussam tradit, quod Laomedon, rex Trojæ, Græcos Argonautas a finibus suis prohibuerat et contumeliose tractaverat; alii vero hanc reddunt, quod Hercules ulcisci voluerit Laomedontis perfidiam, qui Herculi triginta equos propter servatam a marino monstro filiam Hesionem promiserat. Hinc Seneca in Troad. v. 135:

> Bis pulsata Dardana Graio
> Mœnia ferro; bisque pharetras
> Passa Herculeas.

VIII. Alius poeta *Largus*, teste Ovidio, Antenoris Trojani res gestas descripsit, quas Virgilius, Æn. I, 242 seqq. tangit, nempe coloniam Trojanorum ab eo in oras sinus Adriatici regionesque Galliæ Cisalpinæ deductam. Ovid. Pont. IV, 16, v. 17:

> Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
> Gallica qui Phrygium duxit in arva senem.

Vix alium hunc Largum puto esse, quam *Ælium Largum*, quem Dio Cassius, lib. LIII, memorat Cornelii Galli, poetæ et Ægypto præfecti, socium et convictorem, post accusatorem et caussam necis fuisse, denique exercitum in Arabiam Felicem parum feliciter duxisse. Quod Ovidius eum Largum ait cognomine ingenii sui dictum esse, eo significat magnam ingenii ejus ubertatem fuisse, quemadmodum Juvenalis de Demosthene et Cicerone, summis oratoribus, affirmat, Sat. X, v. 118:

> Eloquio sed uterque perît orator; utrumque
> Largus et exundans leto dedit ingenii fons.

Digitized by Google

IX. Similiter extremam partem belli Trojani, et quæ excidium Trojæ consequuta sunt, eodem auctore, *Lupus* persequutus est, de Menelai et Helenæ post captam Trojam reditu agens. Sic enim Naso l. c. v. 25 :

> Trinacriusque suæ Perseidos auctor, et auctor
> Tantalidæ reducis, Tyndaridosque Lupus.

Lupum, poetam Siculum, Perseidos pariter ac Tantalidæ reducis unum auctorem hic intelligunt nonnulli interpretes. Et Burmannus tradit Lupum Messaniensem prodi a Fasello, Decad. I Rer. Sicul. lib. II, cap. 2, et Mongitorem in Sicula Biblioth. t. II, p. 28, omnes summa diligentia collegisse, qui de hoc Lupo egerint. Ipse tamen Burmannus rectius duo poetas agnoscit, unum, quem non nominat, auctorem Perseidos, alterum Lupum, qui de reditu Menelai scripsit. Sane diversos auctores repetitum *auctor et auctor* satis declarat, quod repetere in uno duorum poematum auctore jejunum et indoctum est. Alter quidem, Perseidos auctor Trinacrius i. e. Siculus, quinam fuerit, quum ad rem nostram non pertineat, jam omitto quærere. Enimvero et Lupum, reductæ a Menelao Helenæ auctorem, toto nomine designare difficile est, quum plures Lupi in gente Junia, Julia et Rutilia fuerint, nec illi ab Ovidii ætate remoti. Plurimum tamen inclino ad *Rutilium Lupum*, cujus gentis et nominis plures Augusteo ævo floruerunt, inprimisque P. Rutilius Lupus, libri de figuris sententiarum et elocutionis auctor, quem ei ætati certis rationibus vindicavit Dav. Ruhnkenius V. C. in præfat. ad Rutil. Lupum. Et quidem huic ipsi Lupo, rhetori, carmen, de quo Naso loquitur, tribuere haud absurdum fuerit. Nam poema scribere a rhetoris professione non alienum est, et rhetor ille, qui præceptorum exemplorumque omnium apparatum e Græcis oratoribus repetendo Græcam eruditionem libello suo valde approbavit, facile etiam poetarum Cyclicorum lectionem parte belli Trojani exponenda testatam fecerit. De quo interim repetam et mea faciam verba

Digitized by Google

cl. Ruhnkenii in præfationis p. 15 extr. « In antiquis, inquit, et libris et saxis permulti non modo Rutilii Lupi, sed etiam *Publii Rutilii Lupi* occurrunt, quos hic congerere nihil attinet. Apud Ciceronem frequens mentio est P. Rutilii Lupi, Tribunatu pl. et Prætura functi, et in bello civili partium Pompeianarum. Vide Manutium in Ep. ad Div. I, 1. Cujus filio si quis hunc libellum tribuere velit, etsi non intercedam, nihil tamen sine idoneo teste adfirmem. »

X. Superest ex Ovidii æqualibus poeta, qui Homeri Odysseam vertit. Hoc enim significat ille l. c. versu 27:

> Et qui Mæoniam Phæacida vertit, et una
> Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ.

Dubium videri potest, per Phæacida tota Homeri Odyssea, an pars ejus designetur, nempe Ulyssis ad Phæacas et regiam Alcinoi adventus, quæque ibi cætera acta et narrata sunt. Nam Homeri Iliada et Odysseam olim in varias partes fuisse distinctas, singulasque suis nominibus et inscriptionibus insignitas, memorat Ælianus, Var. hist. XIII, 14. Inde pars ea singulari nomine Phæacis vel Phæacia dici potuit, sicut Ἀλκινόου ἀπολόγους dictam esse Ælianus prodit. Malim tamen nomen a poeta usurpatum, et a primaria Odysseæ parte ductum de tota intelligere, quum præsertim *versa* a poeta ex Homero dicatur, quæ opera vix videri potest in aliqua tantum parte operis sumpta. Nomen poetæ, qui Odysseam vertit, alio loco declarat Naso, libri quarti ex Ponto Elegia 12, vs. 27, ad *Tuticanum* scribens:

> Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis
> Quum te Pierides perdocuere tuæ.

Quo loco quum *Phæacida conditam* a Tuticano dicit, intelligimus, versionem Odysseæ non esse ad verbum factam, sed ingenio poetæ variatam, et tamquam proprium poema ex fonte Homeri ductam.

Digitized by Google

XI. E superiore Ovidii disticho ductum videri potest, quod Glandorpius in Onomast. ex Acrone, scholiaste Horatii, refert, *Antonium Rufum* vertisse Homerum et Pindarum. Vix autem alium Antonium Rufum a Veteribus memorari credo, quam Grammaticum, citatum a Quintiliano, Instit. lib. I, cap. 5, 43, et Velio Longo de Orthogr. pag. 2237 Putsch. Qui fortasse idem est, quem Commentator Cruquianus Horatii ad Art. Poet. v. 288 inter eos nominat, qui prætextatas et togatas scripserint. Unde quidem poetam cognoscimus, qui et aliqua de Homero et Pindaro vertere potuerit. Sed tamen Acron, vetus scholiastes Horatii, ubi idem dixerit, ego quidem nondum inveni. Unde totum hoc, quod de Antonio Rufo refert Glandorpius, valde dubium et impeditum esse existimo. — Vide, quæ diximus dissert. de Poet. Lat. Lyricis, quæ hujus edit. t. II præmittitur. Ed.

XII. Georgius Fabricius ad Ovid. Pont. Epist. II, 10, 13, notat, res Trojanas etiam scripsisse *Varium*, teste Horatio, et *Valgium*, teste Tibullo. Sed hos quidem, quamvis celebres poetas, Homericum poema expressisse, aut bellum Trojanum attigisse, ex Horatii et Tibulli testimoniis effici nequit. Nam si Horatius, Carm. I, 6, 2, Vario *Mœonii carminis alitem*, i. e. sublimitatem tribuit, exinde nondum confici potest, Homericum carmen ab eo versum, aut argumentum ejus tractatum esse. Similiter Tibullus, IV, 1, 180, de Valgio quidem dicit : *æterno propior non alter Homero;* sed eo elogio magnum quidem poetam Valgium prædicat, Homero ingenio parem, non item argumento similem.

XIII. Meliore jure ad scriptores Iliacos referimus *Petronium Arbitrum*, cujus carmen iambicum de Trojæ ἁλώσει, Satyrico insertum cap. 89, ipsi repetitum illustrabimus. Ex eodem scriptore colligere licet, hoc argumentum inprimis frequentatum illius ætate esse, et qui Satyrico suo aulæ Neronis mores et flagitia perstrinxisse putatur, fortasse et Homeristarum, quos in cœna Trimalchionis inducit, men-

Digitized by Google

tione facta, furorem poetarum ævi sui, ipsiusque Neronis, in fabulis Homericis decantandis, notare voluit.

XIV. In ipsa Trojæ halosi, a Petronio decantata, Gonsalius *de Sulas* putat insigne *Neronis* Imperat. poema, quod ipsum *Trojæ halosis* dictum est, simulque amaram carminis occasionem ex incendio Romæ immanissimo Principi oblatam, insectari Petronium voluisse. Sic enim veteres historici tradunt. Suetonius, cap. 38, ubi urbis incendium describit: « Hoc incendium e turri Mæcenatiana prospectans, lætusque flammæ, ut aiebat, pulchritudine, ἅλωσιν Ilii, in illo suo scenico habitu, decantavit (1) ». Tacitus, Annal. lib. XV, 39, « Pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scenam, et cecinisse Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus adsimilantem ». Addi potest Dio Cass. qui eadem memorat lib. LXII, pag. 709. Juvenalis, Sat. VIII, 221, aperte significat, Neronem *Troica* scripsisse, quæ etiam citat Servius ad Georg. III, 36, et Æn. V, 370. Scholiastes Juvenalis *Troados libros* nominat, et Persii scholiastes ad I, 122 *Troicon*. Amplum hoc opus fuisse videtur. Unde, *Trojæ halosis*, quam flagrante urbe canebat Nero, pars illius operis, an separatum carmen fuerit, certo adfirmari nequit. Ex libro I Neronis, *Troicorum*, ut putat Oudendorpius, hosce versus producit antiquus scholiastes Lucani ad Phars. lib. III, v. 261 :

> Quique pererratam subductus Persida Tigris
> Deserit, et longo terrarum tractus hiatu
> Reddit quæsitas jam non quærentibus undas.

XV. Per idem tempus *Annæus Lucanus* res Trojanas carmine exposuit. Nam *Iliacon* librum ab eo scriptum non so-

(1) Orosius, Histor. lib. VII, cap. 7, Suetonii locum exscribens, verba ejus extrema sic mutat, *tragico habitu Iliadem decantabat*, sane imperite.

Digitized by Google

lum vetus vitæ ejus scriptor memorat, sed etiam Lutatius, scholiastes Statii, testatur, qui plures versus ex eo adlegat; ut ad Theb. III, 641, hunc,

> Atque Helenæ timuisse Deos;

et ad Theb. VI, 322, hos :

> Haud aliter raptum transverso limite cæli
> Flammati Phaethonta poli videre, Deique.
> Quum vice mutata totis in montibus ardens
> Terra dedit cælo * naturaque versa.

Quorum versuum primum et secundum Scaliger ad Catalect. p. 280 sic mutavit : *Haud aliter raptum transverso limite anheli Flammatum Phaethonta poli.* Ego tamen cum Vossio de Hist. Lat. lib. I, c. 26, existimo lectionem Lutatii veram et incorruptam esse. In tertio versu Barthius ad Stat. Theb. VI, 322, corrigit *totis cum montibus*, et in quarto cum Lindenbrogio vult *Terra dedit cælo lucem.* Oudendorpius hic tentat *Terra dedit cælo solem* (1). Quoniam vetus auctor vitæ Lucani inter ejus libros cum *Iliaco* recenset *Catacausmon* (sic enim rescribendum censent docti viri pro eo, quod ibi legitur, *catascomon*), Scaliger inde unum poema facit et *Iliacum Catacausmon* vocat, hac quidem caussa, quod Nero, quum Trojæ halosis ageretur, Romam incendit. Sed antiquus vitæ scriptor disertim Iliacon et Catacausmon distinguit, interponens Saturnalia, et Lutatius, ubi Iliacon librum citat, nunquam apponit Catacausmon, neque Crinitus, de Poet. lat. libro III de Lucani scriptis loquens, aliter hæc nomina, nisi diversorum carminum intellexit, ubi Lucanum ait *de incendio urbis*, *de incendio Trojæ cum Priami calamitate* scripsisse. Quamobrem Vossius a sententia Scaligeri

(1) Eadem sententia de incendio Phaethonteo utitur Ovidius, Metam. II, 331 : « Isse diem sine sole ferunt : incendia lumen Præbebant; aliquisque malo fuit usus in illo ».

Digitized by Google

discedit. E Catacausmo etiam Vossius et Oudendorpius putant esse versus, quos Lutatius ad Stat. Theb. IX, 424, e Lucani Catagonio adducit :

> Thebais Alcmene, qua dum frueretur Olympi
> Rector, Luciferum ter jusserat Hesperon esse.

Sed ibi pro *catagonio* Scaliger legit *catalogo*, et Lucanum censet Heroidum catalogum reliquisse instar Hesiodi, qui ἠοίας scripsit, et κατάλογον. Ego vero neutri sententiæ possum subscribere, atque uti e catacausmo, h. e. libro de incendio urbis, repetere non possum versus, qui de Jovis et Alcmenæ concubitu agunt, ita neque catalogi titulum catagonio admodum similem reperio, ut latere in isto vocabulo possit; atque hujus nominis nullum librum Lucani a vetusto ejus vitæ scriptore memorari video. Mihi multo probabilius videtur, titulum libri, qui in Lutatii adlegatione *catagonion* dicitur, fuisse καταγύναιον, vel καταγυναίων, in eoque tractatas esse fabulas poetarum de amoribus Deorum et heroum quorumdam mulierosorum celebrioribus; easdemque esse *Salticas fabulas*, quas auctor vitæ Lucani inter scripta ejus refert. Vossius jam huic sententiæ propior est, quum *salticas* dici putat, quod res narrarent ad saltus pertinentes, nempe amores Satyrorum et Nympharum. Ego malim existimare, nisi vitiosum est vocabulum, a Lucano id formatum e verbo *salio* et *saltu* vel *salitione* esse, ut amores Deorum quorumdam salaciorum exprimeret, quos ipsi etiam saltu et saltatione significare dicuntur, ut apud Virgil. Ecl. V, 71 : «Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus (1)». In tali poemate

(1) P. D. Huetius, de origine fabul. Romanens. p. 78, conjicit, Lucanum fabulis Salticis id nomen imposuisse, quod, quemadmodum Tertullianus Herodiadi Salticæ nomen, hoc est, Saltationis, indidit, hæ ad saltationis usum compositæ fuissent, quasi quis hodie Tripudiorum narrationes dicat. Tum subjicit forsan Salticarum nomen depravatum, et *Psalticas* vocandas esse, quasi ad cantandum accommodatas. Qualia sunt quæ nostrates *Opera* vocitant. Ed.

Digitized by Google

inprimis locum habuerunt versus de Jove in adulterio Alcmenæ tres noctes conjungente, atque hoc etiam respexisse Statius in Genethliaco Lucani, quo plurima ejus carmina enarrat, his versibus videtur, Silv. II, 7, 62:

> Tu castæ titulum decusque Pollæ
> Jucunda dabis adlocutione.

Nempe fabulas poetarum de mulieribus adulteratis enarrans, adloquium ad uxorem suam Pollam præmiserat, quo ei elogium et titulum castissimæ conjugis tribuebat, quemadmodum illa et a Statio in præfatione ejus libri Silvarum *clarissima uxorum* appellatur.

Non omittendum est Lucani poema libro Iliacon affine argumento, nisi prorsus idem, quod *Hectoris Lytra* nominant Barthius et Vossius, et primum Lucani adolescentis opus fuisse testatur Statius, Silv. II, 7, 54:

> Ac primum teneris adhuc in annis
> Ludes Hectora, Thessalosque currus,
> Et supplex Priami potentis aurum.

A Suetonio, vel alio antiquo vitæ Lucani scriptore eum titulum inter scripta Lucani non invenio, petitum autem existimo a doctis viris ex Ennii tragœdiæ inscriptione, quæ ab Hygino, Festo, et Nonio laudatur, et argumentum ex ultimo Homeri Iliadis libro sumptum tractavit, quo pacto Priamus supplex Hectoris cadaver magno auri pondere ab Achille redemisset. Quum inter scripta Lucani non nominetur hoc poema, quod tamen Statius in iis diserte et primo loco laudat, haud ægre mihi persuadeo, quod Barthio ad Statii l. c. tomo I, p. 254, et in Advers. lib. XXIII, cap. 3, visum est, sub Iliacon titulo cum aliis conjuncti argumenti a Lucano scriptum, aut idem prorsus carmen esse, quod Lutatius, Statii scholiastes, Iliacon nominet (1). Etenim si

(1) Quum vero Barthius in Advers. l. c. ex Papinio auguratur, *Iliacon librorum* seriem trium fuisse, primum quidem de victo Hectore, alterum

Digitized by Google

aliud et diversum fuerit, qui omitti illud a vitæ Lucani scriptoribus potuerit, non video. Contra, si Iliacon librum de solo excidio Trojæ egisse putemus, huic opinioni ipse Statius adversari videtur, qui Lucanum adfirmat noluisse trita poetarum argumenta, excidium Trojæ, errores Ulyssis, aut expeditionem Argonauticam persequi, in Genethl. Luc. vers. 48:

> Nocturnas alii Phrygum ruinas,
> Et tardi reducis vias Ulyssi,
> Et puppem temerariam Minervæ,
> Trita vatibus orbita, sequantur.

Denique qui scripta Lucani enumerat, Pomponius Infortunatus et Petr. Crinitus, quorum verba Oudendorpius Lucano suo præmisit, Iliacon titulum ita exponunt, ut sub eo Hectoris interitum simul et excidium Trojæ complectantur. Nam Lucanum scripsisse aiunt *de incendio Trojæ cum Priami calamitate*, quæ Priami calamitas non alia est, quam summus ex amissione Hectoris mœror.

XVI. Homericis poetis adhuc accenseri potest Papinius Statius propter Achilleida, quæ certe primarium heroem Homeri celebrat. Post istos neminem alium reperio nominatum, qui Homericum poema, aut fabulam Iliacam tentaverit. Sunt tamen, qui vel versus Homericos latine conversos crebro citent, vel Homerum latinum et interpolatum se legisse significent, de quibus dubium est, an aliqua superiorum auctorum versione usi sint. Ad eos refero inprimis

de ejus lytris, tertium de inferis; in eo me non consentientem habet. Nam quum Statius versum subjicit «Et sedes reserabis inferorum», de Orpheo intelligendus est, quem Lucanus alio carmine cecinit. Mihi liber Iliacon extrema Trojæ complexus esse videtur, et post victum occisumque Hectorem, in quo ipsam Trojam cecidisse vulgaris omnium opinio erat, deploratum a poeta fatum Priami et Trojani imperii esse, morte Hectoris in ultimam calamitatem adducti.

Digitized by Google

Chalcidium, qui in commentario in Timæum Platonis subinde versus Homeri latinos adlegat, quos hoc loco recensendos puto.

1. Sic ille, pag. 185 edit. Meurs: « Hæc porro mundi pars (dextera) in Eois est, proptereaque Homerum puto lapsum alitis augurantem dixisse:

Dexter ad Eoum volitans solemque diemque ».

Est versus Iliad. XII, 239, ubi Hector ad Polydamantem ait se minime morari auspicia, Εἴτ' ἐπὶ δέξι' ἰώσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε, Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε, ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

2. Idem Chalcidius, p. 218: « Dicit autem Homerus de hoc sidere (canicula) hactenus:

Iste quidem clarus, sed tristia fata minatur ».

Est versus Iliad. XXII, 30: Λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστι, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται.

3. Idem, pag. 349, ubi e Platone refert, Socratem sibi mortem vicinam ex somnio quodam præsagisse: « Visa est mihi quædam, inquit, mulier eximia venustate, etiam candida veste, nomine me appellasse, dixisseque illud Homericum:

Terna luce petes Phthiæ præfertilis arva ».

Est versus Iliados IX, 363. Eamdem rem narrat Laertius, II, 35, et Cicero, de Divin. I, c. 25, qui versum ita reddit:

Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit.

4. Idem, pag. 361: « Denique ex oculorum habitu mens atque animus indicatur irascentium, mœrentium, lætantium. Irascentium quidem, ut apud Homerum commotæ mentis orator

Stabat acerba tuens defixo lumine terræ;

et item:

.....furor ignea lumina volvit.

Digitized by Google

Mœrentium vero infert poeta de eo, qui jugi fletu oculos amiserat,

> .....mœrorem lumina linquunt ».

Primo sermo est de Ulysse, Iliad. III, 217; alterum respicit Iliad. XII, 466; tertium obscurum est.

5. Pag. 273, idem Chalcidius versus Homericos de Laertio juvene, i. e. Ulysse, refert:

> Pectore pulsato mentem castigat acerbe.
> Quin toleras mea mens? etenim graviora tulisti.

Sunt autem versus 17 et 18 libri XX Odysseæ: Στῆθος δὲ πλήξας, etc. ubi Ulysses secum loquens iram compescere conatur. Aliter hi versus redduntur in Consolatione Ciceroni supposita:

> Corde age sis firmo, nec te submitte dolori;
> Namque aliquid gravius pejusque aliquando tulisti.

— Imitatus versum Homericum videtur Ovidius de Pont. III, 7, 13: « Hoc quoque, Naso, feras, etenim pejora tulisti ». Ed.

XVII. Inter opera *Ausonii* exstant Periochæ singulorum librorum Iliados et Odysseæ Homeri, e quibus haud difficulter colligitur, Ausonium ipsum antea libros Homeri latino carmine vertisse, aut ab alio quodam versos præ manibus habuisse, e quibus has Periochas conficeret. Nam minime videri ex Græcis Homeri in summam contractas, sed ex Homero latino et interpolato, jam supra claris indiciis permoti adseruimus, et auctor ipse singulis Periochis versus latinos, initium libri indicantes, præponit, qui translationem Homeri ante factam testantur. Ipsine Ausonio, an alii hæc tribuenda sit, definire equidem non audeo. Cum Epitome Iliados latina, quam edimus, eas Periochas conspirare, alibi jam diximus, et utrasque igitur ex uno fonte manasse, haud temere judicamus.

Digitized by Google

XVIII. Post Epitomes Homeri auctorem medio, quod dicitur, ævo duo exstiterunt poetæ, pro ætate sua non spernendi, qui belli Trojani historiam poemate latino complexi sunt. Unus est *Josephus Iscanus* Devonius, Excestrensis monachus, qui sæculo XII libros VI de bello Trojano, paraphrasi heroica ex Pseudo-Darete expressos, dicavit Thomæ Balduino, archi-episcopo Cantuariensi, qui anno 1191 Tyri defunctus est. Primæ editiones, suppresso veri auctoris nomine, id poema, ut Daretem ipsum prosarium, Cornelio Nepoti ineptissime adscripserunt, cujus nomen si etiam in codicibus Msptis inventum est, id non solum inscitia ævi barbari, sed etiam fraude librariorum, qui gratiam auctoritatemque majorem acquirere libro volebant, factum esse arbitror. Nam in iis editionibus, post vers. 32 libri I, omissi cernuntur versus sex, elogium Thomæ, Cantuariensis episcopi, continentes, e quibus ætas auctoris cognosci poterat, quosque primus, adnotante Fabricio in Bibl. Lat. e Mspto codice produxit Tan. Faber in notis ad Longinum. Primus Josephum Iscanum sub Daretis Phrygii nomine, a latino carmine a Cornelio Nepote donati, edidit Albanus Torinus Basil. 1541, in-8, cum Darete prosario, sive, ut hic vocatur, Periocha sex librorum Daretis Phrygii per Cornelium Nepotem interpretem, cum Pseudo-Pindari Epitome Iliadis, et Homeri Iliade ex Nic. Vallæ et Vinc. Obsopæi versione. Post Torinum edidit Georgius Henich inter *belli Trojani scriptores præcipuos*, Basil. 1573, in-8, qua in collectione continentur Dictys Cretensis, lib. VI, Dares Phrygius Cornelio Nepote interprete, Daretis Phrygii (i. e. Josephi Iscani), de bello Trojano lib. VI, a Corn. Nepote latino carmine redditi, Ilias Homeri, Nic. Valla, Vinc. Obsopæo et Eobano Hesso interprete; denique Oratio Ulyssis legati ad Achillem, auctore Aristide, ex græco in latinum sermonem a Jo. Camerario conversa, cum responsione Achillis Libanio auctore. Tertia editio sub Daretis Phrygii nomine est Henrici Spondani ad calcem Iliadis Homeri græce et latine editi, cui et

Digitized by Google

adjuncta Pindari Thebani Epitome Iliadis Homeri, Basil. 1583 et 1603, fol. Quartum edidit sub Daretis Phrygii et Cornelii Nep. junctis nominibus Alex. Car. Trognæsius, qui Joanni *de Bloys*, in suprema Flandriæ curia consiliario, dicavit, Antwerpiæ, apud Joach. Trognæsium, 1608, in-8, et adjuncta sunt *Poemata quædam vetera*, Lucani Panegyricum ad Calp. Pisonem, Gratii Cynegeticon, Rufi Festi Avieni Descriptio orbis terræ, M. Aurelii Olympii Nemesiani Cynegeticon, ejusdem Bucolicon, Titi Calp. Siculi Bucolicon. Sequutus est Samuel Dresemius, Dithmarsus, qui primus hoc poema Josepho Iscano restituit, et eruditis notis illustravit, Francof. 1623, in-4, sed nullis codicibus manuscriptis usus est; e quibus id emendatius et integrius edidit Jo. Morus, Londini, 1675, in-8; præsertim versibus insertis, quibus Thomam, Cantuariensem episcopum, laudari supra diximus. Denique Josephus Iscanus e recensione et cum notis Dresemii additus est Dictyos Cretensis et Daretis Phrygii libris, interpretatione Annæ Daceriæ et notis variorum illustratis, Amstelod. 1702, in-4.

XIX. Alter ævi medii Homerista abs me memorandus est *Albertus Stadensis*, sæculo XIII clarus, cujus adhuc Chronicon cognitum, et nomen inter Historicos celebre fuit; sed Jac. Frid. Heusingerus post fragmenta Cornelii Nepotis e codice Bibliothecæ Guelferbytanæ, cum Fl. Mallii Theodori libro de Metris, Lugduni Bat. an. 1766 edita, ex eodem codice notum orbi erudito fecit Alberti Stadensis *Troilum*, uti ei visum est inscribere historiam belli Trojani, quam Daretis Phrygii vestigiis insistens elegiaco carmine expressit. Judicat Heusingerus l. c. p. 113, Albertum hunc quidem Josepho Iscano, qui non multo ante eamdem materiam carmine heroico scripserat, facundia et carminis elegantia concedere, studio tamen atque ardore, quo Musas ætate illa contemptas et ab omnibus fere neglectas coluit, non minorem Iscano laudem mereri. Præter duo autem apospasmatia,

Digitized by Google

quæ Heusingerus ex isto poemate speciminis loco descripsit, nihil ejus hactenus cognitum vel editum est.

Atque hos quidem habui scriptores, quos Iliadem Homeri aut res Trojanas carmine latino repetentes, e vetusta recentioreque memoria referrem. In quibus recensendis consulto præterii, aut in transitu tantum nominavi scriptores, qui historiam belli Trojani prosa oratione enarrarunt, ut Dictyos Cretensis et Daretis Phrygii interpretes, de quibus Fabricius in utraque Bibliotheca, et Vossius in libro de Historicis Gr. et Lat. luculenter egerunt (1), tum ex medio ævo *Guidonem de Columna*, Messanensem Siculum, qui Historiam Trojanam A. C. 1287 scripsit, Dictyos quidem auctoritatem, ut ipse fatetur, plurimis in rebus sequutus, sed tamen et varia ex suo sæculique sui ingenio attexens. De cujus editionibus admodum raris videri potest Fabricius, Bibl. Lat. lib. I, c. 6, et Bibl. med. et inf. æt. vol. III, p. 383.

Nunc redeundum est ad Epitomen Homeri Latinam, quam edimus. In qua recensenda et illustranda duarum maxime rerum officio fungendum fuit: uno quidem, ut libellum a plurimis mendis et erroribus purgaremus, quorum superiores editores nullam curam habuerant; altero, ut, quoniam auctor summum Virgilii et Ovidii imitandi studium prodit, eorumque sententiis et phrasibus sæpissime utitur, horum poetarum locos diligenter exquisitos apponeremus, haud raro illustrando auctori bene servientes. Neque vero omisimus opusculum hoc cum ipso Homero perpetuo conferre, atque inde vel corrigere et restituere depravata, vel saltem discrepantiam a poeta ostendere. Per eam collationem etiam consultum duxi libros Homeri in Epitome Latina distinguere, atque, ad quem librum quæque pertineant, numeris in principio appositis indicare. Cæteris in rebus non magna illustrandi et interpretandi opera sumenda fuit, quia

(1) De Darete Phrygio singularem exercitationem publici juris fecit V. C. Jo. Georgius Eccius, Lipsiensis Academiæ Prof. Lipsiæ 1768.

Digitized by Google

auctor fere ubique plana facilique oratione utitur, raro ab usitata loquendi ratione recedit, raro adsurgit. Neque epicum poetam appellare ausim, etsi Homeri exemplar sequutus est, et nonnulla de ingenio suo contulit. Quoniam enim in serie factorum ex Homero ducta, et in caussis rerum explicandis sæpe nimium angustus et exilis est, contra in episodiis quibusdam et accessoriis rebus intempestive luculentus, hinc periisse subinde fabulæ gratia et probabilitas videtur, et spiritus ingeniumque poetæ, quem exprimere voluit, elanguisse. Interim auctor hac scriptione operam ætatis suæ hominibus satis optabilem navavit, qui literis fere pereuntibus multam veterum scriptorum lectionem gravabantur, compendiis doctrinarum inhiabant, et magnum adeo Homerum in epitome, tamquam in nuce, devorare volebant. Quæ tamen reliquæ in eo scriptore elucent virtutes, a nobis alias memoratæ, ingenii et orationis præclaræ, dignum omnino præstiterunt opera, quam in eo emaculando denuoque evulgando insumpsimus.

Subsidiis autem eam in rem usi sumus quum Msptis codicibus quatuor, et quibusdam vetustis editionibus, tum observationibus virorum doctorum in eum scriptorem editis. E codicibus, duo sunt e bibliotheca Ducali Guelferbytana Sereniss. Ducis et Heri mei jussu mecum communicati; alter quidem antiquus, cum Achilleide Statii conjunctus, et, nisi fallor, sæculo XIII in membrana formæ minimæ perquam accurate scriptus, foliis constans XII, sed in medio mancus, a versu 180 ad 628. Sectiones quasdam poematis majoribus literis initio positis distinguit, quibus indicare initia librorum Iliadis, quamquam non ubique accurate, videtur. Inscribitur INCIPIT HOMERUS, et in fine legitur EXPLICIT LIBER HOMERI (1). Alter Guelferbytanus integer quidem, sed ad-

(1) Sic in catalogo Bibliothecæ Universitatis Lugduno-Batavæ, inter MSS Vossianos, pag. 390, reperitur exemplum manuscriptum vetus, quod inscriptum est: *Incipit liber Omeri*, nullo Pindari Thebani nomine adjecto. ED.

Digitized by Google

modum recens, circa finem sæculi XV scriptus in charta, constat foliis 17 formæ maximæ, et nullam inscriptionem habet; in fine tantum inepte subscribitur: *Homeri de Troiano Ilion finem accipe.* Hic codex a quodam scholæ magistro non imperito, atque ex exemplo satis bono, dictatus, et a tirone calamo exceptus videtur. Nam plures lectiones sanas servat, multorumque verborum, præsertim nominum propriorum, variationes diversis in codicibus repertas, conjunctim exhibere solet; contra voces permultas sono et pronuntiatione similes, sed literis diversas, imperite permutat et perperam scribit. Tertius codex, cujus usum habui, est bibliothecæ publicæ Helmstadiensis, forma oblonga scriptus in membrana et Æneidi Virgilianæ præfixus, sed ab initio mutilus incipit a versu 266: *Æquius adversis tecum.* Videtur esse ex sæculo XIV, satis diligenter scriptus, sed pluribus compendiis verborum. Quartus scriptus est ille bibliothecæ Annabergensis, a Schoetgenio, tomo VI Bibliothecæ Fabric. mediæ et inf. æt. memoratus, quem Dav. Christi. Grimmio V. C. ejus urbis rectore, mihi humanissime præbente, nactus sum. Hic si forte paullo antiquior Guelferbytano secundo est, nihilo tamen melior. Scriptus in charta formæ maximæ, foliis 17, sectiones, in quas poema dividit, literis initialibus majoribus, cæruleo rubroque colore alternatim pictis, indicat, cæterum contractionibus vocabulorum æque ac corruptelis scatet, et in lectionibus raro discedit a vulgatis editionibus antiquis, Lipsiensi et Basileensi. Scholiis densis et frequentibus inter lineas et ad marginem positis obrutum totum opus est, quæ quidem difficulter leguntur ob minutiem contractionemque literarum, vix tamen alia, quam incepta et vulgaria videntur. Titulus operis initio impositus est: *Homerus grecus per Pindarum insignem oratorem de greco in latinum traductus, opus clarissimum sequitur feliciter.* Adfuerunt præterea editiones antiquæ, Lipsiensis una, sine anni et loci significatione, impressa sub finem sæculi XV; altera Albani To-

Digitized by Google

rini Basil. 1541, quam pro basi recensionis meæ posui. E recentioribus criticis, qui poema Pseudo-Pindari recensuerunt partim, partim illustrarunt, et quorum libris uti potui, primus est Casp. Barthius, qui Epitomen Homeri totam recensuit in Adversariis, lib. LVIII, cap. 14, et lib. LIX, cap. 1 et 15; tum aliis in locis nonnulla ad eam notavit, præcipue in commentar. ad Stat. t. III, p. 393 seq. Post Barthium nemo fere longo temporis intervallo exstitit, qui eum scriptorem attingeret; sed nostra ætate plures in Batavis eruditi viri hanc operam aggressi sunt. In his nominandus est Petrus *Bondam*, antecessor hodie in Academia Ultrajectina celeb. qui in *Variis Lectionibus*, Zutphaniæ, an. 1759 editis, libro II, cap. 4, p. 138 seqq. hoc poema recensuit; et præcipue nomina ducum et heroum ad Trojam pugnantium ex Homero emendavit, quædam etiam de auctoris nomine et ætate præfatus est. Idem ante in *Specim. Animadvers.* cap. 13 nonnullis ejus locis succurrerat, quem tamen libellum mihi videre non licuit. Adrianus *van Dorp*, JCtus, *Observationes ad quædam juris civilis aliorumque auctorum loca* edidit Traj. ad Rhen. 1769, in-8, ubi integrum cap. 14 Pseudo-Pindaro emaculando dicavit, et se collatione Mspti codicis bibliothecæ Lugd. Batavæ usum esse ait, ad aliumque codicem provocat, qui apud Petrum Burmannum secundum erat. Idem sæpius laudat emendationes a Jo. Schradero secum per epistolam communicatas. Plura etiam promisit Joannes *van der Dussen*, J. U. D. schol. Campensis conrector, qui *Prodromum novæ Pindari Thebani editionis, sive specimen Animadversionum criticarum* edidit Campis 1769, in-8. Totus libellus constat animadversionibus in auctorem Epitomes, cujus multi versus a mendis liberantur. Citat idem cl. Schraderi *Observationes*, quarum libro I, cap. 3, nonnulla ejus loca excussa sunt. Sed hujus libri copiam non habui. Dussenius, seu potius Higtius, vir græce latineque doctissimus, quominus integrum poema recensitum ederet, quod promiserat, fato immaturo præ-

Digitized by Google

ventus est, narrante cl. Dorpio, Observatt. pag. 134. Novissime Antonius *de Rooy*, gymnasiarcha Snecanus, nunc gymnasii Dordraceni rector, in *Spicilegiis criticis* Dordraci an. 1771 editis, capite 16, Pindarum Thebanum aliquot locis castigavit. Et Petr. Burmannum video in Adnott. ad Anthol. Lat. hunc auctorem passim adducere et emendare. Integram ejus poematis, tantum adhuc neglecti, recensionem et editionem apud Batavos moliri nobilissimum ingenio et eruditione juvenem *van Kooten*, Batavum, e literis docti viri cognovi. Quem ubi tum egregiis subsidiis bibliothecæ Leidensis, tum insigni observationum, quas docti Batavi ediderunt, copia instructum ad poema illud perpoliendum accedere audio, gratulanda sane ei poemati hæc felicitas est, quod per plura sæcula fere absconditum, et vetustatis barbariæque sordibus obsitum, nostra ætate plurium hominum opera prorsus vindicari in lucem, et omni cura exornari meruit.

Nunc seriem editionum, quibus Epitome Homeri vulgata est, enarrare aggrediar. Quas etsi scio paucas et infrequentes esse, vereor tamen, ut omnes satis certo et distincte indicare possim, quum a nemine collectas et digestas repererim, neque satis bibliothecarum magnarum indicibus instructus fuerim.

1. Vossius quidem primum editum esse Pindarum Thebanum a Laurentio Abstemio tradit, cum Maphæi Vegii Astyanacte, ac quibusdam epigrammatibus. Ego vero, an prima omnium editio sit Abstemii, adhuc dubito. Antiqua editio Florentina, in-4, memoratur a Joanne Cinello, Biblioth. volantis tomo VII, p. 66, sub titulo: *Homerus de bello Trojano*, quam quidem Fabricius, Biblioth. Lat. med. et inf. æt. vol. V, p. 875, pro prima Laur. Abstemii habet, ego vero malim ea priorem existimare, quia solum Homeri titulum, non Pindari Thebani nomen, præfert, nec annum impres-

Digitized by Google

sionis, quantum quidem e Cinello intelligi potest, notatum habet, nec alia carmina adjuncta, quæ contra in Abstemii editione esse Vossius indicat. Qui si primam eam dixit, solum videtur Pindari Thebani nomen, quod in ea primum usurpatum est, respexisse.

2. Mich. Denisius, in Hist. typogr. Vienn. p. 93 antiquiorem editione Abstemii censet eam, quæ *Parmæ, opera industriaque Angeli Ugoletti*, a. 1492, in-4, prodiit. In titulo ejus dicitur Pindarum hanc epitomen fecisse ad institutionem filii sui, et nulla mentio Abstemii. Ed.

3. Proximæ his editiones videntur esse Lipsienses per Martinum Herbipolensem factæ, forma in-4. Duo exemplaria in bibliotheca Academiæ Lipsiensis servantur, et in catalogo referuntur ad annum 1494. Quæ quidem forma literarum, divisione paginarum, et versuum in singulis numero plane conveniunt; sed, ut Reizius, professor ejus Academiæ clarissimus, mihi luculentissime approbavit, non unius ejusdemque editionis sunt, sed compendia verborum et sphalmata nonnulla diversa habent. Alia Lipsiensis cum notatione anni 1497, in-4, memoratur a Lipenio in Biblioth. reali Philos. p. 679. Hoc mihi inde videtur esse, quod alteri exemplo bibliothecæ Lipsiensis adjuncta sunt carmina latina de laudibus Alberti, Ducis Saxoniæ, cum nota anni 1497. Titulus earum editionum est: *Homeri grecorum poetarum clarissimi Yliadum opus per pindarum thebanum: e greco in latinum traductum.* Fini poematis subjecta sunt tria epigrammata, *Epitaphium Hectoris*, idem illud, quod inter epigrammata Pentadii proposuimus (vid. huj. ed. t. II, pag. 329. Ed.); aliud de Hectore monostichon, rhythmicum, ex ævo barbaro; denique *Epitaphium Achillis: « Pelides ego sum »*; quod in Burm. Anthol. lib. I, ep. 98 legitur. — Et nos in nota ad Pentadii ep. IV, de Narcisso exscripsimus, eodem tomo, p. 326. Ed.

Digitized by Google

4. Sub Pindari Thebani nomine, curante Laurentio Abstemio, cum Maph. Vegii Astyanacte et variorum epigrammatibus, prodiit Fani, 1505, ut notavit Fabricius, Bibl. Lat. med. et inf. æt. vol. V, p. 43. — Editionem aliquam Pindari Thebani sine loco et anno vidisse se adfirmat Denisius l. c. p. 93, quam tamen suspicatur esse posse eam, quæ *Fani per Hieronymum Soncinum*, 1505, in-8, prodiit, ob adjectos alios libellos ejus anni et loci. Ed.
5. Hæc editio repetita, nonnullis epigrammatibus omissis, a Francisco Polyardo an. 1515, ut eodem loco Fabricius refert. Petrus Burmannus in præfat. ad Anthol. Lat. pag. 13, et in not. ad Anthol. lib. III, ep. 219, adnotat, in hac editione Abstemii Fanensi post Pindarum Theb. et vetera epigrammata simul legi Maximiani Elegias cum Lyrico ad Lydiam.
6. *Homeri Iliadum opus per Pindarum Thebanum e græco in latinum traductum.* Monaci, 1509, per Mart. Herbipolensem. Vid. *Hirsching Beschreib. Schenswürdiger Bibliotheken in Deutschland.* v. III, p. 541.
7. Aliæ Lipsienses edd. per Jac. Tanner factæ an. 1504, item an. 1509, in-4, memorantur a Maittario in Annal. typogr. Item alia Lipsiensis exstat, an. 1514, in-4. Ed.
8. Notabilis editio hæc est: *Pindari viri doctissimi bellum Trojanum, ex Homeri longo opere decerptum et castigatissime impressum.* Poema ipsum sub inscriptione: *Homerus de bello Trojano*, in VIII breves libros divisum est. In fine legitur: *Impressum Viennæ Austriæ per Hieronymum Victorem et Joannem Singrenium, sexto Nonas Julii*, anno 1513, in-4. Memorat Denisius, loc. cit. Suspicor hanc editionem a Cuspiniano vel Camerte curatam esse. Ed.
9. Sub titulo: *Epitome ac summa universæ Iliados Homeri Pindaro Thebano auctore* Joannes Secerius excudit Haganoæ 1531. Refert Gesnerus in Bibliotheca.
10. Sub eodem titulo, nihil forte differentem ab Seceria-

Digitized by Google

na editione, reddidit Albanus Torinus, post Daretis Phrygii poema de bello Trojano, ejusque librum prosaicum de excidio Trojæ, adjecta etiam Nic. Vallæ et Vinc. Obsopæi Iliade Homeri latino carmine reddita, Basil. 1541, in-8.

11. Eadem inscriptione post Iliadem Homeri, versione et commentario illustratam, cum Daretis Phrygii libris VI de bello Trojano, edidit Jo. Spondanus Basil. 1583 et 1606, fol. Hic nihil aliud, quam exemplar Torini reddidit.

12. In Corpore Poetarum a Mich. Maittario adornato, ut in aliis, quod suspicor, ejusmodi collectionibus hæc Epitome Homeri non comparet. Sed recentissima et locupletissima *Collectio Pisaurensis omnium poematum, carminum, fragmentorum latinorum* id poema sub titulo *Pindari Thebani Epitome ac Summa universa Iliados Homeri* retulit tomo IV, qui ethnicos poetas, minores et minimos, cum carminibus incertorum continet, et Pisauri an. 1766, in-4, prodiit, pag. 216. Textus ab editore ex exemplo Basileensi Spondani descriptus est. —Plures editiones Pseudo-Pindari Thebani recenset Harlesius, v. cl. in notis ad Fabric. Biblioth. Gr. vol. I, p. 429. Ed.

Epitomæ Iliados Homeri subjungendum putavi Carmen, quo Eumolpus ad Petronium, c. 89, *Trojæ Halosin* in tabula depictam exponit. Quod quoniam e Petronii majoribus carminibus restabat, nostræ collectioni inserendum, neque, cum versibus iambicis compositum sit, commode superioribus heroicis interponebatur, propter argumentum Iliadi Latinæ, tamquam appendicem, adjunximus. Apud Veteres poetarum atque pictorum opera ita conspirabant, ut et pictores solerent argumenta tabularum e poetarum fabulis petere, et poetæ tabulas pictorum adjectis carminibus declarare. Inprimis vero moris erat Romæ, pinacothecas,

Digitized by Google

tablina, porticus integras picturis, veteres historias vel fabulas referentibus, instruere, quorum argumenta præcipue e poetarum principum, Homeri aut Virgilii, operibus petebantur. Apud Petronium, cap. 29, *interrogat* quidam *atriensem, quas in media porticu picturas habeant? Iliada et Odysseam, inquit.* Et Virgilius, forte ut morem istum Romanorum suo carmine illustraret, fingit Carthagine in templo pugnas Iliacas artificum opere expressas ab Ænea conspici, Æn. lib. I, 455 seqq. Poetæ solebant picturis fabularum brevia carmina subscribere, quæ ambulantes in porticu otiosi relegerent, et quæ celebriores gratioresque tabulæ erant, crebro usurpatæ oculis, ingenia poetarum excitabant, ut argumentum et gratiam fabulæ e pictura haustam subinde ampliore carmine exprimerent. Inde dubitandum non est maximam partem epigrammatum et carminum, quæ in Græcis Latinisque poetarum Anthologiis leguntur, esse collectam: inde Philostratus Icones suas adductus est componere, nonnullas etiam Claudianus et Ausonius poetæ descripserunt; et, si Servius ad Æn. X, 272, memorat Avienum Virgilii fabulas iambis scripsisse, haud dubie intelligenda sunt singularia carmina, quibus Avienus particulas Æneidis, episodia et fabulas inde decerptas, et fortasse picturis alicubi expressas, exposuit, iambis quidem, ne ipsos Virgilii versus exscribere videretur. Hujus generis etiam est *Trojæ Halosis*, a Petronio iambis descripta, et tabulæ argumentum exponens, quod totum e Virgilii libro II Æn. expressum erat. Nempe machina capiendæ a Græcis Trojæ memoratur, equus magnus ædificatus, et in eo occultati Græci: Sinonis referuntur mendacia et insidiæ, Laocoontis in equum conjecta hasta, ejusdemque et duorum filiorum a duobus anguibus enectorum triste fatum: denique a Graiis equo effusis capta urbs et incensa, et trucidati Trojani narrantur. Ejus poematis iidem editores et interpretes nominari possunt, qui ipsius Satyrici Petronii. Sigillatim tamen descripsit et Catalectorum Vet. Poet. libro II, p. 249 proposuit

Digitized by Google

Jos. Scaliger, inter fragmenta poetarum Stephanus, p. 405, et poetarum latinorum collectores inter excerpta Petronii carmina et fragmenta posuerunt, ut Mich. Maittarius, Oper. et frag. Vet. Poet. vol. II, p. 1568, et Collectionis Pisaurensis editor, Paschalis Amatus, tomo IV, p. 87. Præter notos Petronii interpretes seorsum Trojæ Halosin perstrinxit Jac. Tollius in Fortuitis, cap. 3, p. 18 seqq. et deinde in Animadversionum criticarum ad Longinum Gustus accessione, ubi hoc poema ad acerrimam censuram vocat, et cum Virgilio comparans, multa in eo tumida et dura et inepta esse ostendit. Sed in plerisque præceps Tollii judicium esse observat Burmannus in notis, qui de cætero non optimo colore carmen esse fatetur; sed in Petronium culpam ejus conferendam esse negat, qui de industria Eumolpum aliquanto inflatius carmen, nec sanissimi coloris, pangentem induxerit, et ipse initio Satyrici sui ostenderit, se naturalem orationis et carminis pulchritudinem recte nosse. Similiter G. E. Lessingius in libello quem inscripsit *Laocoon*, sive de finibus artis pictoriæ et poeticæ, cap. 5, p. 54 seq. eum locum hujus poematis, quo Laocoontis et filiorum calamitas pingitur, cum Virgiliana descriptione comparavit. Nonnullos ejus versus tentavit J. J. Reiskius in Animadvers. ad Petron. quæ in Miscell. Lips. novis, vol. VI, leguntur. Nos eorum virorum observationibus et censuris utemur in tantum, quantum ad illustrationem poematis satis erit, de iis, quæ ad artem, ingenium, inventionem poetæ pertinent, minus solliciti, qui non artificis instruendi laborem, sed verba poetæ interpretandi suscepimus. In texto recensendo Burmannum sequemur.

Digitized by Google

DE

EPITOME ILIADOS HOMERI

EJUSQUE AUCTORE

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Auctor veteris epigrammatis, quod in Pithœi Epigr. vet. lib. I, p. 29, et in Burm. Anthol. Lat. lib. III, ep. 62, inscribitur *de Navigatione* (*), quem auctorem suspicor Rufum Avienum esse :

O litus vita mihi dulcius! o mare! felix
Cui licet ad terras ire subinde meas.
O formosa dies! *hoc quondam rure solebam*
Iliadum armatas sollicitare manus.

* Parum aptus hic titulus epigrammati est, nec eum in codice Voss. aut schedis Scaligeri haberi testatur Burmannus. Nihil aliud auctor incertus, quam villam suam in litore maris positam laudat, e qua prospicere naves euntes in mari subinde ad litus appellentes poterat. Unde ei cogitatio suboritur comparandi incommoda et pericula navigationis cum sedis suæ terrestris securitate. Conferendum Martialis epigr. 51 libri X.

1. *Felix, Cui licet,* h. e. felix ille habendus, cui contingit subinde hanc in villam meam secedere, et hac terrarum amœnitate frui. Simile illud Horatii, Epod. 2 : « Beatus ille, qui procul negotiis, etc. » et Claudiani epigr. 2 : « Felix, qui patriis ævum transegit in agris ».

3. *O formosa dies.* Heinsius *o formosa quies* emendabat in exemplari suo, et ad Ovid. Fast. VI, 594. Et sane hoc convenientius sequentibus verbis, quibus otium suum in literis occupatum adfirmat, quomodo Plinius, Epist. I, 9 : « o dulce otium honestumque!... o mare, o litus! quam multa invenitis, quam multa dictatis? » Sed nec *dies* incongruum, siquidem Martialis verba l. c. respexit : « o soles! o tunicata quies! » Pithœus edidit cum asterisco *hac quondam* * *rure solebam Iliadas armatas,* et in margine *Iliadum.* Sca-

Digitized by Google

Hic fontis lacus est : illic sinus egerit algas :
Hic statio est tacitis juncta crepidinibus.

liger in margine notaverat *rure solebat Ilias*. Lindenbrogio videbatur legi posse *Naidas armata sollicitare manu*. Christius in Excursu ad Villatic. p. 270, tentat : *hac quondam, rure, solebam Iliade*. Ingeniosissime Heinsius in exemplari suo emendavit : *hoc quondam rure solebam Phyllidos hamatas sollicitare manus :* qui tamen in notis ad Ovid. Fast. l. c. *armatas* retinuit. Hic igitur describi putavit, quæ Horat. Carm. I, 6, dicit « prælia virginum Sectis in juvenes unguibus acrium ». Sed his argutiis non opus est. Teneo, quod Pithœo adsentiente edidi, *Iliadum*, et interpretor, auctorem olim rure suo bellum Trojanum ex Homeri Iliade descripsisse, et nunc cum respectu ad Odysseam Homeri periculosas navigationes Ulyssis contendere cum vita, quam in terra agat Penelope ; videatur vers. ult. Dicunt poetæ se ipsos facere, quod ab aliis factum describunt, quod ex innumeris eorum locis constat. Hinc *Iliadum armatas manus sollicitare* idem est, ac Trojanorum prælia describere : quemadmodum Propertius, II, 1, 17, dicit « heroas ducere in arma manus » ; et in Ætna Lucilii, vs. 42 : « impia *poetarum* fabula *dicitur* Ætnæi verticis ignes Phlegræis castris sollicitare », h. e. ignes Ætnæ, quasi arma in Deos mota, describere. *Iliadum* ab *Iliadæ* est, quomodo Trojani vocantur, sicut *Iliadæ fratres* Romulus et Remus apud Ovid. Fast. III, 62 : et memorabile est, in antiquis editionibus Epitomen Iliadis, quam edimus, *Iliadum opus* inscribi. Si *Iliadum* minus placeat, possis etiam *Iliade* legere. — Quæ lectio adscritur, hujus operis nostri tomo II, pag. 314. Ed.

6. Vulgatæ legunt *victa Cupidinibus*. Sed omnes eruditi, hoc carmen legentes, ista verba sollicitant et emendare conantur, haud dubie propterea, quod eis *statio Cupidinum* valde obscura videbatur. Pithœus vult *fida Cupidinibus ;* Barthius, Advers. XXIII, 12, « Hic statio est tacitis vita Cupidinibus » ; Tollius tentavit *placitis læta* vel *lecta Cupidinibus*. Tandem Heinsii emendatio ad Ovid. Fast. l. c. prolata Burmanno se maxime probavit : « Hic statio est tacitis dicta Cupidinibus ». Neque vero hi viri animadverterunt, ipsum *Cupidinibus* alienum esse. Audacter lego : « tacitis juncta crepidinibus ». — *Statio* hic non est sedes vel locus Amorum et Cupidinum, sed statio navium. Hoc præcedens *sinus* suadet, quocum *statio* etiam conjungitur in Ciri, v. 472 : « Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea ». Ad stationem navium pertinet *crepido*, vel munita et exaggerata terra litoris, ad quam junguntur vel vinciuntur naves. Hinc Virg. Æn. X, 653 : « Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi Stabat ». — *Tacitæ crepidines* sunt, quæ carent ventis et tempestatibus, quomodo Horatius, Carm. III, 29, 24, de ripa ait : « caretque Ripa vagis taciturna ventis ». Ne plurali *crepidinibus* offendaris, ecce Manilius, IV, vs. 48 : « Eque crepidinibus cepit Carthaginis urbem ». Possis etiam pro *victa* legere *tuta* vel *fida*, ut fit in illo Virgilii Æneid. II, 23 : « Nunc

Digitized by Google

Pervixi: neque enim fortuna malignior unquam
Eripiet nobis, quod prior hora dedit.
Illic alternis depugnat pontus et aer:
Hic rivo tenui pervia ridet humus.
Illic divisas complorat navita puppes:
Hic pastor miti perluit amne pecus.
Illic immanes mors obsita solvit hiatus:
Hic gaudet curva falce recisa Ceres.
Illic inter aquas urit sitis arida *fauces;*
Hic data perjuro basia multa viro.
Naviget, et fluctus lasset mendicus Ulyxes:
In terris vivet candida Penelope.

tantum sinus et statio male fida carinis». Cæterum principio vers. 5 lego cum Heinsio *Hic fons, hic lacus est.* Nempe poeta significat, ex altera parte villæ suæ fontem et lacum esse, ex altera partim sinum maris conspici undantem fluctibus, partim stationem navibus tutam.

7. *Pervixi*, h. e. ad hoc tempus vitam bene exegi. Geminus his versibus locus Horatii est, Carm. III, 29, 41: « Ille potens sui Lætusque deget, cui licet in diem Dixisse, Vixi.....non tamen irritum Quodcumque retro est efficiet, etc. »

11. *Illic divisas*, i. e. fractas, vel dissipatas. Heinsius volebat *dispersas*, vel *depressas*, vel *elisas*.

13. *Mors obsita*. Sic Scaliger in margine schedarum emendaverat, et in editione sua expressit. Sed in cod. Voss. et schedis Scaligeri *oblita*. Heinsius et Opitius conjecerant *obvia*, quod et Burmanno præplacet. Oudendorpius tamen volebat *Illic immani mors horrida sævit hiatu*. Ego ex *oblita* conficere malim *abdita*, quæ scilicet ex abysso maris per hiatum undarum emergit, quasi bellua marina.

16. In vulgatis est *Hic dat perjuro;* quod multum vexavit interpretes: nam τὸ *dat* quo referendum sit, non apparet, et, si puella, quæ non exprimitur, subintelligenda, ea sane dura ellipsis est. In Voss. codice legebatur *da Piuro bassa*. Tollius volebat *nulla*, scil. puella basia dat non viro perjuro, sed fido. Oudendorpius conjiciebat *Hic dat Penelope basia multa viro*. Burmannus: *Hic dat securo basia amica viro*. Mihi placet e scriptura codicis Voss. legere: *Hic data perjuro basia multa viro*, ita ut suppleatur *urunt* e præcedente versu. Ut navigantes sitis urit inter aquas, sic in terra crebra oscula puellarum urunt et accendunt tam liberaliter data viro, quamvis perjuro et fallenti: fortasse et præstet pro *perjuro* legere *percaro*. Sic Horatius, Carm. I, 13: « Uror, seu tibi candidos Turparunt humeros, etc. »

18. *Candida Penelope*. Epitheton *candida* videtur sumpsisse ex Ovid. Amor. II, 18, 29: « Candida Penelope signum cognovit Ulyxis ». Et auctor Epitomes crebro utitur Ovidianis verbis et phrasibus.

Digitized by Google

II. Lutatius, sive Lactantius Placidus, scholiastes Statii, ad Theb. vi, 20.

Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur. Persius : *hinc tuba candelæ*. Homerus in funere Hectoris dicit :

> Hinc pyra construitur, quo bis sex corpora Graium,
> Quadrupedesque adduntur equi, currusque, tubæque,
> Et clypei, galeæque cavæ, Argivaque tela.

III. Eberhardus Bethuniensis, scriptor sæculi XIII, in Labyrintho, tractatu III de Versificatione, quod carmen Pol. Leyserus in Hist. poet. med. ævi, p. 825, et Fabricius, Bibl. Lat. med. et inf. æt. t. II, p. 220, dederunt, inter poetas Latinos, quos ibi recenset, et sua ætate in scholiis prælectos innuit, etiam Homerum post Daretem (h. e. Josephum Iscanum) nominat, eoque Epitomen Iliados Latinam, ut Lutatius, significat, vs. 45 :

> Instruit in Trojam Græcos, et pandit Homerus,
> Quæ vehat unda rates, Argolicumque dolum.

IV. Jo. Jovianus Pontanus libro I de Sermone, cap. 18 de contentiosis, pag. 359, tom. II Opp. edit. Basil. 1538.

Laurentius Vallensis in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticisque ita et scripsit, et disputare est solitus, ut minime videretur velle præcipere, nec apparet, tam contendere illum de veritate proprietateque, aut docere velle, quam maledicere objectareque vetustis scriptoribus, atque obloqui. Itaque Ciceronem vellicabat, Aristotelem carpebat, Virgilio subsannabat. Quippe qui propalam sit adseverare ausus, sive *Pindarus* quispiam auctor is nomine suo fuerit, sive alio, (de hoc enim ambigitur) qui Homericæ libros omnes Ilia-

Digitized by Google

dos non multos admodum in versus contractos latine convertit; qui propalam sit, inquam, adseverare ausus, *Pindarum eum Virgilio anteferendum.* Est autem carminis illius principium:

> Iram pande mihi Pelidæ, Diva, superbi,
> Tristia qui miseris injecit funera Graiis.

V. Frid. Lindenbrogius in Observatt. ad Statium, p. 507, super loco Scholiastæ Statii supra adlato.

Ita hos versus in parte restitui ex MS codice, quo in Germania usus, in quo Pindarus hic auctor vocabatur. Quisquis tandem sit, non ita recentem arbitror: immo forte nec ineptiorem Accio Labeone, quem Homeri Iliadem versibus fœdissime composuisse, scholiastes Persii ait ad illum versum: *Non est hic Ilias Acci.*

Barthius ad Stat. Theb. VI, 120, verba Lindenbrogii sic accipit, quasi hic de manuscripto Lutatii exemplari loquatur, in quo auctorem parvæ Iliadis Pindarum appellatum repererit. In quo ille plane errat. Lindenbrogius loquitur de manuscripto ipsius poematis, quod Pindari Thebani nomen præferebat.

VI. Caspar. Barthius, Advers. lib. XX, cap. 12.

Pindarus de bello Trojano, auctor antiquus et ingenio satis bono.

VII. Idem, Advers. lib. LVIII, cap. 14.

Non postremus est inter auctores non omnino antiquos, quos tamen censui eorum aliquo modo adscribere possis, qui de bello Trojano versibus compendium quoddam conscripsit, Pindari Thebani nomine, quem ego quidem, more sæculorum latius recedentium ab eruditione prisca, ad conciliandam libro auctoritatem antiquissimi poetæ potissimum

Digitized by Google

titulo usum fuisse existimo; securum interim, quid isti conveniret, quem sciret æqualium suorum paucissimis vel nomine solo notum esse. Eadem ratione Daretis nomen adscitum est Josepho Iscano Devonio, quem nescio an non et hujus compendii censerem scriptorem; nisi quod Pindarum hunc fictitium illo videam longo intervallo castigatiorem et melioris judicii esse, vitantem vitia, quæ ille alter adfectat, acuminum videlicet a verborum sonis pendentium, et collusionum inter paria vocabula, paresque sonis literas, quæ pessumdederunt bono ingenio nisam, bona eruditione munitam poesin etiam sequiorum temporum, etc.

VIII. Idem ad Statii Theb. VI, 120, post recitatum scholion Lutatii.

Sit ergo (*Pindarus de bello Trojano*) et dignitate sua et testimonio hujus doctissimi grammatici, deinceps inter veteriores barbarie scriptores non aspernandus, immo æstimandus. Nec ineptus collocari ultimo loco inter vetera poematia, si qui ea sunt post Pithœum repexuri. *Post alia:* Non vero dubitamus et auctoris hujus nomen aliquando in lucem retrahendum, modo ipse suum operi inscripserit. Omnino autem antiquior est Gualteris, Iscaniis, modo sic recte iste appelletur, et aliis ejus notæ, quod præter Lutatianum hoc testimonium, stylus minime tumidus, minime ineptiarum affectans, easque pro doctrina habens edocet, licet interpolatum et nunc agnoscamus.

IX. Idem, in Animadv. ad Paullinum Petrocor. p. 40.

Auctor parvæ Iliados, non spernendus inter priscos vates. Ed.

X. Ger. Jo. Vossius, de Histor. Lat. lib. III, Part. IV, cap. 11, p. 819.

Pindarus Thebanus inscribitur poeta quidam nominis

Digitized by Google

incerti, qui carmine heroicq panxit historiam belli Trojani. In codice Mspto anni 1390, qui est Patavii apud amicissimum Felicem Osium, inscribitur *Pindarus Thebanus de destructione Trojæ*. Primus eum edidit Laurentius Abstemius cum Maphæi Vegii Astyanacte, ac quibusdam epigrammatibus. Exinde Haganoæ is, et postea Basileæ prodiit, etc.

XI. Petrus Bondam, Variar. Lect. lib. II, c. 4, p. 139 seqq.

Quis fuerit, quandoque vixerit Pseudo-Pindarus hicce, haud facile dixerim. Romanum fuisse haud inepte cum Barthio, Advers. lib. LIX, c. 15, p. 2809, quis conjiceret ex versu 907, ubi, *nisi Æneam*, inquit, *servasset magnarum rector aquarum, Non claræ gentis* nobis *mansisset origo*. Poetam non ita recentem recte arbitratur Lindenbrogius in Observ. ad Stat. pag. 507, A. Ejus enim Epitomen legit suo jam tempore Lutatius, seu quisquis ille sit, Auctor scholiorum in Statium, ut patet ex iis, quæ adnotavit ad Theb. VI, 120.... Atque hinc recte *Auctor antiquus, et ingenio satis bono* vocatur Barthio, Advers. lib. XX, cap. 12, p. 984, quin et *ingeniosus et eruditus sic satis* eidem in not. ad Aviani Fab. XI, 5. Alia ejusdem de Nostro testimonia dabit summus Fabricius, Bibl. Lat. vol. I, p. 72.... Hæc ut ut sint, nonnumquam sane sic satis feliciter veteres sibi poetas imitandos proposuit Noster, Ovidium inprimis, ex cujus carminibus integra sæpe numero desumpsit hemistichia, etc.

Digitized by Google

XIV.

INCERTI AUCTORIS

(VULGO PINDARI THEBANI)

EPITOME ILIADOS HOMERI.

IRAM pande mihi Pelidæ, Diva, superbi,
Tristia quæ miseris injecit funera Graiis,
Atque animas fortes heroum tradidit Orco,
Latrantumque dedit rostris volucrumque trahendos
Illorum exsangues inhumatis ossibus artus.
Confiebat enim summi sententia regis,

2. *Injecit funera.* Antiquiores dicunt *immittere* vel *dare funera.* Virg. Æn. X, 13 : « Quum fera Carthago Romanis arcibus olim Exitium magnum atque Alpes immittet apertas » ; Val. Flaccus, III, 681, « nec enim solis dare funera Colchis Sit satis ». — Plautus tamen *objicere funera* dixit, Amphitr. I, 1, 35 : « Qui multa Thebano populo objecit funera ». Ed.

4. *Volucrumque trahendos.* P. Bondamius, Var. Lect. II, 4, observat auctorem in his imitatum esse Ovid. Ib. 171 : « Unguibus et rostro tardus trahet ilia vultur, Et scindent avidæ perfida corda canes ».

5. *Exsangues inhumatis ossibus.* Virgil. Æn. XI, 22 : « socios inhumataque corpora terræ Mandemus ». Ovid. Her. XI, 123 : « Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ ».

6. Omnia quidem scripta et impressa exemplaria habent *Confiebat enim*, sed mendum inesse dubio caret, quum sensus perfectus non insit verbis, nec appareat, quid confecerit Jovis sententia. Animadvertit Barthius, Adv. LVIII, 14, et vitium in τῷ *enim* latere credidit, sed nihil mutare ausus est, ope codicum destitutus. Felici autem conjectura emendavit Jo. *van der Dussen* in Prodr. novæ Pind. Theb. ed. pag. 2 : *Confiebat enim*, quam ejus emendationem ipse sequor. Libra-

Digitized by Google

Ex quo contulerant discordi pectore pugnas
Sceptriger Atrides, et bello clarus Achilles.
Quis Deus hos ira tristi contendere jussit?
Latonæ et magni proles Jovis. Ille Pelasgum
Infestus regi pestem in præcordia misit,
Implicuitque gravi Danaorum corpora morbo.
Nam quondam Chryses solenni tempora vitta
Implicitus, raptæ flevit solatia natæ,
Invisosque dies invisaque tempora noctis
Egit, et assiduis implevit questibus auras.

rii aliis in locis verba *confieri* et *conficere* sæpe commutarunt. Verbum *confiebat* id græcum Homeri Διὸς δ' ἐτελείετο βουλὴ optime exprimit, et similiter eo verbo utitur Virg. Æneid. IV, 116: « nunc qua ratione, quod instat, Confieri possit, paucis, adverte, docebo ». Quo et Lucretius, III, 413: « Id quoque enim sine pernicie confiet eorum »; idem, IV, 292, « quoniam res confit utroque ».

7. Cod. Guelf. 1 legit *Pertulerant ex quo discordia pectora pugnas*; Guelf. 2 *Ex quo pertulerant*. Sed sine dubio rectius est, quod cæteræ habent *Ex quo contulerant pugnas*. Sic Virg. Æn. X, 146: « Illi inter sese duri certamina belli Contulerant ».

9. Guelf. 1 et 2 legunt *Quis Deus hos ira tristi*, quod merito præfero cæterorum lectioni *fato tristi*. Nam si fatum hic nominare auctor voluit, non quærere debuit *quis Deus*. Supra enim jam *sententiam Jovis* dixit, quæ ipsum fatum est. Atque illud verba Homeri poscunt ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι.

10. *Ille Pelasgum* præferunt G. 1 et 2, *iste Pelasgum* Lipsiensis antiqua et Basil. Torini.

11. *Infestam regi* G. 1. *Infestam regis* Annab. Tor. et cæt. sed legendum omnino est, quod Dussenius l. c. p. 4 bene vidit, *Infestus regi pestem in præcordia misit*. Hoc enim volunt verba Homeri, vs. 9, ὃ γὰρ βασιλῆϊ χολωθείς, et ipse auctor infra, v. 55, confirmat: « Hæc ait: Infesti placemus numina Phœbi ». Juvat etiam Guelf. 1, qui dativum *regi* ponit. — *Pestem in præcordia misit*: nempe iram, quæ ipsis esset pestifera. Sic apud Ovid. Metam. VIII, 791, Ceres de fame Erisichtoni immissa: « ea se in præcordia condat Sacrilegi scelerata jube ».

12. *Implicuit morbo*. Sane inelegante dictum, et magis offendit quod fere statim vs. 14 recurrit *implicitus*. ED.

13. *Solenni tempora vitta Implicitus*. Vittam nominat insigne sacerdotii capiti innexum, quo solenniter utendum erat in sacrificiis et ministeriis Apollinis, sicut Cereris sacerdos apud Ovid. Met. V, 110, dicitur « albenti velatus tempora vitta ». Hinc apparet mendosum esse quod G. 1 scribit, *solenni tempore*.

15. *Invisosque dies invisaque*. G. 2 habet *Infestosque dies*, perperam. Dies noctesque conquestum esse

Digitized by Google

Postquam nulla dies animum mœrore levabat,
Nullaque lenibant patrios solatia fletus,
Castra petit Danaum, genibusque adfusus Atridæ,
Per Superos regnique decus miserabilis orat,
Ut sibi caussa suæ reddatur nata salutis:
Dona simul profert: vincuntur fletibus ejus
Myrmidones, reddique patri Chryseida censent.
Sed negat Atrides, Chrysenque excedere castris
Despecta pietate jubet: ferus ossibus imis
Hæret amor, spernitque preces damnosa libido.
Contemptus repetit Phœbeia templa sacerdos,
Squalidaque infestis mœrens secat unguibus ora,

Chrysen hoc loco significat auctor, Virgilium fortasse imitatus, qui de Orpheo, Georg. IV, v. 464: « Ipse cava solans ægrum testudine amorem, Te dulcis conjux, te solo in litore secum, Te veniente die, te decedente canebat ». Homerus tempus et perpetuitatem luctus non attigit, contra Chrysen in litore solum obambulantem facit; quod Virgilius expressit in Orpheo, Noster omisit. *Invisam* mœrentibus *lucem* vel *vitam* dicere solent poetæ et inprimis Virgilius, ut Æn. IV, 631, XII, 177.

17. *Postquam nulla dies.* Sequentes hos quinque versus Barthius, Advers. LVIII, 14, memorabili ingenio et judicio scriptos esse adfirmat, eorumque suavitatem admiratur. — *Levavit* habent vulgatæ, sed *levabat* G. 1 et 2, quod præfero propter sequens *lenibant*. In priore cod. recentior manus margini adposuit *Al. replevit*, quod ineptum est.

19. *Genibus profusus Atridis* G. 1.

21. *Ut sibi caussa suæ.* Apud Ovid. Met. VI, 499, Pandion de filia sua: « Per Superos oro.....Et mihi sollicitæ lenimen dulce senectæ Quamprimum (omnis erit nobis mora longa) remittas.

23. *Myrmidones.* Barthius l. cit. non satis circumspecte ab hoc auctore ait Myrmidones pro omnibus Græcis dici, quamquam Maro Danaos, Argivos, Pelasgos pro iisdem habet; hoc vero, quia novum, non posse placere; præterea Myrmidonum aliam rationem esse, qui nomine præferant originem gentis prorsus peculiarem, quam ad reliquas extendere, præferat speciem historiæ ignari.

26. *Hæret amor, spernitque:* sic G. 1 et 2. *Sprevitque* Ann. *Hæsit amor sprevitque* L. Tor. Cl. P. Bondamio videtur hoc expressum ex Ovidio, Heroid. IV, 70: « Acer in extremis ossibus hæsit amor », qui et Metam. III, 395, « Sed tamen hæret amor ». — *Damnosa libido* est ab Horatio, Epist. II, 1, 107.

27. *Contempto repetit* G. 2.

28. *Secat unguibus ora.* Bondamius hoc Ovidio deberi putat, Her. V, 72: « Et secui madidas ungue rigente genas »; idem *squalida ora*

Digitized by Google

Dilaceratque comas, annosaque pectora plangit.
Mox ubi depositi gemitus, lacrymæque quierunt,
Fatidici sacras compellat vocibus aras:
« Quid coluisse mihi tua numina, Delphice, prodest,
Aut castam vitam multos duxisse per annos?
Quidve juvat sacros posuisse altaribus ignes,
Si tuus externo jam spernor ab hoste sacerdos?
En hæc desertæ redduntur dona senectæ.

dixit Trist. IV, 2, 34. Infra, vs. 1012, « arat unguibus ora ».

29. *Annosaque tempora*, sic quidem omnes libri; recte tamen Burmannus ad Anthol. Lat. IV, 224 legendum putat *annosaque pectora*. Nam *tempora plangere* certe insolens est. Et sic Ovid. Metam. VI, 248, « laniataque pectora plangens », ubi male *tangens* in cod. Leid. et Amor. III, 9, 10: « Pectoraque infesta tundat aperta manu ». A librariis *tempora* et *pectora* sæpissime confundi notavit Burmannus ad Val. Flacc. II, 324.

31. *Compellit vocibus* legit G. 2 vitiose. Præterea *Vatidicis vocibus* omnia exemplaria exhibent, non bene, quum et vatidicas dici preces Chrysæ non conveniat, et nomen certe Apollinis hic requiratur. Itaque cum Dussenio libentissime hic emendavi *Fatidici*, i. e. Apollinis. Solet Noster Deos suos solo munerum nomine designare, ut Jovem *regis*, Vulcanum *ignipotentis*, Minervam *armigeræ*. *Fatidici* autem nomen deberi Apollini, quod oracula edit, et futura prædivinando fatur, vulgatum est. Diserte sic Phœbum appellat Ovidius, Fast. II, 262, et V, 626. Et *auguris* nomen, quod Apollini Horatius, Carm. I, 2, 32, tribuit, eodem spectat. Porro pro *sacras aras*, quod vulgatæ habent, eodem Dussenio, quamvis verecundius, suadente, reponere malim *sacras aures*. Nam preces *ad aures sacras*, Principum vel Deorum, *ferre*, vulgaris formula est, sequiore præsertim latinitatis ævo. Vid. quæ notavimus ad Calpurn. I, vers. ult. et Apollini peculiariter tribuuntur aures precantibus faciles. Unde in precibus ad Apollinem fusis inprimis frequens est exclamatio, ut hic apud Homerum Κλῦθί μευ, ita apud Latinos *Audi Apollo*. Vid. Horat. Carm. Sæc. v. 34. Quin apud Lacedæmonios Apollinem dictum esse τετράωτον, ejusque simulacrum cum quatuor auribus fictum esse, adnotavit Gyraldus, Histor. Deor. Syntagm. VII, sub init.

36. Dussenius suadet *An hæc?* cum interrogatione legere, quod equidem non melius vulgato *En* existimo. Illud magis necessarium, ut pro vulgata editionum lectione *defectæ* legamus *desertæ senectæ*, quomodo præferunt codd. G. 1 et 2 et Ann. Nam hoc vocabulum fere proprium et usitatissimum senectutis est, et huic maxime loco aptum, ubi de amissione filiæ sermo.—Sic in Epitaph. Lucii, huj. op. t. II, p. 263: « Me desolatum, me desertum ac spoliatum Clamarem ». Vid. quæ notavimus ad hunc loc., et ad Petronii Bellum civile, vs. 286. Ed.

Digitized by Google

Si gratus tibi sum, sim te sub judice tutus,
Aut si quam ut luerem sub acerbo crimine pœnam
Inscius admisi, cur o tua dextera cessat?
Posce sacros arcus; in me tua dirige tela:
Auctor mortis eris certe Deus: ecce merentem
Fige patrem: cur nata luit peccata parentis,
Atque hostis duri patitur miseranda cubile?»
Dixerat. Ille sui vatis prece motus, acerbis
Luctibus infestat Danaos, pestemque per omnes

37. Guelf. 1 transponit *Si tibi sum gratus*. Dussenius pro *judice* mavult *vindice*, quod et mihi aptius et receptione dignum videretur, modo id aliqua auctoritate firmatum esset.

38. *Aut si quam ut.....pœnam* legunt editiones. *Aut si quid ut..... pœnas* cod. Guelf. uterque. Horum auctoritate ausim equidem scribere *Aut si quid, luerem ut sub acerbo crimine pœnas Inscius admisi;* neque tamen spreverim Dussenii correct. *Aut si qua, ut luerem*. Interim retineo lectionem vulgatam, quoniam et hæc habet, quo se tueri possit. Cæterum quæ auctor hoc et sequentibus tribus versibus scripsit, Barthius, Advers. LVIII, 14, perpulchra et meliore sæculo digna esse, et summam ingenii felicitatem arguere judicat. Verum et hoc apertum est, quod Bondamius et Dussenius jam observarunt, respexisse in iis et imitatum has Telluris in Phaethontæo incendio querelas ad Jovem, apud Ovid. Met. II, 279: « Si placet hoc meruique, quid o tua fulmina cessant, Summe Deum? liceat perituræ viribus ignis Igne perire tuo, clademque auctore levare ».

39. *Cur jam tua* legit G. 2; sed vulgata lectio *cur o tua* elegantior est, et defenditur imitatione Ovidiana.

40. *Posce sacros arcus*. Similis oratio Chorœbi ad Apollinem apud Stat. Theb. I, 651: « Quid meruere Argi? me me, Divum optime, solum Objecisse caput fatis præstabit »; et v. 658: « Proinde move pharetras, arcusque intende sonoros, Insignemque animam leto demitte ».

41. Pro *ecce merentem* Dussenius tentat *atque merentem*, ita ut *atque* idem valeat ac *statim;* indicetque promptam animi voluntatem. Mox hoc deserto substituit *hisce merentem*, scil. telis, quæ præcesserunt. Mihi lectio vulgata satis bona, et per τὸ *ecce* idem significari videtur, quod ille per *atque* vult.

43. *Patitur miseranda cubile*. Sic *pati hymenæos* Virg. Georg. III, 60; *pati concubitus* Ovidius, Art. Am. III, 766, *pati servitium*. Idem, Art. Am. III, 486. — Et Noster forte exprimere voluit Homerum, qui Iliad. XVIII, 433: καὶ ἔτλην ἀνέρος εὐνήν. Ed.

45. *Luctibus infestat Danaos*, i. e. vexat, desolatur. Sæpe etiam *infestare* pro *infestum facere* dicitur; Sil. Ital. II, 277: « Ductorem infestans odiis ». Ed.

Digitized by Google

Immittit populos : vulgus ruit undique Graium,
Vixque rogis superest tellus, vix ignibus arbor :
Deerat ager tumulis : jam noctis sidera nonæ
Transierant, decimusque dies patefecerat orbem ;
Tunc Danaum proceres in cœtum clarus Achilles
Convocat, et caussas hortatur pestis iniquæ
Edere Thestoridem. Tunc Calchas numina Divum
Consulit, et caussas pariter finemque malorum
Invenit, effarique verens, ope tutus Achillis
Hæc ait : « Infesti placemus numina Phœbi,
Reddamusque pio castam Chryseida patri,
Si volumus Danai portus intrare salutis ».
Dixerat, exarsit subito violentia regis.

46. *Vulgus ruit undique*, hoc est, cadit, occumbit moriens ; ut Seneca, Œdipi v. 53 : « sed omnis ætas pariter et sexus ruit ». Poeticam et argutam esse hanc descriptionem stragis fatetur Barthius l. c. Sed deberi eam Ovidio Bondamius et Dussenius, cum eodem Barthio, agnoscunt. Sic enim Ovid. Metam. VII, 611 : « Qui lacryment, desunt, indefletæque vagantur Natarum matrumque animæ, juvenesque senesque. Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes ». Addi potest Manilius, de pestilentia Attica loquens, lib. I, 883 seqq. et Seneca in Œdipo de strage Thebana, act. I, v. 37 seqq. qui et Ovidiano loco admodum similis est.

47. *Vix ignibus æther.* G. 1 et 2 habent *ignibus aer*, Ann. *ager ;* sed correctum *aer* vel *æther.* At mendum in his detexit Schraderus, Observ. lib. I, cap. 3, legendo *vix ignibus arbor*, quæ emendatio cum Nasonis verbis *nec sufficit arbor in ignes* manifeste confirmatur, tum etiam ab Anton. *de Rooy*, Spicileg. Crit. cap. 16, p. 96, unice probata, et pluribus poetarum locis corroborata est. E quibus hic maxime locus Senecæ in Œd. v. 68, aptus verbis nostri auctoris est : « Pars quota in cineres abit ? Deest terra tumulis : jam rogos silvæ negant ».

49. *Patefecerat orbem.* Et hoc, monente Barthio, ex Ovidio habet, Metam. IX, 794 : « Postera lux radiis latum patefecerat orbem ».

51. *Caussas hortatur.* G. 1 scribit *casus hortatur*, sed in margine legitur *causas*.

52. *Thestoriden* G. 1. *Tum Calchas* G. 2. *Thestoridam, tunc Calchas* A. *Testoridem* T.

54. *Invenit farique verens* G. 1. *Effari verens* A.

57. *Portus intrare salutis.* Ad hæc verba Barthius : De sæculi est inquinatione quadam, quod portum salutis intrare pro pestilentia liberari dixit, quo loco sane aliter scripsisset majorum gentium aliquis vates. « Ego vero, an apte satis eam

Digitized by Google

Thestoridem dictis primum compellat amaris,
Mendacemque vocat, magnumque incusat Achillem,
Inque vicem ducis invicti convicia suffert.
Confremuere omnes: tandem clamore represso
Cogitur invitos æger dimittere amores,
Intactamque pio reddit Chryseida patri,
Multaque dona super: quam cunctis notus Ulysses
Impositam puppi patrias devexit ad arces,
Atque iterum ad classes Danaum sua vela retorsit.
Protinus infesti placantur numina Phœbi,

phrasin adhibuerit auctor, de eo non disceptabo, phrasis ipsa defendi potest. *Intrare portum* satis bonum et usitatum esse, nemo negaverit, et Virgilius Ovidiusque usurparunt. Et *portus salutis* ab eodem Ovidio est, qui Rem. amoris, v. 610: « Inque suæ portu pæne salutis erat ».

59. *Primum compellat.* G. 2 habet *primo compellit.*

60. *Magnumque incusat:* sic vulgatæ. G. 1 melius *te magnum incusat Achillem.*

61. *Convicia suffert.* Conferantur infra v. 104 et 537.

62. *Confremuere omnes.* Cl. Bondamius observat esse hoc hemistichium Ovidii, Met. I, 199.

63. *Invitus* legit G. 2, et A. e correctione: sed *invitos amores*, quod vulgatæ habent, rectum, quia Chryseis invita erat apud Agamemnonem, et hic dicitur eam *æger* dimittere. Propert. III, 20, 30: « Atridæ magno quum stetit alter amor ».

65. *Multaque dona super.* Pro *super* in Basileensis vel Torini margine scribitur *simul*, et G. 2 exhibet *Meritaque dona simul.* Dussenius probat τὸ *simul*, quippe Nostro et aliis poetis familiare. Nam supra, v. 22, *Dona simul profert* dixit, et Ovid. Met. XI, 136: « Bacchus peccasse fatentem Restituit, factique simul data munera solvit ». Sed hoc Ovidii versu meum exemplar legit « pactamque fidem, data munera, solvit ». Neque rationes sat graves esse videntur, quæ τὸ *simul* præferendum suadeant. — *Cunctis notus Ulysses.* At Dussenius mavult *furtis notus*, ingeniose hoc quidem, quod propter furta multum Ulysses a poetis celebratur, et a Nostro etiam *fraudis commentor* dicitur. Sed mutare vulgatum nondum audeo. In græco πολύμητις dicitur Ulysses. Hoc vocabulum auctor Epitomes intellexisse videtur, quasi esset πολύμυθος vel πολύμνητος, de eo, qui multorum in ore est, vel de quo multæ narrantur fabulæ, quod adeo interpretari potuit *cunctis notus.*

66. *Devexit ad arces.* G. 1 *ad horas*, i. e. *oras*, melius, quia de maritimo itinere sermo est. Ed.

67. *Sua vela retorsit.* Ovid. Trist. I, 1, 84: « Semper ab Euboicis vela retorquet aquis ».

Digitized by Google

Et prope consumptæ vires redduntur Achivis.
Non tamen Atridæ Chryseidis excidit ardor:
Mœret, et amissos deceptus luget amores.
Mox rapta magnum Briseide privat Achillem,
Solaturque suos alienis ignibus ignes.
At ferus Æacides nudato protinus ense
Tendit in Atriden, cui, ni sibi reddat honestæ
Munera militiæ, letum crudele minatur.
Nec minus ille parat contra defendere sese,
Et nisi casta manu Pallas tenuisset Achillem,
Turpem cæcus amor famam liquisset in ævum
Gentibus Argolicis: contentus voce minisque,

69. *Et prope consumptæ.* Hunc versum in contextu omittit G. 1, sed in margine notatur, hunc in aliis exemplaribus addi.

70. *Non tamen Atridi* G. 1.

73. *Ignibus ignes*, ut Ovid. Trist. IV, 3, 65, « compescuit ignibus ignes ». Pari sententia Val. Flaccus, II, 151, ex emendatione Heinsii: « Attamen hos aliis forsan solabere casus Tu thalamis ». Quintilianus, Declam. II, 3: « Hoc juveni fuit consilium, ut pater, cui matrimonium filiumque abstulerat incendium, residua senectutis alia solaretur uxore ».

75. *Et ni sibi reddat:* sic Basil. *quod ni sibi* G. 1. *qui ni sibi* A. et L. et hoc postremum prætuli. — Sed ego et hanc lectionem in melius immutavi, et scripsi, *cui*. Ed.

76. *Munera militiæ.* Rectius *præmia* dixisset: nam intelligit Briseidem, quæ in præmium belli, quasi præda et spolium, cesserat Achilli.

78. *Et nisi casta manu.* Auctor Epitomes ordinem et narrationem rerum paullum mutat ab Homero observatam. Homerus Achillem narrat ensem voluisse stringere in Agamemnonem, et a Minerva cohibitum esse, antequam Briseis Achilli auferretur. Noster de ea contentione, quasi post ablatam Briseidem facta, loquitur.

79. *Turpem cæcus amor famam.* Non hoc ad mentem Homeri, et ad mores priscorum heroum dictum videtur qui sibi minime turpe putarunt furore amoris propter puellam in arma agi. Sed videtur rationem ejus dicti e verbis Achillis, v. 298, petiisse, quibus adfirmat, scilicet monitus a Pallade, se quidem caussa puellæ non pugnaturum manibus: Χερσὶ μὲν οὔτι ἔγωγε μαχήσομαι εἵνεκα κούρης.

80. *Gentibus Argolicis.* G. 2 *Fontibus Argolicis*, mendose. — Vulgatæ edd. Bas. et Spond. legunt *contempta voce;* cod. A. et ed. L. habet *contemptus* nempe Achilles. Unde lego *contentus voce minisque*, h. e. Achilles contentus voce, conviciis et minis decertasse cum Agamemnone, non manibus et ferro (hoc enim ei præceperat Minerva), ultionem injuriæ sibi illatæ petit a matre.

Digitized by Google

Invocat æquoreæ Pelides numina matris,
Ne se plus contra Atridem patiatur inultum.
At Thetis, audita nati prece, deserit undas,
Castraque Myrmidonum prætervolat, inde per auras
Emicat æthereas, et in aurea sidera fertur;
Tunc genibus regis sparsis affusa capillis:
« Pro nato veni genitrix en ad tua supplex
Numina, summe parens: ulciscere meque meumque
Corpus ab Atride: quod si permittitur illi,
Ut flammas impune mei violarit Achillis,
Turpiter occiderit superata libidine virtus ».
Jupiter huic contra: « Tristes depone querelas,

81. Pro *Invocat* G. 2 *Convocat*, mendose: *numina matris* G. 2 A. L. et Sp. reliqui *nomina*, minus recte.

82. *Ne se plus Thetis contra.* Sic omnes scripti et impressi; et tamen Thetidis nomen neque loco aptum, neque metro, propter syllabam correptam, est. Barth. Advers. p. 2753 adnotat ad hunc versum, *plus* sonare *amplius*, quomodo Plautus, Claudianus, Sidonius, Apuleius, alii habeant; de latente vitio nihil monet. Dussenius l. c. p. 14 varie medelam tentat, e cujus conjecturis hanc maxime probabilem arbitror; *Ne se plus contra Atriden patiatur inultum.* Cæterum judicat, sine ope codicum hæc sanatu perdifficilia esse. Olim jam sanare tentavit docti viri manus, quæ in antiquæ Lipsiensis exemplari, in bibliotheca ejus Academiæ servato, correxit: *Ne se diva Thetis.* Sed Thetidis nomen hoc loco importunum videtur, quia statim recurrit versu seq.

86. *Sparsis affusa capillis.* G. 2 et ed. L. *effusa* habent. Hic plane imitatus est Noster Ovidium, de Cerere, Jovi pro filia Proserpina supplicante, loquentem Met. V, 513: «Ante Jovem passis stetit invidiosa capillis, Proque meo venio supplex tibi, Jupiter, inquit, Sanguine, proque tuo.

87. *Genitrix en ad tua.* Suspicor pro *en* ponendum esse *ait.* Hoc enim, aut *inquit*, desiderat oratio, et Ovidius similiter fecit in loco, quem expressit Noster.

89. *Corpus ab Atrida* G. 2. Notante Barthio l. c. *corpus* suum Thetis dicit Achillem filium, atque hoc noviter dictum ab auctore, neque in aliis poetis facile reperiundum puto: nam *viscera*, *sanguinem* parentum liberos dici, vulgare est.

90. Pro *violaret*, quod in vulgatis est, G. 2 *violarit*, quod rectius puto.

91. *Turpiter occiderit.* G. 2 *Turpiter occidet*, perperam. Hanc sententiam auctor ex ingenio suo addit; apud Homerum talia non loquitur Thetis. Contra omittit ille, quod præcipue petebat Thetis a Jove, quodque sequens Junonis expostulatio respicit, ut Trojanos esse victores sineret tam diu, donec Græci

Digitized by Google

Magni Diva maris, mecum labor iste manebit:
Tu solare tuî mœrentia pectora nati ».
Dixit; at illa leves cæli delapsa per auras
Litus adit patrium gratasque sororibus undas.
Offensa est Juno, « Tantumque, ait, optime conjux,
Doride nata valet, tantum debetur Achilli,
Ut mihi, quæ conjux dicor tua, quæque sororis
Dulce fero nomen, dilectos fundere Achivos,
Et Troum renovare velis in prælia vires?

debitum filio suo honorem in melius mutati redderent.

92. *Jupiter huic dixit* legunt edd. L. T. et Sp. *hinc dixit* cod. A. sed G. 2, et Basil. in marg. *Jupiter huic contra*, quod elegantius et poetis valde usitatum est. Dussenius, p. 14, his locis probat: Ovid. Met. V, 30, « Ille nihil contra, sed et hunc, etc. » Phædr. I, fab. 1, 6: « laniger contra timens, Qui, quæso, possim facere, quod quereris, lupe? »

93. *Mecum labor ipse manebit.* G. 2 *labor ille:* h. e. hanc rem diligenter assidueque curabo. Homer. v. 523: ἐμοὶ δέ κε ταῦτα μελήσεται, ὄφρα τελέσσω. — Expressit Noster Virgilii Æneid. IV, 115: « Mecum erit iste labor »; et videtur simul respexisse verba Jovis ad Venerem apud Virg. Æn. I, 256: « Parce metu, Cytherea: manent immota tuorum Fata tibi »; aut quod Æolus ad Junonem, Æn. I, 76, « tuus, o regina, quid optes, Explorare labor, mihi jussa capessere fas est ». Contrarium verbis Nostri est illud Virgilii, Æn. II, 595: « quonam nostri tibi cura recessit ».

95. Quod Torini et Spondani editio habet, *et illa levis cæli*, Dussenius, p. 15, corrigendum censuit *illa leves.....per auras*. Verum hoc ipsum præferunt veteres libri. *Dixerat, illa leves* G. 2; *Dixit, at illa leves...dilapsa* A. et L.

97. *Tantumque, ait*, sane præferunt editi; sed G. 2 *Tantumne*, quod haud ineptum.

98. *Dorida nata* habet Basil. sed hunc errorem operarum esse, jam observavit *de Rooy* l. c. p. 96, qui *Doride nata* corrigit, idemque clare legitur in G. 1. *Nata valet Doride tantumque debetur* vitiose exhibent A. et L. Propertius ab Ant. *de Rooy* citatur, lib. I, 18, 25: « At vos æquoreæ formosa Doride natæ, Candida felici solvite vela choro ». Doride natæ sunt Oceanitides, ut vocantur Virgilio, Georg. IV, 341. Sic autem, inquit Barthius in Adv. p. 2753, inepte vocat per convicium Juno Thetidem, immemor, se quoque Oceani filiam esse, ex quo Iliade, lib. XXIII, scripsit Homerus: Ὠκεανόντε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τήθυν.

99. *Ut mihi, quæ conjux.* Similiter Juno apud Virg. Æn. I, 46: « Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque Et soror et conjux ». — Et eadem emphasi egregius poeta noster *Racine, Britann.* act. I, sc. 2, v. 29: « Moi, fille, femme, sœur et mère de vos maîtres ». Ed.

Digitized by Google

Hæc ita dona refers nobis? sic diligor a te? »
Talibus incusat dictis irata Tonantem,
Inque vicem summi patitur convicia regis.
Tandem interposito lis Ignipotente resedit,
Conciliumque simul genitor dimittit ab aula.
Interea sol immenso decedit Olympo,
Et dapibus largis curant sua corpora Divi,
Inde petunt thalamos jucundaque dona quietis.
II. Nox erat et toto fulgebant sidera cælo,
Humanumque genus requies Divumque tenebat;

102. *Hæc ita dona refers nobis? sic diligor.* Dussenius mavult *Hæccine dona refers nobis?* id est, talia dona. Hoc sane clarius et elegantius; vulgata lectio paullo durior. Ego tamen crediderim propius accedi ad scripturam vulgatæ, si legamus *Hæc tu dona refers nobis?* Cæterum forma hujus dicti plane expressa est ad orationem Veneris ad Jovem apud Virg. Æn. I, 253: « Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis? »

103. *Talibus incusat:* e Virgilio, Æn. I, 410.

105. *Interposito lis omnipotente* legitur in omnibus manu exaratis et excusis libris, et Barthius, Adv. LVIII, 14, adnotat *omnipotentem* κατ' ἐξοχὴν pulchre Jovem designare. Sed Dussenius l. c. p. 16, pulchre animadvertit *ignipotente* legendum esse, et Vulcanum intelligi. Hic enim intervenit Jovi et Junoni rixanti, et hortatu multisque poculis invitans parentes placavit, ad hilaritatemque convertit. Sic Hom. Iliad. I, 571: Τοῖσιν δ' Ἡφαιστος κλυτοτέχνης ἦρχ' ἀγορεύειν. Vulcanus autem a nostro auctore aliisque poetis vocatur *Ignipotens*. Infra, vs. 867: « Illic Ignipotens mundi cælaverat axem »; et Virgil. Æn. VIII, 414, « Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo »: addendum illud Æn. X, 243: « clypeum cape quem dedit ipse Invictum Ignipotens, etc. » Ed.

106. *Dimittit ab aula.* Pro hoc *ab aula* perperam *Olimpi* legit G. 1. Vox ea errore librarii in hunc versum e sequente migravit.

107. *Descendit Olympo* hic legunt vulgatæ, sed scriptus G. 1 et 2 melius *decedit Olympo*: nam hoc Virgilianum est Georg. I, 450: « emenso quum jam decedet Olympo ».

108. G. 1 et 2 *Et dapibus Divi... largis.* Virgil. Æn. III, 510: « passimque in litore sicco Corpora curamus ».

109. *Dona quietis.* Virg. Æn. II, 369: « quies...dono Divum gratissima serpit ». Ovid. Am. II, 9, 40: « et somnos præmia magna vocat ». Stat. Silv. V, 4, 2: « donis ut solus egerem, Somne, tuis ».

110. *Nox erat.* Breviorem hanc descriptionem noctis haurire potuit Noster e latioribus, quas habet Virgil. Æn. IV, 522 seqq. et VIII, 26 seq. — *Sidera mundo* legit G. 1.

Digitized by Google

Tunc pater omnipotens Somnum vocat, atque ita fatur:
«Vade, age, per tenues auras, lenissime Divum,
Argolicique ducis celeri pete castra volatu,
Dumque tuo premitur sopitus pondere dulci,
Hæc illi mandata refer: quum crastina primum
Extulerit Titana dies, noctemque fugarit,
Cogat in arma viros, incautumque occupet hostem».
Nec mora, Somnus abit, levibusque per aera pennis
Devolat in thalamos Agamemnonis: ille sopore
Corpus inundatum leni prostratus habebat.
Ad quem sic loquitur curarum operumque levator:
«Rex Danaum, Atrida, vigila, et mandata Tonantis,
Quæ tibi missa simul delapsus ab æthere porto,
Accipe: quum primum Titan emerserit undis,
Fortibus arma jube socios aptare lacertis,

112. *Ac ita fatur* Bas. et Sp. *atque ita fatur* G. 1 et 2.

113. *Vade, age.* Laudat hæc Barthius l. c. ut egregia et optimo poeta digna. Sed hic multa poetarum veterum loca habuit, quæ imitaretur, præsertim Ovidii de somnio Halcyonæ immisso, Met. XI, 586 seq. et, qui Ovidium imitatus est, Statii Theb. X, 84 seqq. —*Lenissime divum.* Ovid. Met. XI, 623, «placidissime, Somne, Deorum». Stat. Silv. V, 4, 1, «placidissime Divum», et Theb. X, 126, «mitissime Divum».

115. *Dumque tuo.* Versus hic omissus in G. 2, et positus post v. 123. —*Pondus* adscribit somno auctor, quod et alias poetæ *somno gravari, opprimi, succumbere* dicunt. Videnda. Virg. Æn. VI, 520; Ovid. Her. XII, 49.

118. *Cogat in arma viros.* Virg. Æn. IX, 463: «Turnus in arma viros armis circumdatus ipse, Suscitat, æratasque acies in prælia cogit».

121. *Corpus inundatum.* Barthius l. cit. pag. 2752 hic affectatiunculam, nescio quam, quæ dedeceat optimos numeros hoc loco, deprehendit. Ego perelegans esse puto τὸ *inundatum*, factumque ad eum morem poetarum, quo alias *irrigare somnum*, et *soporem irriguum* dicunt. Vid. Virg. Æn. III, 511; Lucret. IV, 906; Claudian. præf. ad VI Cons. Hon. v. 9.

122. *Curarum operumque levator.* Brevius eloquitur, quod Naso fusius Met. XI, 624: «Pax animi, quem cura fugit; qui corda diurnis Fessa ministeriis mulces, reparasque labori».

123. *Rex Danaum, Atrides* G. 1.

124. *Quæ tibi jussa* G. 1.

125. *Titan se emerserit* G. 2: *undas* A.

126. *Aptare lacertis.* Ovid. Am. I,

Digitized by Google

Et petere Iliacos instructo milite campos ».
Dixit, et has repetit, per quas modo venerat, auras.
Interea lucem terris dedit ignea lampas;
Convocat attonitus jussis Pelopeius heros
In cœtum proceres, remque omnibus ordine pandit.
Cuncti promittunt socias in prælia vires,
Hortanturque ducem : quorum rex fortia dictis
Pectora collaudat, grates agit omnibus æquas.
Hic tum Thersites, quo non deformior alter
Venerat ad Trojam, linguaque protervior alter,
Bella gerenda negat, patriasque hortatur ad oras
Vertere iter : quem consiliis illustris Ulysses
Correptum dictis sceptro percussit eburno.
Tunc vero ardescit conceptis litibus ira;
Vix telis caruere manus, ad sidera clamor
Tollitur, et cunctos pugnandi corripit ardor.
Tandem solertis prudentia Nestoris ævo

13, vs. 14 : « Miles et armiferas aptat ad arma manus ».

127. *Et petere Iliacos.* Repetit hunc versum auctor infra v. 159, quod sæpius facit ille Homeri ipsius, quem contrahit, exemplo.

128. *Repetit, per quas descenderat, auras.* Sic impressi ; at rectius G. 1 et 2 *per quas modo venerat, auras :* atque hæc manifesta est imitatio Ovidii, qui de Iride a Somno revertente, Met. XI, 632 : « remeat, per quos modo venerat, arcus ».

130. *Attonitus jussis.* A. et L. *attonitos.*

131. *Remque omnibus ordine pandit.* Virg. Æn. III, 179.

135. *Hinc tum* A. *quo nec deformior* G. 1.

136. *Venerat.* Hic versus deest in Annabergensi.

137. *Patrias hortatur* vulgatæ : *patriasque* G. 2. Dussenius, pag. 18, mavult *ad arces* legere, et provocat ad vers. 66, ubi tamen scriptos meliores habere *oras* notavimus.

138. *Consiliis illustris Ulysses.* Laudat hoc Barthius l. c. p. 2754, et pulchre non unum Homeri epitheton exprimere ait, quale est πολύμητις et πολυμήχανος, δῖος.

140. *Tum vero* G. 1. — *Ardescit ira ;* sequitur Virgilium, Æn. IX, 66 : « Ignescunt iræ, duris dolor ossibus hæret ».

142. *Pugnandi corripit ardor.* G. 2 *suscipit ardor ;* unde forte efficias *suscitat*, quo utitur Virg. Æn. V, 454 : « Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira ».

143. *Tandem solertis.* G. 1 *solerti.* — *Prudentia Nestoris ævo*, i. e. Nestor ævo et experientia prudens. Per abstracta sæpe solet Noster heroas

Digitized by Google

Compressam miti sedavit pectore turbam,
Admonuitque duces dictis, responsa recordans
Temporis illius, quo visus in Aulide serpens
Consumpsit volucrum bis quatuor arbore fetus,
Atque ipsam invalido pugnantem pectore contra
Addidit extremo natorum funere matrem.
Infit deinde senex: « Maneo, remaneteque, Achivi,
In decimo labor est, quem Calchas dixerat, anno,
Quo caderet Danaum victricibus Ilion armis ».

suos signare, exemplo Homeri et aliorum: quale est alio loco *Nestoris ætas*, pro ipso Nestore, *Menelai ardor, Ithaci solertia*, et *virtus Catonis* apud Horatium.

144. *Compressam miti sedavit.* Fortasse petitum est ex his Virgilii Georg. IV, 86: « Hi motus animorum atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent ». Et *sedato pectore* dicit Virg. Æn. IX, 740.

145. *Responsa recordans Temporis illius.* Cl. Bondamius, pag. 144, effictum putat ex his Ovid. Met. 280: « quanto cogor meminisse dolore Temporis illius, quo Graium murus Achilles Procubuit ».

147. *Consumpsit volucrum.* Vix dubium est, auctorem hic respexisse Ovidium, Met. XII, 15: « Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summa, Quas simul et matrem circum sua damna volantem Corripuit serpens ». Dussenius, p. 18, ex his conjicit, auctorem scripsisse « volucrum bis quatuor arbore nidum », vel *nidos;* et pullos aviumque fetus a poetis aliisque scriptoribus egregie *nidos* vocari monet. Hoc etsi verum est, propterea tamen apud Nostrum *nidos* pro *fetus* legere non necesse, nec probabile est. Nam *nidum* a forma vocis *fetus*, quam omnes codices servant, nimium aberrat, et auctor etiamsi respexit Ovidium, noluit tamen plane exscribere. G. 2 habet *bis quatuor in arbore.*

148. Vulgatæ omnes habent *Atque ipsam valido.* Dussenius, p. 20, sensit scribendum esse *invalido*, idque ipsum confirmatum vidi codice G. 1, qui præfert « Atque ipsam invalido pugnantem corpore contra ». — *Pectore* et *corpore* sæpe multumque commutari a librariis novimus; hoc loco tamen quid melius sit, difficile est adfirmare.

150. Vulgatæ habent *Inquit deinde;* quod ineptum putans, e codice G. 1 *Infit* reposui. In reliquis verbis multum variatur. G. 1 habet *Infit deinde senex, moneo remoneboque Achivi.* G. 2 *Tum sic inde senex, moneo removete Achivi.* Ann. et Lips. *moneo remaneteque Achivi.* Torini et Spondani edd. exhibent *maneo, remaneteque Achivi:* quam lectionem optimam puto, et ex Homero confirmatam, Iliad. II, 331, ubi Ulysses monet: Ἀλλ' ἄγε, μίμνετε πάντες ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοί. Scilicet apud Homerum Ulyssis oratio est, quam Noster Nestori tribuit.

151. *In decimo labor est*, h. e. in

Digitized by Google

Adsensere omnes, laudatur Nestoris ætas:
Conciliumque simul dimittitur; arma parari
Dux jubet, atque animos aptari et pectora pugnæ.
Postera lux tacitas ut primum depulit umbras,
Et nitidum Titan radiis caput extulit undis,
Protinus armari socios jubet acer Atrides,
Et petere Iliacos instructo milite campos.
Vos mihi nunc, Musæ, quid enim non ordine nostis?
Nomina clara ducum clarosque referte parentes,
Et dulces patrias: nam sunt hæc munera vestra.
Dicamus, quot quisque rates ad Pergama duxit,
Et cœptum peragamus opus, sitque auctor Apollo,
Adspiretque libens operi per singula nostro.
Peneleus princeps, et bello Leitus acer,

decimo demum anno nobis prædictus et constitutus labor est, quo Ilion capiamus. Fere tamen malim legere *In decimum* annum usque *labor*, i. e. laborandum nobis *est*. Vult enim in eum annum retardatum iri bellum, donec Ilion capiatur. Sic loqui solet Virgilius, ut Æn. IX, 155, « decimum quos distulit Hector in annum »; et XI, 289: « Hectoris Æneæque manu victoria Graium Hæsit, et in decimum vestigia rettulit annum ».

153. *Nestoris ætas*, i. e. senilis prudentia, vel Nestor senex.

155. *Rex jubet* G. 2; idem *aptare*. Virg. Æn. X, 258: « sociis edicit, signa sequantur, Atque animos aptent armis: pugnæque parent se ».

156. *Tacitas ubi primum* G. 2.

157. *Et nitidus Titan radiis patefecerat orbem*. Sic legunt edd. cum cod. A. qualis versus jam adfuit 49. Prætuli autem, quem MS. G. 1 et 2 offerunt: « Et nitidum Titan radiis caput extulit undis ».

159. *Et petere*. Repetitur versus 127. In G. 2 abest hic, et ponitur post 167, absurde.

160. *Quid enim non ordine nostis?* Similiter Maro, Æn. VII, 645, et IX, 529, « Et meministis enim, Divæ, et memorare potestis ».

165. *Adspiretque libens operi*. Virg. Æn. IX, 525: « Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti ». Ovid. Met. I, 3: « Di cœptis... adspirate meis ». — Cæterum fere solennis omnibus ab Homero poetis epicis hæc exercituum enumeratio. Adeundus inprimis illius felix imitator et æmulus, Virg. Æn. VII, 641; et inter recentiores, *Torquato Tasso, Gerus. lib. c. I, st.* 36. Ed.

166. *Peneleus princeps, bello Laertius acer*: sic exhibent vulgatæ. Sed G. 1 *et bello Lertius acer*, ex quo legendum est *Leitus acer*, quia ab Homero Bœotiæ versu 1 Πηνέλεως καὶ Λήϊτος junguntur. Ex hoc nomine librarii notiorem *Laertium*, i. e. Ulyssem perperam fecerunt.

Digitized by Google

Arcesilaus atrox, Prothoenorque, Cloniusque
Bœotas decies quinas duxere carinas,
Et tumidos valido pulsarunt remige fluctus.
Inde Mycenæis Agamemnon finibus ortus,
Quem sibi delegit bellatrix Græcia regem,
Centum egit plenas armato milite puppes:
Et bis tricenis Menelai navibus ardor
Insequitur, totidemque ferox Agapenoris ira.
Quos juxta fidus solerti pectore Nestor,
Consilioque potens, gemina cum prole suorum
It ter tricenis munitus in arma carinis.
At Schedius virtute potens et Epistrophus ingens,
Gloria Myrmidonum, sævi duo robora belli,
Longa quater denis pulsarunt æquora proris.
At bis vicenas Polypœtes atque Leonteus

167. *Arcesilaus atrox*, etc. Sic scribenda nomina secundum Homerum, atque e vestigiis corruptæ codicum scripturæ. Vulgata habent *Arcesilaus atrox*, *Clonius dux*, *atque Protenor*. Guelf. 1: *Archesilaus atrox*, *Protenorque Clonius atque*; et in margine *Protenor Colono usque*. G. 2: *Protenorque Didonius atque*.

168. *Boetes decies* habent libri, sed ex Homero, Iliad. II, 510, legendum *Bœotas* vel *Bœotum*. Pro vulgato *quinas duxere* G. 1 et 2 *egere* habent.

170. *Finibus ortus*. G. 2, A. et L. *mœnibus*.

173. *Et bis ter denis* A. et L. — *Menelai ardor*, id est, ardens Menelaus.

176. *Gemina cum prole suorum*. Quod Nestorem cum duobus filiis advenisse scribit, id non ex Homero habet, sed forte a Dictye Cret. qui lib. I, cap. 13: « Nestor cum Antilocho et Thrasymede, quos ex Anaxibia susceperat, supervenit ».

177. *It cum ter denis munitus* vitiose legit Ann. Bas. et Sp. *Est ter tricenis* G. 1. *It ter tricenis* G. 2, quod rectum est: nam Homerus, Iliad. II, 602, nonaginta naves ei tribuit.

178. *Ascadius virtute* vulgatæ eld. habent. *Ascedius... Epistropus* G. 1 et A. *Ascanius* G. 2, et *Episgrofus ingens* L. Hæc omnia vitiosa. Legendum ex Homero, II, 517, *At Schedius virtute potens et Epistrophus*.

180. *Grandia ter denis pulsarunt* Ann. et vulg. habent. Sed *Longaque ter denis* G. 1; unde lego *Longa quater denis*. Nam Homerus l. c. quadraginta naves ponit. Ab hoc versu deficit cod. Guelf. 1 usque ad vers. 628.

181. Vulgatæ legunt *At bis vigenas Polybetes atque Leontes*. G. 2 *bis vicenas*. L. *atque Levittes*. A. *Lenotes*. Sed *Polypœtes atque Leonteus*

Digitized by Google

Instruxere rates ornatas milite forti.
Euryalus, Sthenelusque ferox, et fortis in armis
Tydides, valido pulsarunt remige pontum,
Bisque quadragenas onerarunt milite puppes:
Ascalaphusque potens, et Ialmenus acer, uterque
Ter denas valido complerunt milite naves.
At bis vicenas equitum fortissimus Ajax
Instruxit puppes, totidemque Evæmone natus;
Quos juxta Graium ductor comitatur Achilles,

legendum esse patet ex Homeri Iliad. II, 740 et 745. Idque jam monstravit Bondamius, Specim. Animadv. cap. 13, p. 73, et Adr. *van Dorp*, Observat. c. 14, p. 133.

182. *Ornatas milite* est in vulgatis. *Armatas, ornatas, oneratas* una exhibet G. 2.

183. *Eurypylus* vel *Euripelus, Euripolus, Sthenelusque* constanter legunt scripti et impressi quos vidi. *Sthenelusque duces* G. 2. *Stenedusque* A. Vix tamen dubium est, quod cl. Bondamius, Specim. Animadv. p. 73, et Var. Lect. p. 146, probavit, pro *Eurypylus* ponendum esse *Euryalus*, quem ipsum Homerus, Iliad. II, 565, cum *Sthenelo* et Diomede conjungit. Et Dares Phryg. cap. 14: « Diomedes, Euryalus, Sthenelus ex Argis », navibus LXXX. Eurypylum contra, quem Homerus, v. 736, in ducibus Græcorum cum quadraginta navibus numerat, sed poetaster noster non nominasse videtur, Bondamius v. 189 adductum putat, quod ipsi ad eum versum notabimus.

184. *Remige fluctus* G. 2.

185. *Hi quadragenas* A. et L. sed Homerus octoginta naves iis tribuit; unde *bis* necesse est.

186. *Et Ialmenus*: sic rescripsimus ex Homero, Iliad. II, 512, qui hunc Ascalapho apponit. A. et vulgatæ habent *et Telamus*. G. 2 *potens Tolmenus*.

187. *Complerunt remige naves* G. 2.

188. *Bis vicenas fortes fortissimus* G. 2; sane perperam.

189. *Totidemque Abantore natus* habent edd. L. et Tor. Sed Abantoris filium nullum in catalogo Homeri invenio. Cl. Bondamius, Var. lect. p. 146, Eurypylum, quem ab Homero inter duces nominatum apud Nostrum non invenit, hoc versu indicatum putat, ideoque sic scriptum esse conjicit: « Instruxit puppes, totidemque Evæmone natus ». Nam Eurypylus ab Homero v. 736 vocatur Εὐαίμονος ἀγλαὸς υἱὸς, et dicitur eumdem navium 40 numerum duxisse. Evæmonis et Opis filius vocatur etiam Hygino, fab. 94. Neque vero alium in toto catalogo reperio, qui aptius potuerit hoc loco memorari: et ad ejus nominis similitudem quodammodo accedit scriptura codicis Guelf. 2, qui *totidemque inthenore, enthenore, anthenore* conjunctim exhibet: et cod. A. habet *ex tenore*.

190. *Graium ductor* præcipuum bello, supremum fortitudine explicat Barthius, Advers. p. 2754. Sed

Digitized by Google

Cum quinquaginta materna per æquora vectus.
Thessalici juvenes Phidippus et Antiphus ibant,
Altaque ter denis sulcarunt æquora proris:
Et tribus adsumptis ratibus secat æquora Nireus,
Tlepolemusque novem Rhodius, quos viribus acer
Eumelus sequitur, minus una nave profectus.

G. 2 legit *Graium durus comitator Ach.* A. *durus comitatur.*

192. *Phidippus et Antiphus* scripsi ex Homeri Iliad. II, 678, quum vulgatæ haberent *Pedippus et Antipus.*

193. *Pulsarunt æquora* G. 2.

194. *Ratibus secat æquora Teucer:* sic vulgati et scripti. Sed doctiss. Bondamius, Var. Lect. p. 147, contendit, in Teucri locum substituendum esse *Nireum*, quem Homerus, II, 671, tres tantum naves adduxisse narrat, et Noster, nisi hoc loco nominaverit, plane omisisse censendus est. Sententiam suam his præterea rationibus fulcit, quod non solum Homerus in catalogo suo Teucri hujus nuspiam meminit, sed fratrem ejus Ajacem Telamonium duodecim naves ad Trojam duxisse narrat, quocum et Noster convenit versu 204; sed et alii scriptores, ut Dictys, lib. I, cap. 13 et 17 Ajacem ductorem navium faciunt, Teucrum fratrem ejus comitem et socium fuisse aiunt. Clare Dares Phryg. c. 14: «Ajax Telamonius ex Salamine adduxit secum Teucrum fratrem». Hyginus quidem, fab. 97, Ajacem Telam. naves XII, et Teucrum fratrem totidem adduxisse ait. Sed diversus ab hoc numerus navium est, quas Teucro apud Nostrum vulgata lectio tribuit: tres tantum naves duxisse dicitur; apud Homerum vero soli Nireo tres naves tribuuntur, et hic solus ab epitomatore siletur, nisi loco Teucri nominandus sit. Atque has rationes tanti esse video, ut sine tergiversatione scribendum putem: «Et tribus adsumptis ratibus secat æquora Nireus». Suspicor etiam τὸ *adsumptis* mendosum esse, et scribendum *Et tribus ex Syme ratibus.* Nam Dictys, I, 17: «Nireus ex Syme tres, Podarces et Protesilaus ex Phylaca naves XL».

195. Omnes quidem libri dederunt *Triptolemusque novem Rhodius*, et G. 2 habet *novem ratibus quos.* Sed *Tlepolemus* legendum esse, jam Barthius vidit l. c. p. 2754, quem Homerus II, 653, dicit ex Rhodo novem naves adduxisse. Dictys l. c. *Tlepolemus ex Rhodo aliisque insulis, quæ circa eam erant, octo navibus venit.* Dares Phryg. c. 14: «Tlepolemus ex Rhodo navibus numero novem».

196. *Eumeli* nomen, quod editi corruptissime *Emenelus, Emeneleus, En marelus*, et cod. A. *Eumarelus*, scribunt, hic reponendum esse Bondamius l. c. p. 149, suasit, Homero auctore, Iliad. II, 714, ubi Εὔμηλος Admeti filius undecim navibus ex Pheris præfuisse dicitur. Pheræ urbs Thessaliæ. Dictys l. c. «Eumelus XI Pheris». Unde Hyginus corrigendus videtur, qui scribit Eumelum ex Perrhæbia. Noster *minus una nave*, i. e. undecim *profe-*

Digitized by Google

[Quam duxit Telamone satus Salaminius Ajax.]
At Prothous Magnes, Tenthredone natus, et una
Eubœæ magnis Elephenor finibus ortus,
Dulichiusque Meges, animisque insignis et armis
Ætola de gente Thoas Andræmone natus,
Hi quadragenas omnes duxere carinas :
Et bis sex Ithaci naves solertia duxit,

ctum dicit, quia antecedentium naves, Nirei tres et Tlepolemi novem, connumerat.

197. Hunc versum ejiciendum censeo, et propterea uncinis includendum curavi. Merum est emblema ludi magistri, qui hunc poetastrum in schola explicabat. Qui quum non videret, quo referenda essent verba præcedentis versus *minus una nave*, et Eumelo sciret undecim naves tribui, subjungendum putavit ducem 12 navium, cujus respectu Eumelus, una minus nave profectus, intelligeretur undecim naves habuisse. Manifestum est, hujus rei declarandæ caussa versum 204 huc traductum esse, qui præterea absurde confictus in G. 2, et A. et ed. vet. Lips. apparet : *Quam duxit Telamone satus Telamonius Ajax.*

198. Libri excusi hic legunt *Ascropus, et magno Thestoride natus.* Guelf. 2 *Astropus, Astrophus, Astraphius* una exhibet. Cl. Bondamius, qui l. c. p. 149 hunc et sequentes versus emaculavit, quemque libens sequor, hic legendum censet ex Homeri Iliad. II, 756 : *At Prothous magno Tenthredone natus.* Sed quod vox *magno* et *magnis* duos versus occupavit, id jam Barthium offendit, et apud Homerum nullum tale elogium Tenthredonis legitur, ut a Nostro magnus appelletur. Propterea malui scribere *At Prothous Magnes.* Nam Homerus Prothoum Magnetum principem nominat, et Dictys in catalogo heroum qui Trojam obsederunt, lib. I, 17 : « Prothous, Magnes, XL naves ».

199. *Elephenor :* sic scribendum ex Homero, Il. II, 540. Vitiose in editis erat *Eubocca ac magnis Helpenor.* G. 2 *Euboias ac*, et Lips. *magnis Delphonor finibus.* A. *Delphenor.* Bondamius autem emendabat *Eubœæ ex magnis*, sed quia τὸ *ac* veterum librorum ex ultima syllaba vocis *Eubœæ* ortum videtur, non mutandum in *ex*, sed potius ejiciendum censui. Sic supra Noster, vs. 170 : *Mycenæis Agamemnon finibus ortus.* Barthius, Adv. p. 2754, quia Homerus Elpenora Abantum finibus ortum tradit, hunc versum satis audacter refingit : *Eubœa, Elpenorque e finibus ortus Abantum.* — Ovidio, Trist. III, memoratur idem fortasse Elpenor, unus ex Ulyssis comitibus, qui, quum in porcum a Circe mutatus esset, dein humanæ formæ restitutus ad Ulyssem incauto fugiendi studio properaret, ex edito loco decidens periit. ED.

201. Vulgatæ habent *Et clara de gente Thoas Andremone* vel *Andromene*, quod Bondamius recte emendat *Andræmone.* Ego præterea scribendum putavi *Ætola de gente*, ex Homeri II, 638 : et clare cod. G. 2 præfert : *Ethola de gente Thoas.*

Digitized by Google

Quam sequitur totidem ratibus Telamonius Ajax,
Egregia virtute potens : simul ordine Guneus
Ire bis undenis tentabat in arma carinis.
Idomeneus et Meriones, Cretæus uterque
Bis quadragenis muniti navibus ibant;
Et totidem puppes clara de gente Menestheus
Duxit Athenæus, quot viribus ambit Achilles:
Amphimachusque ferox et Thalpius, Elide nati,
Et clari virtute Polyxenus atque Diores,
Hi bis vicenas onerarunt milite naves:
Protesilaus agit totidem, fortisque Podarces
[Instructas puppes, quas duxit Oileus Ajax].

204. *Quam sequitur.* Hic versus omittitur in Lips. antiqua : quod inde factum esse arbitror, quod Ajacem Telamonium jam versu 197 memoratum videbat editor. Alterum eorum versuum ejiciendum videbat, sed, qui spurius quive genuinus esset, non intelligebat.

205. *Guneus* ex Cypho duas et viginti naves duxit. Homerus, II, 648. Adhuc editi habuerunt *simul ordine Phineus.* G. 2 *simul horrida Phineus.*

209. *Menestheus* ex Athenis quinquaginta naves duxit. Hom. II, 552. Dictys et Dares Mnestheum dicunt, et totidem naves ei tribuunt. Antiquæ editiones cum cod. A. habebant *clara de gente Menetes*, vel *Menetis.*

210. *Athenæus*, quia dux Atheniensium. G. 2 *Duxit Atheleus;* mendose. — *Quos viribus* habent edd. sed legendum *quot*, ut referatur ad præcedens *totidem.* Vult enim, Menestheum tot naves habuisse, quot Achilles ducebat, nempe quinquaginta ; vid. vers. 191. Cæterum pro *ambit Achilles*, legendum puto *addit viribus*, i. e. exercitui vel universæ classi. Post hunc versum cod. Annab. duos versus, eosdemque omnimode vitiosos, inserit : « In totidem ratibus armatus milite plenis Amphonias venerat, cum remis æquora pulsans ».

211. *Et Thalpius* reposui ex Hom. II, 620. Editiones veteres habebant *Alpinus et Elide nati.* Cod. Annab. *Amphimachusque ferox et Alpibus.*

212. Antiquæ edd. *Polixeus atque Diares.* Rectius G. 2 *Et clara virtute Polyxenus atque Diores.* Hos cum Amphimacho et Thalpio ex Elide conjungit Homerus, sicut et Dictys, I, 17.

214. *Podarces et Protesilaus* ex Phylaca, et aliis, quibus præerant, locis naves XL adduxerunt. Homerus, II, 704, et Dictys l. c. Veteres edd. vitiose *Podartes.*

215. *Instructas.* Et hic versus spurius esse videtur. Nam cur puppes Protesilai Oileus Ajax duxerit, qui jam adfuit versu 188? Sin forte pro *quas* legere velis *quot duxit*, tum quidem declarabit hic versus numerum navium Protesilai, qui tan-

Digitized by Google

At septem Pœante satus tulit arma carinis,
Quem sequitur juxta Podalirius atque Machaon,
Altaque ter denis sulcarunt æquora proris.
His ducibus Graiæ Trojana ad litora puppes
Bis septem venere minus, quam mille ducentæ.
Jamque citæ adpulerant classes, camposque tenebant,
Tunc pater ad Priamum misit Saturnius Irim,
Quæ doceat, fortes venisse ad bella Pelasgos.
Nec mora, continuo jussu capit arma parentis
Priamides Hector, totamque in prælia pubem
Festinare jubet, portisque agit agmen apertis.
Cui fulgens auro cassis juvenile tegebat
Omni parte caput, munibat pectora thorax,
Et lævam clypeus, dextram decoraverat hasta,
Ornabatque latus mucro, simul alta nitentes

tus fuit, quantus Ajacis, sed tamen superfluus erit Nam τὸ *totidem* versus 214 per se respicit ad *bis vicenas* præcedentis : et verba *Instructas puppes* repetita e versu 189 interpolatorem produnt. Cæterum G. 2 hic scribit *quas rexit Doricus Ajax;* Lips. *Eolus Ajax;* et A. *duxit Eolius.*

216. *At septem Pœante satus.* Sic legendum docuit Bondamius, Var. Lect. p. 146, i. e. Philoctetes, quem Homerus, II, 719, septem navibus præfuisse scribit. Et in hoc nomine multum variant libri. Bas. ed. *Vetonte satus.* G. 2 *Et septem Pheronte satus.* Lips. *Ac septem Blutone satus.* An. *Plutone satus.*

217. *Polidarius atque Mathaon* G. 2. *Polidonius atque Methaon* A. — Medici ambo erant, ambo Esculapio nati. Et Machaon memoratur Virg. Æn. II, 263. Ed.

218. *Altaque ter denis.* Idem versus supra 193. Amat Noster de eadem re eosdem vel similes versus facere, ipsius Homeri, quem compilat, exemplo.

220. *Quam mille ducentæ*, h. e. MCLXXXVI naves : numerus ipsius Homeri est. Observante Barthio l. c. Dictys numerum navium ad Trojam venientium ponit 1117, Dares 1148. Anna Daceria ex Dictye naves Græcorum numerat 1153, e Darete 1140; scholiasten Euripidis in Oreste ait numerare 1155, Cedrenum 1148, Thucydidem atque Chrysostomum 1200.

221. *Jamque citæ* G. 2. Vulgatæ *cito*, minus eleganter.

222. *Tum pater* G. 2.

224. *Petit arma* G. 2.

225. *Totamque in prælia pubem.* Virgil. Æn. VII, 429 : « armari pubem, portisque moveri Lætus in arma para ».

226. *Portis... agmen apertis.* Virg. Æn. XII, 121 : « pilataque plenis Agmina se fundunt portis ».

Digitized by Google

Crura tegunt ocreæ, quales decet Hectoris esse.
Hunc sequitur forma melior, non fortis in armis,
Belli caussa Paris, patriæ funesta ruina,
Deiphobusque, Helenusque simul, fortisque Polites,
Et sacer Æneas, Veneris certissima proles,
Archilochusque, Acamasque ferox, Antenore nati:
Nec non et proles generosa Lycaonis ibat
Pandarus, et magnæ virtutis Glaucus in armis,
Amphionque, Adrastus, et Asius, atque Pylæus.
Ibat et Amphimachus, Nastesque, insignis uterque,
Magnanimique duces Hodius et Epistrophus ingens,
Euphemusque ferox, clarusque ætate Pyræchmes,

231. *Quales decet Hectoris esse.* Formula Ovidiana, Met. II, 14: « facies non omnibus una, Non diversa tamen: qualem decet esse sororum ». Hunc et sequentes versus de Paride Barthius l. c. tamquam præclaros et graves et omnem rem necessariam breviter complexos laudandos censet.

234. *Fortisque Poletes* vulgatæ habent. Dorpius vero Observ. c. 14, p. 116, legendum arbitratur *Polites*, ut apud Homerum, II, 701: et ipsum hoc clare præfert G. 2.

235. *Gratissima proles* G. 2, quod fere malim.

236. *Acamasque.* Hom. II, 823; edd. vet. *Athamasque.*

238. *Glaucus in armis.* Hunc Homerus, II extr. cum Sarpedone Lyciorum duce conjungit, de quo Noster, infra v. 248.

239. *Amphiusque Adrastus* scribo ex Hom. II, 830; *et Asius*, ib. 838: idque agnoscere videtur antiqua Lips. cum A. *Adrastus Kasius atque* scribens: reliquæ editiones habent *Adrastus et Austius atque Phialtes*: quem *Phialten*, quia neque Homeri catalogus, neque Dictys Cretens. II, 35, habet, ejus loco *Pylæum* huc retuli; quem Homerus cum *Hippothoo* ex Larissa conjungit, II, 842, nec alio loco ab Nostro adductum vidi. Bondamius hunc et sequentes versus in Specim. Animadv. p. 77, se emendasse ait, Var. Lect. p. 150, quem tamen librum consulere non potui.

240. *Amphimachus Nastesque* de Caria, conjunguntur ab Homero, II, 870. Editi legunt *Amphimachus Mariusque.* A. *Maciusque.*

241. *Hodius et Epistrophus* filii Minoi Halizonum regis: sic Dictys, II, 35, et Homerus eosdem conjungit v. 856: editi habent *Rhodius et Epistrophus.*

242. Hunc et sequentes versus emendavit Bondamius l. c. p. 151, quem in plurimis sequor. *Euphemus* Ciconum dux, et *Pyræchmes* Pæonum, memorantur ab Homero, v. 846 et 848: et ad *Enphemi* nomen adludit scriptura vetustæ Lips. *Emphimusque ferox*, quum reliquæ corruptius legant *Euphoriusque*. A. *Eriphimusque.*

Digitized by Google

Cum quibus et Mesthles atque Antiphus, et bonus armis
Hippothus atque Acamas venere, et Pirous una,
Alcinoque sati, Chromiusque ac Ennomus, ambo
Florentes ætate viri, quos Phorcis et ingens
Ascanius sequitur, simul et Jovis inclyta proles
Sarpedon, claraque satus tellure Corœbus.
His se defendit ducibus Neptunia Troja,

243. *Et Mesthles atque Antiphus*, Mæonii. Hom. v. 864. Excusi habent *Cum quibus Enesteus ac Amphius;* sed scriptus G. 2 *Enesteus atque Antiphus*. A. et L. *Cum quibus Monostes ac Amphius*.

244. *Hippothus*. Aliter hunc versum legit cl. Bondamius: *Pirous atque Acamas venere, Pylæus et una*. Sed Hippothoum, quem Homerus inter præcipuos et proxime ante Acamanta nominat, non omisisse Noster, neque alio, quam hoc loco posuisse videtur, et confirmat scriptura codicis Guelf. 2: *Ippodomus atque Athamas una cum fortibus armis:* excusi vero habent *Ipothus atque Othamas*. Quoniam *Hippothous* metrum recusabat, suspicor auctorem contraxisse in *Hippothus*. Reliquo versu excusi habent *venere Pigerius una*, ex quo fingere malui *Pirous*, quam *Pylæus*, quia Piron vel Piroum Homerus cum Acamante conjungit v. 844, et *Pylæus* jam supra locum invenit.

245. *Alcinoque sati*. Vulgati habent *Ixioneque sati;* hi quinam sunt Bondamius ignorare se fatetur. Et certe mendosa hæc scriptura est, quam vulgati præferunt, neque tamen dubium est, patris nomen Chromii et Ennomi, qui post nominantur, in ea latere. Et ipse vir doctissimus ex Ausonii Epitaphiis her. epigr. 22, adlegat, ubi Ennomi et Chromii pater *Alcinus* vocatur. Itaque scribo *Alcinoque sati*. Non multum sane abit hoc a vitiosa lectione, propius etiam abest ab alia codicis G. 2: *Axinonoque sati*. Apud Homerum non exstat pater, qui *Chromin* et *Ennomum* Mysis præfuisse dicit v. 858. Sed Noster plura ex aliis haurire solet.

246. *Quos Phorcys*. Ita scripsi auctore Homero, qui v. 862 Phorcyn et Ascanium Phrygum duces conjungit. Impressi libri mendose legunt *quos fortis*. Ascanius hic discernendus a filio Æneæ, qui tum puer admodum erat.

247. *Jovis inclyta proles*. Ovidius, Met. IX, 229.

248. *Corœbus*. Falso Basil. ed. *Chorœbus*. Lips. *Achorebus*. A. *Achœbus*. Hunc autem Corœbum Homerus non nominat, sed eum Virgilius Mygdonis filium dicit, Trojanisque auxilio venisse et a Peneleo interfectum tradit, Æn. II, 341 et 425. A Diomede perimi facit Quintus Cal. XIII, 168 seq. Contra Homerus Pylæmenem, Paphlagonum ducem, inter socios Trojanorum nominat, quem Noster, nisi fallor, omisit. De Corœbo plura videas notata ab Heynio V. C. Excurs. X ad Æn. II.—Chorœbus alius memoratur a Statio, Theb. I, 650. Ed.

249. *Neptunia Troja:* e Virgilii Æn. II, 625, et III, 3.

Digitized by Google

Vicissetque dolos Danaum, nisi fata vetassent.
III. Jamque duæ stabant acies fulgentibus armis,
Quum Paris, exitium Trojæ funestaque flamma,
Armatum adverso Menelaum ex agmine vidit,
Seque velut viso perterritus angue recepit
Ad socios amens: quem postquam turpiter Hector
Confusum terrore videt, « Proh! dedecus, inquit,
Æternum patriæ, generisque infamia nostri,
Terga refers? at non dubitabas hospitis olim
Expugnare toros, cujus nunc defugis arma,

250. Antiquæ editiones legebant *Vicissentque dolo Danaum*, quæ legens Barthius putavit *Danaum* casu quarto dici pro exercitu Danaorum. Sed Bondamius, Var. Lect. p. 153, vidit legendum esse *dolos Danaum*, idque nunc confirmatum reperio scripto Guelf. 2, qui habet: *Vicissetque dolos Danaum, ni fata fuissent:* et vetustæ Lips. schedæ *dolus Danaum*.

252. Editiones legunt *Trojæ et funesta ruina*, quod quia supra, v. 233, jam adfuit, prætuli *funestaque flamma*, quæ est lectio cod. G. 2. Barthius ad hunc locum observat, Advers. LIX, cap. 1, optimorum scriptorum morem esse, funestarum cladium auctores clades ipsas nominare. Juvenalis de Domitiano: « si peste et clade sub illa Sævitiam damnare, et honestum afferre liceret Consilium ». Auctor declamationis in Catilinam: « vigent enim in illa clade res diversissimæ pariter, continentia et libido ». Lampridius in Elagabalo: « mirum fortasse cuipiam videatur, quod hæc clades, quam retuli, loco principis fuerit ». Seneca de Medea: « Abolere ferro pessimam propera luem ». Claudianus de Rufino, lib. I: « quo tanta lues eruperit ortu ». Barth.— Et ideo præsertim *flamma* servandum est, quod aptius conveniat cum fabula de Hecuba Paridis genetrice, tædam se peperisse somniante, qua Troas Asiaque omnis incendio vastarentur. Ed.

253. *Ex agmine cernit* G. 2.

254. *Seque velut viso perterritus angue.* G. 2 habet *Sicque velut*. Comparationem ab Homero factam, III, 33 seq. quam hic brevissime exprimit Noster, Virgilius, Æn. II, 378 seq. de Androgeo usurpavit: « Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit. Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit ». Brevius Naso, Fast. II, 341, «Attonitusque metu rediit: ceu sæpe viator Turbatum viso rettulit angue pedem ». Juvenalis, I, 43: « Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem ».

256. *Perfusum terrore videt, o dedecus* G. 2.

257. *Generisque infamia nostri.* Ovid. Metam. VIII, 97: « o nostri infamia sæcli ».

259. *Hospitis expugnare toros*, h. e. conjugem sollicitatione capere et corrumpere, quemadmodum *ex-*

Digitized by Google

Vimque times : ubi nunc vires, ubi cognita nobis
Ludorum quondam vario certamine vis est?
Hic animos ostende tuos, nil adjuvat arma
Nobilitas formæ, duro Mars milite gaudet.
Dum jaceas in amore tuo, nos bella geremus
Scilicet, et nostrum fundemus in hoste cruorem.
Æquius adversis tecum concurrat in armis
Impiger Atrides : spectet Danaumque Phrygumque
Depositis telis populus, vos fœdere juncto
Adversas conferte manus, decernite ferro
Vestrum nunc Helenam sumat quis rectius ipsam ».
Dixit, quæ contra paucis Priameius heros,
« Quid nimis indignis, inquit, me vocibus urges,

pugnari dicuntur, qui inviti et repugnantes vincuntur precibus; quomodo usurpavit Suetonius, Cæs. 1, Tiber. 21. Apud Ovid. Her. XVII, 3, Helena ad Paridem : « Ausus es, hospitii temeratis, advena, sacris, Legitimam nuptæ sollicitare fidem ». Propert. III, 13, 9 : « Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas ». — Rutilius, Itin. I, 359 : « Aurea legitimas expugnant munera tædas, Virgineosque sinus aureus imber emit. Ed. — De usu verbi *expugnare* plura notavit Barthius ad Stat. Theb. IV, 187.

262. *Hic animos ostende.* Virgil. Æn. VI, 261 : « Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo ».—G. 2 legit *nil adjuvat armis.*

263. *Duro Mars milite gaudet.* Helena ad Paridem l. c. v. 253 : « Apta magis Veneri, quam sint tua corpora Marti ».

264. *Dum jaceas in amore,* h. e. fractus libidine langueas et otieris, impar militiæ. Tale est in Virg. Catal. V, 1 : « Jacere me, quod alta non possim, putas, Ut ante, vectari freta, Nec ferre durum frigus, aut æstum pati, Neque arma victoris sequi ».

265. *Et nostrum fundemus,* sic Guelf. 2, quod prætuli lectioni vulgatæ *ut nostrum fundamus.—In hoste* opponitur antecedenti *in amore tuo.* Cæterum his versibus respexisse auctor videtur Virgilium, Æn. XI, 371, ubi Drances ad Turnum : « Scilicet, ut Turno contingat regia conjux, Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba, Sternamur campis ». Et auctor orationis Achillis in Parthenone, quam supra dedimus, v. 57 : « Scilicet, ut conjux viduo reddatur Atridi, Procumbat vilis Teucrorum victima Achilles ».

266. Hic incipit MS Helmstad.

268. *Populus,* pro exercitu, ut observavit Barthius, Adv. LIX, 1. Similiter infra v. 280 et 342.

269. *Conferte manus.* Virg. Æn. X, 876; XI, 283.

270. *Vestrum nunc.* Hic versus deest in G. 2.

271. *Quæ contra.* Lips. *quem contra,* sicut et A.

Digitized by Google

O patriæ, germane, decus? nam nec mihi conjux
Pronaque luxuria est potior virtutis honore,
Nec vires dextramque viri tentare recuso,
Dummodo victorem conjux cum pace sequatur ».
Dicta refert Hector: placuit sententia Graiis.
Protinus accitur Priamus, sacrisque peractis
Fœdera junguntur: post hæc discedit uterque
Depositis telis populus, campusque patescit.
Interea toto procedit ab agmine Troum
Pulcher Alexander, clypeoque insignis et hasta,
Quem contra paribus fulgens Menelaus in armis
Constitit, et, « Tecum mihi sunt certamina, dixit,
Nec longum nostra lætabere conjuge, quæ te
Mox rapuit regem, tantummodo Jupiter adsit ».
Dixit, et adversum se concitat acer in hostem.
Ille virum forti venientem reppulit ictu,

273. *Nam ut mihi conjux* G. 2.

274. *Pronaque luxuria*, i. e. facilis et proclivis in Venerem. Fere aptior videtur lectio codicis G. 2 et A. *Parvaque* luxuria, e quo efficias *Pravaque*. Quod sequitur, *potior virtutis honore*, transtuli e MS Helmst. et G. 2, quum vulgatæ haberent *fungor virtutis amore*, quod et inepto sensu est, et cum antecedenti *nec mihi* non cohæret.

275. *Dextramque viri tentare*, pugnando experiri, quid vis et dextra viri possit. Virg. Æn. II, 334: « vix primi prælia tentant ». Cod. G. 2 transponit voces: *Nec vires tentare viri dextramque recuso*. — Tacitus, Germ. XXXIV: « Ipsum quin etiam Oceanum tentavimus ». Ovid. Epist. VII, 121: « bellis peregrina et femina tentor ». Sic *tentare* de molimine ac conatu, ut *tentare æquor, vias*, et similia. Vid. Burm. adnot. ad Val. Flacc. Argon. I, 529. Ed.

279. *Post hoc descendit ut.* G. 2, male. Virgilius, Æn. XII, 696, de simili pugna Turni et Æneæ agens: « Discessere omnes medii, spatiumque dedere ». *Discedere* et *descendere* frequenter commutari a librariis, observavit Drakenb. ad Silium Italicum, XVII, 1.

280. *Depositis populus telis* Helmst. Sic Ovid. Met. XII, 147: « positis pars utraque substitit armis ». Virg. Æn. XII, 707: « Armaque deposuere humeris »; et versu 710: « ut vacuo patuerunt æquore campi ».

281. *Toto procedit ab agmine*: sic scripsi ex H. et G. 2. Male vulgatæ *discedit ab agmine*.

285. *Nec longum lætabere*. Virgil. Æn. X, 740. Sed totum hoc haustum ex Ovidio, Metam. V, 64: « arcus Arripit, et, Mecum tibi sint certamina, dixit, Nec longum pueri fato lætabere ».

286. *Quæ te Mox rapuit regem*.

Digitized by Google

Seque gradu celeri recipit, longeque frementem
Hastam deinde jacit, quam devitavit Atrides,
Inque vicem misso fixisset pectora telo
Prædonis Phrygii, nisi vastum ferrea corpus
Texisset lorica viri septemplice tergo.
Insequitur juxta clamor, tum adversus uterque
Constitit, et galea galeam terit, et pede plantam

Illud *te rapuit regem* non capio. In Homero auctore est, victorem omnia habiturum. Legam *quæ me Mox rapiet regem*, quæ ultro me rapiet in complexus suos, ut tu eam rapuisti. Tamen verius est, aliud quid latere, nec Homero stricte adhæret semper hic scriptor, nec in eo quidquam tale; sed Jovem ipsum pugnam seu duellum iniens adloquitur Menelaus. Barth. Advers. LIX, 1. Et ego acumen, quod his verbis inesse debet, non intelligo: nec Barthii conjectura satis placet. Fortasse melius, *quæ me Mox capiet regem*.

289. *Frementem hastam*, quæ emissa sonum dat, æra diverberans. Virgilius *stridentem* dicere solet, ut Æn. IX, 418; X, 645, 776. Nescio tamen an hic potius *trementem* legendum sit, quod idem usurpavit, Æn. XII, 94.

290. *Quamquam devitat A.* L. Secundum Homerum, Il. III, 360, Paris Atridæ hastam, non Atrides Paridis, declinavit. Et plura hujus pugnæ diverse narrat Noster.

291. *Fixisset corpora ferro* G. 2.

292. *Prædonis Phrygii.* Frequens prædonis convicium in adulteros et raptores puellarum, sigillatim in Paridem, propter raptum Helenæ, ut apud Stat. Achill. I, 45, et in Æneam, propter Laviniam, apud Virg. Æneid. VII, 362: « Perfidus alta petens, abducta virgine, prædo »; et Æn. XI, 484, ubi « Phrygius prædo » audit. Pluto ob raptum Proserpinæ sic dicitur apud Ovid. Met. V, 521; Fast. IV, 591. Pro *ferrea corpus* H. et G. 2 legunt *ferrea pectus*.

293. *Septemplice tergo*, quæ septem coriis inducta et munita erat. Alias septemplices clypei heroibus tribui solent. Virg. Æn. XII, 925; Ovid. Met. XIII, 2 et 347.

294. *Dum adversus* G. 2. Anton. *de Rooy*, Spicileg. crit. pag. 97, pro *adversus* forte substitui posse *arrectus* existimat, e Virg. Æn. V, 426: « Constitit in digitos extemplo arrectus uterque ». Sed ipse nihil mutandum suadet. Et sane *arrectus* cæstu pugnantibus convenit, ut apud Maronem; non ferro invadentibus, ut hic. Sic apud Statium, Theb. I, 412: « tum vero erectus uterque Exsertare humeros, nudamque lacessere pugnam ».

295. *Constitit, et galea galeam ferit.* Cl. Bondamius l. c. pag. 153 putat auctoris hæc scribentis animo obversata esse hæc Ovidiana, Met. IX, 43: « eratque Cum pede pes junctus: totoque ego pectore pronus, Et digitos digitis, et frontem fronte premebam ». Et sane hic, ut in aliis locis, apparet captata ab auctore occasio imitandi Ovidii, quum ipsa Homeri narratio talia non suggesserit.

Digitized by Google

Conjungit, stridet mucro mucrone corusco,
Corpus collectum tegitur fulgentibus armis.
Non aliter fortes nitida pro conjuge tauri
Bella gerunt, vastisque replent mugitibus auras.
Jamque diu rigido captabant corpora ferro;
Tunc memor Atrides raptæ sibi conjugis instat,
Dardaniumque premit juvenem mox ense rigenti,
Cedentemque retro dum desuper adpetit hostem,
Splendidus extremas galeæ percussus ad oras
Dissiluit mucro : gemuerunt agmina Graium.
Tunc vero ardescit, quamvis manus ense careret,
Et juvenem arrepta prosternit casside victor,

296. Helmsterus transponit verba *mucro stridet mucrone*. Guelf. 2 aliter : *Constringit, stridetque mucro mucrone corusco.*

297. *Corpus collectum*, i. e. intra clypeum reductum et clausum. Virg. Æn. XII, 491 : « Substitit Æneas, et se collegit in arma »; et X, 412, « seque in sua colligit arma ». Pro *tegitur* Helmst. *petitur fulgentibus*, perperam. — Conf. Cuperus, Observ. lib. I, cap. 12, p. 90. Ed.

298. *Non aliter fortes.* Hæc comparatio plane ab Ovidio petita, qui Met. IX, 46, post verba superius adlegata, pergit : « Non aliter fortes vidi concurrere tauros, Quum pretium pugnæ, toto nitidissima saltu Expetitur conjux ».

300. *Atque diu rigido :* sic edd. verum *Jamque diu* A. quod prætuli. — *Captabant pectora*, i. e. locum opportunum vulnerandi corporis. — Sic apud Virgilium, Æn. XII, 920 : « telum Æneas fatale coruscat, Sortitus fortunam oculis ». Ed. — *Corpora telo* legunt vulgatæ, sed *ferro* aptius putavi, quod H. et G. 2 habent.

304. *Percussit ad oras* dat A. cum edd. vett. sed cl. Dorpius, Observ. p. 116, e lectione Mspti cod. bibliothecæ Lugdun. Batav. corrigit *percussus ad oras Dissiluit*, quomodo etiam G. 2 legit. Cæterum *ad oras* Barthius, LVIII, 14, frustra ad nævos scriptoris nostri retulit, quia *percussit* legebat.

305. *Desiluit mucro* legit A. cum vulgatis, sed vitiosum hoc esse jam Barthius, p. 2770, animadvertit, et *dissiluit* legendum censuerunt Dorpius l. c. et Dussenius in Prodr. p. 21. Idem præfert cod. G. 2, et ipse Noster infra integro versu 968 repetit, habetque ex imitatione Virgilii, qui eumdem casum Turni memorans, Æn. XII, 741 : « Mortalis mucro, glacies seu futilis, ictu Dissiluit »; et Ovid. Metam. V, 171 seq. « Non circumspectis exactum viribus ensem Fregit, et extrema percussæ parte columnæ Lamina dissiluit; dominique in gutture fixa est ».

306. *Ense carebat* habent edd. *careret* H. quod præferendum puto.

307. *Juvenem rapta* G. 2; quod perperam.

Digitized by Google

Ad socios traheretque, nisi caligine cæca
Texisset Cytherea virum, subjectaque mento
Fortia rupisset laxatis vincula nodis,
Ultimus ille dies Paridi foret : abstrahit auro
Fulgentem galeam secum Menelaus, et ardens
In medios mittit proceres, rursumque recurrit,
Et magnam validis contorsit viribus hastam
In cladem Phrygii; sua quem Venus eripit hosti,
Et secum in thalamos defert testudine cultos:

308. *Traheret, nisi tum caligine* G. 2. *Traheret, nisi caligine* A. Non bene hæc et sequentia cum versu 311 cohærent. Atque hinc ad rationem codicum, quos citavi, scribendum puto : « Et juvenem arrepta prosternens cassidę victor Ad socios trahit, et nisi tum caligine cæca... Ultimus ille dies Paridi foret ».

313. *Rursusque recurrit* G. 2.

314. *Contorsit viribus hastam,* sunt verba Maronis, Æn. II, 50.

315. *Sua quem Venus.* Erat enim assiduus ejus cultor Alexander, unde suam appellavit. Sic *sua numina* æquori addita ait v. 877 : « Addideratque freto sua numina, Nerea magnum ». Venus autem ipsa sibi addictum Paridem commendat Helenæ apud Homerum, postquam manibus Menelai eripuit. Barth. Adv. LIX, 1. Pronomine *suus* sæpe faventem, aptum et utilem significari, neminem fugit in lectione Romanorum scriptorum versatum, ut hoc pluribus exemplis docere superfluum sit. Horat. Epod. 9, 30, « Cretam ventis iturus non suis ».

316. Scriptus A. et edd. vet. habent *testudine structos.* Barthius ex hoc loco observat, scriptorem nostrum non solere, quod alii poetæ faciant, ob sequentes literas *sc* vel *st* syllabam præcedentem longam facere, affertque aliud exemplum e Nostro, vs. 791, *Promachum quoque sterniț atrocem.* Ego vero fieri hoc rarissime a bonis poetis arbitror, nisi media in voce. Exemplum habes Virg. Æn. VI, 687, ubi tamen et variat lectio. Et apud Nostrum vulgatæ quidem habent *testudine structos*, at G. 2 alias voces *cultos*, *tectos*, *comptos* conjunctim exhibet; e quibus *cultos* veram lectionem esse puto propter consuetam Nostro imitationem Nasonis, qui Met. II, 737 : « Pars secreta domus ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos ». Cæterum *thalamos testudineos* dixit Noster non ad mentem Homeri, et morem ævi heroici, sed luxuriæ recentioris. Neque in hoc Homeri loco, III, 390, ubi et thalami memoratur, nulla in ·icatur materia. At Plinius, lib. IX, sect. 13, memorat, « testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire » primum a Cornelio Pollione Romæ institutum, qui circa Syllana tempora vixit. Ante hæc tempora, ut cum Juvenale, XI, 93, loquar, « Nemo inter curas et seria duxit habendum, Qualis in Oceani fluctu testudo na-

Digitized by Google

Ipsa dehinc Helenam muris arcessit ab altis,
Dardanioque suos Paridi deducit amores.
Quam tali postquam conspexit voce loquuta est :
« Venisti, mea flamma, Paris superatus ab armis
Conjugis antiqui : vidi, puduitque videre,
Arreptum quum te traheret violentus Atrides,
Iliacoque tuos fœdaret pulvere crines :
Nostraque (me miseram !) timui ne Doricus ensis
Oscula discuteret : totus mihi mente relicta
Fugerat ore color, sanguisque reliquerat artus.
Quis te cum sævo contendere jussit Atrida?
An nondum vaga fama tuas pervenit ad aures
De virtute viri? moneo, ne rursus iniquæ
Illius tua fata velis committere dextræ ».
Dixerat, et largis perfudit fletibus ora.
Tristis Alexander, « Non me superavit Atrides,

taret, Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum ». Virgil. dicit *varios pulchra testudine postes* Georg. II, 453. — *Testudineum lectum* vidimus huj. op. tomo II, pag. 460, cui loco addi potest Martial. XII, 66 : « Gemmantes prima fulgent testudine lecti ». Ed.

321. *Vidi puduitque videre.* Et hoc hemistichium Bondamius, p. 154, monet esse Ovidii, Met. XIII, 223, ubi Ulysses ad Ajacem : « Vidi, puduitque videre, Quum tu terga dares ». Et hunc librum, quo contentio Ulyssis et Ajacis de armis Achillis, et præcipuæ res bello Trojano gestæ, summatim exponuntur, inprimis respexisse auctorem nostrum in scribenda Epitome, plurimasque inde sententias mutuatum esse, facile videbit, qui diligentius ista excutiet et comparabit.

323. *Pulvere crines.* Virg. Æneid. XII, 99; Ovid. Metam. VIII, 529.

325. *Discuteret,* uti « consilia hostium discutere » Frontin. IV, 7, 31 ; et « discutere dolos » Sil. Ital. VII, 153, e correctione Drakenborchii, dixit. — *Mente relictæ* mavult Anton. *de Rooy* l. c. pag. 97, quia *relinqui mente* dicimur, ut *linqui animo, deseri viribus, defici annis,* et similia.

324. *Fugerat ore color.* Et hoc hemistichium Ovidii, Her. XI, 27. *Ore calor* legit G. 2, et Ovid. Her. XIV, 37 : « Sanguis abit, mentemque calor corpusque relinquit ».

328. *An nondum* G. 2. *An non vaga fama* L. — *Pervenit ad aures.* Sic Ovidius, Met. V, 256 : « Fama novi fontis nostras pervenit ad aures » ; et Virg. Æn. II, 81, « Fando aliquid, si forte tuas pervenit ad aures ». Ed.

331. *Dixit, tum largis* G. 2 et A.

332. *Tristis Alexander* L. et T.

Digitized by Google

O meus ardor, ait, sed castæ Palladis ira.
Mox illum nostris succumbere turpiter armis
Adspicies, aderitque meo Cytherea labori. »
Post hæc amplexu per mutua corpora juncto
Incubuit membris Cygneidos; illa soluto
Accepit flammas gremio Trojæque, suasque.
Interea toto Menelaus in agmine Troum
Quærit Alexandrum, victorque huc fertur et illuc.
Quem frater socias acuens in bella catervas
Adjuvat, et forti pulsos Phrygas increpat ore,
Servarique jubet leges, Helenamque reposcit.
IV. Quumque inter sese proceres certamen haberent,

Pro quo A. *Ad quam Priamides, non me.*

333. *Cautæ Palladis* Helmst. cod. quod fere melius.

336. *Post hæc amplexu.* G. 2 habet *Post hoc*, et A. *per mutua corpora victis.* Non est dubium, scriptorem his versibus respexisse notum locum Maronis, Æneid. VIII, 405 : « Optatos dedit amplexus, placidumque petivit Conjugis infusus gremio per membra soporem ».

337. *Incubuit* G. 2. A. et L. quod prætuli vulgato *Incumbit.* Pro *Cygneidos* H. vitiose ponit *Etneidos.* Cygneis autem Helena nuncupatur, quod filia Jovis in cygnum conversi credebatur : illud nomen nescio, an alius poeta usurpaverit, quamquam « cygneo edita Tyndaris ovo » dicitur a Virg. Eleg. ad Messal. 27, et ipsa Helena apud Ovid. Her. XVII, 55: « Dat mihi Leda Jovem, cygno decepta, parentem ».

338. *Flammas Trojæque suasque.* Acute de Paride, cujus amor in Helenam exitium Trojæ futurus erat. Videtur et hoc dictum eo loco epistolæ Paridis apud Ovidium niti, Heroid. XVI, 45 seq. quo Paris somnium matris suæ, quæ ante diem partus visa erat facem ardentem parere, de ardore animi sui Trojæ exitioso interpretatur : « Arsuram Paridis vates canit Ilion igni; Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei ».

339. *In agmine Troum.* Helmst. *ab agmine.*

341. *Frater*, Agamemnon. — *Acuens in prælia dextras* H. legit, sed ab alia manu appositum est *in bella catervas.*

342. *Populos Phrygas* scriptus A. et impressi habent; et Barthius, Adv. pag. 2770, hoc eleganter dici adfirmat, sed exercitum vel militem solum intelligi: in quo ille admodum falsus est; nam sine dubio vitiosa hæc lectio est, legendumque auctoritate codicis H. et G. 2 *pulsos Phrygas.*

343. *Servarique jubet :* sic H. G. 2 et A. *servareque jubet* L. reliquæ edd. habent *Et servare jubet*, quod minus commodum est.

344. *Certamen haberent.* Phrasis

Digitized by Google

Concilium omnipotens habuit regnator Olympi;
Fœderaque intento turbavit Pandarus arcu,
Te, Menelae, petens, laterique volatile telum
Incidit, et tunicam ferro squamisque rigentem
Dissecat : excedit bello gemebundus Atrides,
Castraque tuta petit; quem doctus ab arte paterna
Pæoniis curat juvenis Podalirius herbis,
Atque iterum in cædes horrendaque prælia mittit.
Armavit fortes Agamemnonis ira Pelasgos,
Et dolor in pugnam cunctos communis agebat.
Bellum ingens oritur, multumque utrimque cruoris
Funditur, et totis sternuntur corpora campis,
Inque vicem Troumque cadunt Danaumque catervæ:
Nec requies datur ulla viris, sonat undique Mavors,

non satis digna poetico stylo videtur, et quæ sequente versu occurrit, *concilium habuit,* insuavis repetitio est. Nec ista satis defendi videtur versu Nasonis, Met. XIII, 159 : « Ergo operum quoniam nudum certamen habetur ».

346. *Fœdera turbavit*, pro quo G. 2 perperam *turpavit* exhibet. Virgilius verbo *confundere* usus est, Homericum συγχέειν aptius exprimens, Æn. V, 496 : « Pandare, qui quondam jussus confundere fœdus, In medios telum torsisti primus Achivos ».

347. *Volatile telum* ex Virg. Æn. IV, 71, et Ovid. Metam. VII, 841. *Volatile ferrum* præferunt H. et G. 2.

349. *Dissecat* H. et G. 2, quod prætuli vulgato *Desecat.* Verbum *dissecare* hac in re minus usitatum aliis poetis, qui *rumpere* et *lacerare* solent adhibere. Vid. Virg. Æneid. XII, 98; Ovid. Met. XII, 117.

350. *Et sua castra petit* H. quod fere melius est.

351. Guelf. 2 *Podalirius* simul et *Chirurgicus* exhibet, quod est glossa librarii. — *Pæoniis herbis* ex Virgilii Æn. VII, 769. Podalirium hic nominat Noster curantem vulnus Menelai, sed Homerus Machaonem, IV, 193. — *Podalirii* mentio supra videatur, v. 217. Ed.

352. *Atque iterum in cædes..... mittit.* Virg. de Ænea, post sanatum ejus vulnus, Æn. XII, 429 : « atque opera ad majora remittit ». G. 2 mendose *Atque iterum incedens :* nisi velis inde corrigere, *Atque iterum incedentem horrenda in prælia mittit;* sed hoc fere barbarum est.

354. *Et dolor in pugnam.* Sic Virg. Æn. VIII, 500 : « quos justus in hostem Fert dolor, et merita incendit Mezentius ira ».

355. *Multumque cruoris utrimque* exhibet G. 2.

356. *Sternuntur corpora campis.* Virg. Æn. II, 364 : « Plurima perque vias sternuntur inertia passim Corpora ».

Digitized by Google

Telorumque volat cunctis de partibus imber.
Occidit Antilochi rigido demissus ad umbras
Ense Thalysiades, optataque lumina linquit.
Inde manu forti Graiorum terga prementem
Occupat Anthemione satum Telamonius Ajax,
Et prædurato transfigit pectora telo.
Purpuream vomit ille animam cum sanguine mixtam,
Ora rigat moriens: tunc maximus Antiphus hastam
Viribus adversum, conatus corpore toto,
Torquet in Ajacem, telumque erravit ab hoste,

359. *Volat cunctis de partibus imber:* sic G. 2, quod prætuli vulgatæ *volant ex cunctis partibus imbres.* Virg. Æn. XII, 283: « it toto turbida cælo Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber ». — Reciproca metaphora *pharetratos imbres seu nubes* dixit Avianus, fab. XLI, v. 16. Conf. Nostri v. 746. Ed.

360. In vulgatis est *Antilochus rigido demersus in umbras.* Cod. A. *magnas demersus in umbras.* Guelf. 2: *Stygias dimissus ad umbras.* Unde *demissus* edidi, quod Virgilianum est, Æn. II, 398. Cæterum *Antilochus* vitiosum sit necesse est, quia e Græcis Antilochus, et hoc loco de Trojanorum cæde sermo est. Recte igitur censuit Bondamius, pag. 154 emendans: « Occidit Antilochi rigido demersus in umbra Ense Thalysiades »; nempe Echepolus, ex Homeri Iliad. IV, 458. Idque confirmat cod. H. qui scribit *Ense Thalacides.* G. 2 *Chalestiades.*

361. Vulgatæ habent *Ense Calestiadis.* Vid. not. præced. *Lumina mittit* G. 2.

363. *Amphione satum* habebant vulgati et scripti, quod Bondamius ex Il. IV, 473, correxit *Anthemione satum.*

364. *Transfigit pectora* reposui ex Helmst. et G. 2, quum præsertim Homerus hoc dicat, IV, 480. Vulgatæ autem cum A. dederunt *transfixit corpora.* De *prædurato* telo nihil Homerus, sed adlusit forte auctor ad illud Virgilianum, Æneid. VII, 524: « Stipitibus duris agitur sudibusve præustis ». Ovid. Met. XII, 299, « sude figit obusta ».

365. *Purpuream vomit,* etc. Versus Virgil. Æn. IX, 349.—Et in Anth. Lat. Burm. t. I, p. 45, Epith. Incertæ, v. 8: « Nunc animam quoque tu purpuream vomeres ». Ed.

366. Barthius, Advers. LIX, 1, legendum censet *Ora riget moriens,* quod non placet.

367. *Viribus adversis* legunt cod. A. et edd. L. et T. at Helmst. et G. 2 *adversam;* unde corrigo *adversum,* idque refero ad Ajacem.— *Viribus* autem pertinet ad *maximus.* Sic loquitur Ovid. Met. XII, 116: « hastam Misit in adversum Lycia de plebe Menœten ». Pro *conatus* suspicor legendum *connixus corpore toto* e Virgilio, Æn. V, 642, et X, 127. *Pectore* et *corpore* simul ponit G. 2.

368. Pro *in Ajacem* Helmstad. *in Æacidem.*

Digitized by Google

Inque hostem cecidit; nam fixit in inguine Læucon.
Concidit infelix prostratus vulnere forti,
Et carpit virides moribundus dentibus herbas.
Impiger Atrides casu commotus amici
Democoonta petit, teloque adversa trabali

369. *Inque hostem cecidit*, supple *alium*, nempe Leucon, quem mox nominat. Editio Torini hic legit *Inque hostem cadit, ictus in inguine Leucon*, et scriptus A. cum ed. Lips. *Inque hostem cecidit, ictus in inguine Leucon*. Barthius l. c. videt deesse vocem in versu, nec tamen habet, quomodo restituat, destitutus subsidio alterius codicis. Tandem explet : *Inque hostem cadit, adverso ictus in inguine Leucon*. Dorpius vero, Observ. p. 117, ex margine codicis MS Lugd. Bat. emendat *cecidit, namque ictus in inguine*, vel etiam pro *namque* substituit *tunc* ex alio cod. P. Burmanni. Idem sentit Dussenius l. c. p. 23. Mihi optime succurrere videtur cod. G. 2, qui exhibet *cecidit, transfixit in imagine Leuchon*. Unde emendo : *Inque hostem cecidit; nam fixit in inguine Leucon*. Possit quidem et *transfixus in inguine* legi, sed aliud participium mox sequitur *prostratus vulnere forti*, atque casus quartus *Leucon*, quem omnes libri servant, verbum *fixit* vel *transfixit* poscit. Nam de quo hic sermo est, apud Homerum IV, 491, Leucos dicitur, non *Leucon*.

370. Pro *Concidit* Helmst. *Decidit infelix*.

371. *Et carpit virides moribundus*. Hic insolitam phrasim reperio de cæsis et moribundis in terram procidentibus. Homerica formula est ὀδὰξ ἑλεῖν ὄδμας (vid. Il. II, 418; XI, 748), quam Latini poetæ, veteres quidem, ita imitantur, ut dicant *mordere* et *mandere humum*, vel *petere, adpetere* ore, morsu, *terram*. Virg. Æn. XI, 418 : « Procubuit moriens et humum semel ore momordit »; et ibid. vs. 669 : « cruentam Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat ». Sil. Ital. IX, 383 : « Volvitur ille ruens, atque arva hostilia morsu Adpetit ». Sed, qui pro *mordere* vel *mandere humum* eo sensu dixerit *carpere dentibus herbas*, quod de pecudum pastu a poetis adhibetur, adhuc quidem neminem inveni. Similem tamen versum Diomedes Grammat. lib. I, p. 336, e Cn. Matii XX Iliados adfert : « Ille hietans herbam moribundo tenuit ore ».

372, 373. *Impiger Atrides*. In ea lectione, quamvis omnibus in libris recepta, aut error librariorum, aut ipsius auctoris παρόραμα est. Qui hic casu amici, nempe Leuci, commotus dicitur, apud Homerum non Atrides, sed Ulysses est. Ibi Leucus dicitur Ὀδυσσέος ἰσόφρος ἑταῖρος, Il. IV, 491, atque Ulysses ob hunc interfectum valde iratus, in aciem processisse, et *Democoonta*, sibi obvium, percussisse. Hinc cl. Bondamius l. c. p. 155 recte censet, hoc aliove simili modo versum legendum esse : *Hinc Laertiades casu commotus amici Democoonta petit*. Vulgati habent *Demophoonta*, quod notius inter heroas nomen est : sed vero propius *Demononta* G. 2. — *Teloque trabali*, i. e. hasta magna. Virg. Æn. XII, 294.

Digitized by Google

Tempora transadigit, vaginaque horridus ensem
Eripit : ille suis moriens resupinus in armis
Occidit, et terram moribundus vertice pulsat.
Jamque Amarynciden saxi dejecerat ictu
Impiger Imbrasides, dederatque silentibus umbris;
Dum cupidus prædæ juvenem spoliare parabat,
Desuper hasta venit dextra vibrata Thoantis,
Perque viri scapulas annosaque pectora transit.

374. *Transadigit*, quod H. et G. 2 habent, aptius mihi visum est, quam vulgatum *transfixit*. G. 2 simul adponit *transegit*. — *Vagina ensem eripit* est dictio Virgiliana, Æn. IV, 579, sed huic loco parum apta; nam nulla alia pugna paratur.

376. *Conscidit* pro *Concidit* habet G. 2. Vulgatæ *Occidit*. Malim hic legere cum Dussenio p. 24, *moribundo vertice*, quia Ovidium expressisse videtur, qui Met. V, 84 : « Et resupinus humum moribundo vertice pulsat »; et ibidem, XII, 118 : « Quo plangente gravem moribundo vertice terram ».

377. In vulgatis hæc valde mendosa sunt : *Post hæc Ægæum saxi dejecerat ictu Impiger Umbrasides*. Helmst. ponit *dejecit ab ictu*, non male. Sed si seriem narrationis apud Homerum, IV, 517, conferimus, hoc loco Amarynciden Diorem saxo percussit Pirus Imbrasides, et de hoc loqui Nostrum, residuum nomen *Umbrasides*, vero prorsus simile, declarat. Quoniam vero Homerus, II, 615, de Diore, ut et de Amphimacho, Thalpio et Polyxeno dicit, habitasse eos Elida nobilem, hinc cl. Bondamius, p. 157, existimat, Diorem Nostro appellari potuisse Eleum, atque hinc corrigit : *Post hæc Eleum saxi dejecerat ictu Impiger Imbrasides*. Mihi vero hæc longius petita ratio emendandi videtur, magisque placet quæ a consultiss. Dorpio, Obs. p. 117, adlata medela est, quando ex ipsis Homeri versibus, IV, 517 et 520 hanc lectionem constituit : *Jamque Amarynciden saxi dejecerat ictu Piros Imbrasides*. Fulcit hanc emendationem cod. G. 2, qui, quamvis absurda in lectione, rudera veræ servat, et scribit *Inque mare Egeum saxi*, quomodo et in aliis duobus MSS legi adfirmat Dorpius. Præterea vulgatum *Impiger* facile proficisci e genuino *Piros* potuit; quamquam non diffiteor manere posse *Impiger*, et sufficere, Piron solo nomine patronymico hic appellatum, ut cum Diore factum est.

379. Vulgatis leg. *Tunc que avidus*. G. 2 *Dumque avidus*. A. *Dumque avidus prædo*. Sed scribere malui cum Helmst. *Dum cupidus*.

381. *Annosaque tempora* H. falso. *annosaque pectora* A. et L. *animosaque pectora* Tor. et Sp. *Scapulas* vocabulum, quo Noster sæpius utitur, nemo heroicorum poetarum, quantum opinor, usurpavit; puto, quia vulgare id et plebeium haberetur, quando quidem etiam apud Comicos inprimis reperitur. Noster eam rationem aut neglexit sciens,

Digitized by Google

In vultus ruit ille suos, calidumque cruorem
Ore vomit, stratusque super sua palpitat arma.
Sanguine Dardanii manabant undique campi,
Manabant amnes passim, pugnabat ubique
Immixtis ardens amborum exercitus armis,
Et modo Trojanis virtus, modo crescit Achivis,
Lætaque per varios petitur victoria casus.
V. Sed postquam Danaum longe cedentia vidit
Agmina Tydides, tumidumque increscere Martem,
In medias acies, qua plurimus imminet hostis,
Irruit, et versas prosternit cæde phalanges,
Huc illuc ensemque ferox hastamque coruscat.
Bellica Pallas adest, flagrantiaque ignibus arma
Adjuvat, atque animos juveni viresque ministrat.
Ille, boum veluti viso grege sæva leæna,

aut ignoravit. — Usurpavit tamen Ovidius in materia tenui proprie eam partem corporis designans, Art. Am. III, 273 : « Conveniunt tenues scapulis analectides altis ». Et hoc verbo Claudian. usus est. Ed.

383. *Stratusque super sua palpitat arma.* Tale est Virgilii, Æn. X, 488 : « Corruit in vulnus : sonitum super arma dedere ».

385. *Pugnabat ;* pro quo *pugnatur* exhibet L. perperam.

389. *Hic postquam* vulgatæ. *Sed postquam* H. et G. 2, quod prætuli. A. *longe tendentia.*

390. *Tumidumque increscere Martem :* formatum fortasse ex hoc Maronis, Æn. IX, 687 : « Tum magis increscunt animis discordibus iræ ».

391. Vulgatæ legunt *eminet hostis :* sanam lectionem *imminet* Dusenius, p. 24, e conjectura, et cl. Dorpius, p. 119, e cod. Lugd. Bat. restituit, cui suffragatur cod. Helmst. et ed. L.

392. *Adversas prosternit* habent edd. Substitui *et versas,* quod et aptius est, et in cod. Lugd. Bat. legitur, testante Dorpio.

393. *Huc illuc volat ense ferox* Torinus et Spond. dederunt. *Huc illuc ensemque ferox* H. et G. 2 ; *enseque ferox hastaque* A. et L. *hastamque retorsit* G. 2 perperam.

394. *Bellica Pallas adest.* Hæc sumpta ex Ovidio, Met. V, 47 : « Bellica Pallas adest, et protegit ægide fratrem, Datque animos ». — *Flagrantia ignibus arma* dat Diomedi ex Homero, V, 4, qui Palladem dicit ignem assiduum in ejus galea et clypeo radiare fecisse : Δαϊί οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ. Et inf. v. 467, Noster de Diomede : *flagrantibus irruit armis.*

396. *Sæva leæna.* Comparationem leonis in greges irruentis sæpius usurpat Virgilius, ut Æn. IX, 339 seq. et X, 723 seqq. Homerus quidem Diomedis impetum fluvio tor-

Digitized by Google

Quam stimulat jejuna fames, ruit agmina contra,
Et prostrata necat vesano corpora dente;
Sic ruit in medios hostes Calydonius heros,
Virginis armigeræ monitis et numine tutus.
Conversi dant terga Phryges; fugientibus ille
Instat, et exstructos morientum calcat acervos.
Dumque furit sternitque viros, videt ecce Daretis
Adverso stantes furibundus in agmine natos,
Phegeum Idæumque simul, quem cuspide præceps
Occupat ille gravi, sed vulnera depulit umbo,
Vibratumque solo ferrum stetit: haud mora, totis
Ingentem torquet Tydides viribus hastam,
Transadigitque viri pectus: pars cuspidis ante

renti, pontes et septa et segetes dissipanti, adsimilat, sed Noster sæpius Homeri exemplar deserit, et, ubicumque occasio est, mavult copiis a Virgilio et Ovidio suppeditatis uti.

397. *Agmina circum* habet Helmst.

400. *Virginis armigeræ*, Palladis. Nescio an *armiferæ* legendum sit. Sic enim sæpe ab Ovidio vocatur, ut Met. XIV, 475, Fast. III, 681; Eleg. ad Liv. 22. *Armipotens* a Virgilio, Æn. II, 425, et XII, 483.

402. *Et exstinctos* habent vulgatæ; sed *exstructos* legendum esse monuit Dussenius, p. 25, idque ipsum exhibet cod. Helmst. mutuatumque a Nasone adparet ex Met. V, 88: « Sternit, et exstructos morientum calcat acervos »; quo etiam loco multos e veteribus codicibus *exstinctos* legere Heinsius notavit, dum Burmannus *adstructos* e quibusdam aliis posuit.

403. *Dumque furit.* Dussenius vult *ferit*, quod necessarium non puto; immo *furit* eo melius est, quod quasi proprium illud de Diomede usurpat Hor. Carm. I, 15, 27: « Ecce furit te reperire atrox Tydides, melior patre ». — *Videt ecce Thoantis* legunt edd. cum cod. A. Sed cel. Bondamius, p. 157, evincit *Daretis* legendum esse, quem Phegei et Idæi patrem nominat Homerus, V, 10, idque confirmatum codice Helmst. in quo *ecce Danetis* exstat. Pariter ille versu sequenti *Phegeum Idæumque* exhibet, uti Homerus nominat.

405. Vulgatæ proferunt *Ægeum Idæumque*: sed vid. not. ad vers. 403. *Cuspide præpes* habet G. 2.

406. *Occupat ille*: sic scripsi auctoritate codicis H. Vulgatæ cum A. *Occupat ante.*

407. *Vibratumque solo.* Helmst. legit *Vitatumque*, quod nescio an præferendum sit. — *Stetit* e Virgil. Æn. II, 52, de hasta Laocoontis, « stetit illa tremens ». Ed.

408. *Ingentem torquet*, etc. sunt ipsa verba Virgilii, Æneidos loco citato.

409. *Transfoditque* A. et T. *Transadiitque* H. unde *Transadigit* dedimus. Virg. Æn. IX, 544: « pectora duro Transfossi ligno ».

Digitized by Google

Eminet, et prodit scapulis pars altera fossis.
Hunc ubi fundentem calidum de pectore flumen,
Versantemque oculos, animamque per ora vomentem
Conspexit frater, stricto celer advolat ense,
Germanique cupit fatorum exsistere vindex.
Sed neque vim sævi, nec fortia sustinet arma
Tydidæ, contraque tamen defendere tentat.
Ut volucris, derepta sui quum corpora nati
Accipitrem laniare videt, nec tendere contra,
Auxilium nec ferre suo valet anxia nato,
Quodque potest, levibus plangit sua pectora pennis;
Sic hostem Idæus germani cæde superbum
Spectat atrox, miseroque nequit succurrere fratri,

410. *Eminet, et prodit*, etc. Sic Ovid. Metam. IX, 127: « terga sagitta Trajicit: exstabat ferrum de pectore aduncum »; et lib. V, 138: « Torquet in hunc hastam, media quæ nare recepta Cervice exacta est, in partesque eminet ambas ». Hoc sensu *emissum telum* quod per alterum latus exit, dicitur a Gratio in Halieut. v. 62. — Vid. hujus op. t. I, part. 1, pag. 224. ED.

411. *Calidum de pectore flumen*. Virg. Æn. IX, 414: « Volvitur ille, vomens calidum de pectore flumen »; et lib. XI, 668: « Sanguinis ille vomens rivos cadit ».

413. *Stricto celer advolat*. Helmst. *celer extracto advolat*.

414. *Cupit exsistere vindex*. Hæc phrasis Barthio barbarismum subolere videtur, Advers. LVIII, 14, et LIX, 1, p. 2770: et eodem modo verbo *subsistere* usos esse medii ævi scriptores, quodam loco Alboini presbyteri probat. Et sane languidum versum efficit ea dictio, qua prisci ævi poetæ in universum abstinuisse videntur. Nec tamen propterea ad barbarismos referre velim, et fortan *exsistere* h. l. positum est pro extare, eminere, conspicuum esse. De verbo *subsistere* certius est, id ad scholasticorum barbaram latinitatem pertinere. — Sed *exsistere* pro *fieri* vel *esse* videtur ab inferioris ætatis scriptoribus introductum. Nam sic Julius Exsuperantius: « Facile enim poterant exsistere proditores; quia egestas haud facile habetur sine damno ». Et Lactantius Plac. in Argum. Metam. Ovid. lib. VI, fab. 3: « Latona questa cum filiis, quod suarum injuriarum ultores non exsisterent ». ED.

415. *Neque vim fortis nec fortia* A. *nec fortis sustinet* G. 2.

416. *Quem tum contra defendere*: sic videtur legere G. 2.

417. *Decepta sui* H. et A. sic et G. 2, et simul *defecta*. Barthius, p. 2770, corrigit *discerpta*, adsentiente Dussenio, p. 20. Ego malui duce Helmst. *derepta*, nempe de nido matris.

419. *Anxia fato* G. 2.

420. *Quodque potest levius* G. 2.

Digitized by Google

Et nisi cessisset, dextra cecidisset eadem.
Nec minus in Teucros armis furit acer Atrides,
Insequiturque acies, et ferro vulnera miscet.
Obvius huic fatis occurrit ductus iniquis
Infelix Hodius, quem vasto cuspidis ictu
Sternit, et ingenti scapulas transverberat hasta.
Hinc petit Idomeneus adversa parte ruentem
Mæoniden Phæstum, cujus post funera Atrides
Et Strophio genitum Stygias demittit ad umbras.
Meriones Phereclum vibrata percutit hasta,
Pedæumque Meges, vastisque horrendus in armis

424. *Nec minus intentus armis* L. perperam : *in Troicos armis* A.

425. *Funera miscet* H.

426. *Fatis ductus occurrit iniquis* A. et T.

427. *Infelix Rhodius* vulgo. *Rodius* G. 2 et A. sed *Hodius* legendum ex Homero, Il.V, 39.

428. *Diverberat hasta* G. 2.

429. *Hinc petit Idomeum de adversa parte ruentem Merione satum :* sic A. et vulgatæ. *Idomeneum* habet H. et G. 2 *de* omittit. Corruptissimam scripturam sic corrigere tentavit Bondamius, p. 158 : *Hinc petit Idomeneus de adversa parte ruentem Meione natum.* Felicius Dorpius, p. 119 : *Hinc petit Idomeneus adversa parte ruentem Mæoniden Phæstum.* Et hoc plenius exprimit versum Homeri, V, 43 : Ἰδομενεὺς δ'' ἄρα Φαῖστον ἐνήρατο Μήονος υἱόν. Et *Mæoniden* latere mihi in scriptura Helmst. et G. videtur, qui *Melidione* et *Meridione* exhibent.

430. *Cujus post funera lætus :* sic vulgatæ : sed cl. Dorpius, p. 120, emendavit *cujus post funera Atrides.* Et sequentes tres versus corruptissimos me profiteor ex ejusdem emendatione formatos posuisse, quamvis a vulgata scriptura haud parum abeuntes, quia videbam, collatis Homeri versibus, Iliad. V, 49-71, eos vix aliter constitui posse, partim etiam confirmari meorum codicum lectione.

431. *Et Strophio genitum.* Vulgatæ edd. *Astropio.* — *Demisit ad undas* H. unde scribere volui *demittit.* — Similiter supra, v. 360, *demissus ad umbras.* Ed.

432. *Meriones Phereclum.* Veteres editiones habebant vitiosissime *Merionis puerum*, et A. *Megeonis puerum :* quam lectionem sequutus Barthius, Advers. LVIII, 14, pro idiotismo auctoris venditavit, quod puerum pro servo dixerit. — *Vibrata.* Repetitione confirmatur lectio versus 407. Ed.

433. *Pedæumque Meges.* Antiquiores falso ediderunt *Pergellumque necat*, et A. habet *Pregeumque necat.* G. 2 *Phregestumque necat fastis.* Factæ emendationi favet cod. Helmst. *Phregeumque Megesten vastisque horridus armis.* Cum H. conspirat cod. Burmann. testante Dorpio l. c. et cod. Leid. legit *Prægenmque Megeus.*

Digitized by Google

Eurypylus gladio venientem Hypsenora fundit,
Et pariter juvenem vita spoliavit et armis.
Parte alia volitat sinuoso Pandarus arcu,
Tydidemque oculis immensa per agmina quærit:
Quem postquam vidit sternentem corpora Troum,
Horrida direxit contento spicula cornu,
Et summas humeri distrinxit acumine partes.
Tunc vero ardescit juvenis Calydonius ira,
In medias acies animosi more leonis
Fertur, et Astynoum magnumque Hypenora fundit,
Cominus hunc gladio, jaculo ferit eminus illum.
Inde premit Polyidon Abantaque cuspide forti,
Et notum bello Xanthum, vastumque Thoonem.
Post hos infestus Chromiumque et Echemona telo
Proturbat celeri, pariterque ad Tartara mittit.

434. *Hypsenora* scripsi, monente etiam Bondamio, p. 158, ex Homeri Iliad. V, 76. Edd. habebant *Herpedona*; et G. 2 *Alpenora*, *Sarpedona* conjunctim.

436. *Pindarus* et *Pandarus* scribit G. 2. *Famosus Pandarus arcu* A.

437. *Adversa per agmina* editi habent cum A. *immensa* H. et G. 2, quorum consensum sequutus sum.

438. Guelf. 2 transpositis verbis: *Troum sternentem corpora vidit.*

439. *Contento direxit spicula* idem.

440. *Distinxit acumine* G. 2, A. et ed. L.

443. *Astynoum.* Vett. edd. *Ascroneum:* et pro *Hypenora* edd. *Alpenora.* L. *Apenora.* A. *magnum et Erpedona.* Etiam hunc versum cum quatuor sequentibus dedimus, prout eos cel. Bondamius, pag. 158 seq. ductu Homeri, Iliad. V, 144-160, sanitati restituit.

445. Vulg. *Polydona Abanthaque.* G. 2 *Polydana Athamantaque.*

446. *Et votum bello* G. 2. *Vastumque Thoantem* vulg. *Toantem* G. 2 et L.

447. *Infestos* G. 2. *Croniumque et Scenona* edd. vet. cum A.

448. *Proturbat* pro vulgato *perturbat* scribendum esse bene monuit exemplisque probavit cl. Bondamius, p. 160. Nempe *perturbat* minus aptum atque infra vim teli est, cui tribuitur; *proturbat* autem idem est ac propulsat vel prosternit: idque similiter de telis usurpavit Virg. Æn. X, 801: «Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem Missilibus», quo loco etiam *perturbant* in quibusdam codd. legi notavit Heynius. Sic *telis missilibusque saxis hostem proturbare* Livius dixit V, 47, et Lucilius in Ætna, v. 62: «validos tum Jupiter ignes Increpat, et jacto (sic ibi scripsi) proturbat fulmine montes»; et hoc loco perperam substitui *perturbat*, notavi ipse: idemque pluribus locis

Digitized by Google

Tu quoque Tydidæ prostratus, Pandare, dextra
Occidis infelix, accepto vulnere tristi,
Dextera qua naris fronti conjungitur imæ,
Dissipat et cerebrum galeæ cum parte revulsum,
Ossaque confossi spargit Tydideus ensis.
Jamque manum Æneas simul et Calydonius heros
Contulerant jactis inter se cominus hastis,
Undique rimabant inimico pectora ferro,
Et modo cedebant retro, modo deinde coibant.

Nostri, infra occurrentibus, monendum erit.—*Ad Tartara ducit* A.

449. *Prostratus Pindare;* ut supra, hic *Pandare* G. 2.

451. *Qua naris fronti conjungitur imæ.* Mutuatum hoc esse videtur ab Ovidio, Met. XII, 315: « inter duo lumina ferrum, Qua naris fronti committitur, accipit, imæ ».

453. *Ossaque confossa spargit* legunt edd. cum A. et Barthius, Adv. p. 2770 extr. hoc eruditionis esse notat quod auctor in *confossa* syllabam longam fecerit ante literas *sp;* sed *confossi* potius leg. esse viderunt Dorpius et Dussenius ll. cc. idemque exstare in cod. MS Burmanni testantur, cui ego adjungere codicem Helmst. possum. Aliter tamen G. 2: *Ossaque cum galea spargit Thitydeius* vel *Thitieus ensis.*

454. *Jamque manum Æneas simul et Calydonius.* Sic scripsi, ductu codicis Helmst. et G. 2. Nam Torini ed. cum cod. A. scabrum versum exhibet: *Jamque manus Æneas et Calydonius heros.* Lips. etiam vitiose *Jamque Æneas simul manus et Calydonius heros.*

456. *Undique rimabant.* Sic omnes scripti et excusi, quos vidi. Hoc tamen verbum activa forma in nobiliore poeta reperiri vix puto. Sed indicium hoc est sequioris ævi, quo formæ istæ verborum dudum obsoletæ revocari in usum solebant. — Exemplum aliud vidimus, *contemplaverit*, in fragmento Nemes. de aucupio, v. 3; hujus op. t. I, p. 182. Ed. — Cæterum verborum *rimabant pectora ferro* sensus est, speculabantur et tentabant, qua parte vel quo loco vulnus infligerent adversario; idque magis declarat versus 458, tum versu 593 eadem formula plenius repetitur. — Sed fortasse legendum est *limabant*, i. e. stringebant, terebant, vel *libabant*, quod occurrit versu 610. Ed. — Hinc apparet, inepta et ab interpolatione profecta esse verba, quibus cod. Helmst. hunc versum fulcit: *Undique rimabant inimicaque corpora fundunt:* sed G. 2 legit *corpora ferro.* Similiter Saleius Bassus in carm. ad Pisonem, v. 171: « Et nunc vivaci scrutaris pectora dextra, Nunc latus adversum nec opino percutis ictu ». — Luculentius hunc rimandi et observandi actum describere videtur sane Silius, XIII, 163: « At non idem animus Rutulo; spectatur, et omni Corpore perlustrat, qua sit certissima ferro In vulnus via, nunc vibrat, nunc comprimit hastam, etc. » Ed.

Digitized by Google

Postquam utrique diu steterant, nec vulnera magnus
Qua daret infesto Tydides ense videbat,
Saxum ingens, medio quod forte jacebat in agro,
Bisseni quod vix juvenes tellure levarent,
Sustulit, et magno conamine misit in hostem.
Ille ruit prostratus humi cum fortibus armis,
Quem Venus æthereas genitrix delapsa per auras
Accipit, et nigra corpus caligine condit.
Non tulit Œnides animo, nebulasque per ipsas
Fertur, et in Venerem flagrantibus irruit armis,
Et neque, quem demens ferro petat, inspicit ante,
Cælestemque manum mortali vulnerat hasta.
Icta petit cælum terris Cytherea relictis,
Atque ibi sidereæ queritur sua vulnera matri.

458. *Postquam uterque diu steterat* G. 2 et L.

459. *Qua dederat infesto* A.

461. *Tellure levabant* exhibent editiones vulg. Sed *levarent* legendum esse quum constructio grammatica poscit, tum auctoritas codicis Burmanni firmat, quam Dorpius jure adlegat. Meorum codd. Helmst. habet *tellure moverent;* G. 2 *movebant.* Cæterum et hanc ῥῆσιν fere totam aptavit sibi Noster e Virgilio, Æn. XII, 896 seqq. « Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens, Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat: Vix illud lecti bis sex cervice subirent ». Homerus multo modestius de magnitudine saxi, quod Diomedes jaciebat, V, 303, saxum fuisse, quod viri duo hodierni ævi non ferrent.

463. *Prostratus humi* H. reliqui *humo.*

464. *Dilapsa* L. et A.

465. *Caligine texit* H. *condit* et *texit* G. 2.

466. *Non tulit Eonides* L. *Enoides* A. Ut elegantissimos versus sequentes laudandos censet Barthius, Adv. p. 2770 extr.

467. *Flagrantibus armis.* Vid. not. ad versum 394.

468. *Ferro petit* G. 2. *Ferro secat* A. *Petat* legendum est absque dubio.

469. *Vulnerat hasta* scripsi pro vulgato *ense*, quod Homerus ita tradit, Il. V, 337, et duo codices mei, quamquam G. 2 simul *ense* pro variante ponit. Idem de se fatetur Diomedes apud Virg. Æneid. XI, vs. 276: « quum ferro cælestia corpora demens Adpetii, et Veneris violavi vulnere dextram ». Et apud Ovid. Met. XV, 769, Venus de se: « Quam modo Tydidæ Calydonia vulneret hasta ».

471. *Sidereo queritur sua vulnera Marti* præferunt scripti et impressi, sed monente cel. Dorpio, p. 122, libens reposui *sidereæ matri.* Idemque jubet Homerus; qui quidem narrat, Venerem vulneratam a fra-

Digitized by Google

Dardanium Ænean servat Trojanus Apollo,
Accenditque animos, iterumque ad bella reducit.
Undique consurgunt acies, et pulvere cælum
Conditur, horrendisque sonat clamoribus æther.
Hic alius rapido dejectus in æquora curru
Proteritur, pedibusque simul calcatur equorum;
Atque alius volucri trajectus corpora telo,
Quadrupedis tergo pronus ruit : illius ense
Dejectum longe caput a cervice cucurrit;
Hic jacet exanimis fuso super arma cerebro.
Sanguine manat humus, campi sudore madescunt.
Emicat interea Veneris pulcherrima proles,
Densaque Graiorum premit agmina, nudaque late
Terga metit gladio, funestaque prælia miscet.

tre Marte currum et equos petiisse, quibus perveheretur in cælum, ibi vero questam esse apud matrem Dionen, Iliad. V, 370: Ἡ δ' ἐν γούνασι πῖπτε Διώνης δῖ' Ἀφροδίτη Μητρὸς ἑῆς. Sæpius confundi a librariis *matris* et *Martis* nomina, exemplo est Virg. Æn. IX, 584, ubi vulgares edd. *Martis luco* exhibent, sed Macrob. V, 18, *matris legit*, quo nomine equidem matrem Palicorum Thaliam, quæ ibi colebatur, puto intelligi. Induxit fortasse librarios, quod apud alios poetas Martis quidem a Venere appellati, non item Diones matris, mentio fieret, ut apud Ovid. Rem. Am. 5: « Non ego Tydides, a quo tua saucia mater In liquidum rediit æthera Martis equis ».

473. *Reducit* restitui e cod. Helmst. quum vulgati habent *reduxit*.

475. *Horrendumque sonat* G. 2.

476. *Hinc alius* G. 2.

477. *Conteritur* est in editis : prætuli *Proteritur*, quod H. et G. 2 habent. Similiter Virgilii Æn. XII, 329: « Semineces volvit multos, aut agmina curru Proterit ».

479. *Quadrupedis tergo*. Si equitantem intelligit auctor ob vulnus equo delabentem, scripsit contra sensum Homeri, et contra morem scriptorum belli Trojani, qui equites in bello ignorant, et heroes de curribus pugnantes produnt. Talis error etiam infra occurrit versu 496, ubi Agamemnon *sublimis equo volat agmina circum*. Potest quidem pro equitatione adduci locus Homeri, Il. X, 513; sed quia ἵπποις ἐπεβήσατο dicit, videntur equi curru juncti commode posse intelligi. Wernsdorf. in Addendis.

481. *Hic jacet exsanguis* G. 2. Similiter Virg. Æn. IX, 753: « Collapsos artus atque arma cruenta cerebro Sternit humi moriens ».

485. *Terga metit gladio*. Dusseniius in Prodr. p. 27 præfert *petit gladio*. Et sane hoc aptius videtur, siquidem Noster et inf. v. 594 scri-

Digitized by Google

Nec cessat spes una Phrygum, fortissimus Hector,
Sternere cæde viros atque agmina vertere Graium.
Ut lupus in campis pecudes quum vidit apertis,
Non ductor gregis ipse comes, non horrida terret
Turba canum, premit esuriens et negligit omnes,
In mediosque greges avidus ruit; haud secus Hector
Invadit Danaos et territat ense cruento.
Deficiunt Graiorum acies, Phryges acrius instant,
Adtolluntque animos: geminat victoria vires.
Ut vidit socios infesto cedere Marti

psit: *Et modo terga petunt.* Nolo tamen decernere, quoniam Nostro non ubique justa ratio verborum suorum constat, et fortasse animo ejus obversatum est hemistichium Virgilii, Æn. X, 513: «Proxima quæque metit gladio».

486. *Spes una Phrygum*, frequens elogium Hectoris. Pentadius in tumulo Hectoris: *Occubuere simul spesque salusque Phrygum;* atque infra Noster, v. 944: «Unus, tota salus in quo Trojana manebat, Hector adest». — Et iuprimis Virgil. Æn. II, 281: «O lux Dardaniæ! spes o fidissima Teucrum!» Ed. — Cæterum hæc et sequentia Barth. Adv. p. 2771, admirabiliter scripta esse profitetur.

488. *Pecudes quum cernit* edd. vulg. *pecudes dum vidit* H. *quum vidit* G. 2, et hoc mihi optimum visum est. Omnino tersa et ἐνεργὴς hæc descriptio est lupi in greges irruentis, maxime propter extrema verba. Mallem tamen leonem pro lupo posuisset. Hujus enim non tam intrepida et custodum secura vis est, qualis hoc loco describitur, quam leonis, et scite insidiosum magis, quam fortem, lupum describit Virgil. Æn. XI, 810 seqq. Placuit sibi aliquantum auctor hac comparatione, judice Barthio, pag. 2771, ut paullo post similem repeteret leonis. In quo perperam fecisse ille, nimisque luxuriatus videri potest, nisi hoc ex ipsius Homeri imitatione fecit, qui duobus locis parum disjunctis Diomedem cum leone pecudes irruente comparat, Iliad. V, 136 et 161. Virgilio ista comparatio, ut Homero ipsi, frequens est. Vid. Æn. IX, 339 seqq. et X, 723 seq. Conf. *Tigris* apud Ovid. Metam. V, 164 seq.

490. *Premit esuries* correxit manus antiqua in exemplari bibliothecæ Lips. Sed *esuriens* omnes libri habent, et melius sensui cohæret. — Cæterum his similia loquitur Val. Flaccus, VI, 615: «nec cæde moratur in una Turbidus, inque omnes pariter furit». Ed.

492. *Ense cruento* H. G. 2 et A. quod malui, quam vulgatum *ense corusco.*

494. *Adtolluntque animos* e Virgilio, ut præcedens *Deficiunt*, est, Æn. XII, 2, 4. — *Geminat victoria vires*, graviter dictum, quod repetit versu 768.

495. *Ut vidit socios.* Hic abest a codice Guelferbytano secundo.

Digitized by Google

Rex Danaum, sublimis equo volat agmina circum,
Hortaturque duces, animosque in prælia firmat.
Mox ipse in medios audax se proripit hostes,
Oppositasque acies stricto diverberat ense.
Ut Libycus quum forte leo procul agmina vidit
Læta boum passim virides errare per herbas,
Adtollit cervice jubas, sitiensque cruoris
In mediam erecto contendit pectore turbam :
Sic ferus Atrides adversos fertur in hostes,
Infestasque Phrygum proturbat cuspide turmas.
Virtus clara ducis vires accendit Achivum,
Et spes exacuit languentia militis arma.
Funduntur Teucri, Danai lætantur ovantes.
Tandem hic Æneam immisso contendere curru
Conspicit Atrides, strictoque occurrere ferro
Apparat, et jaculum, quantum furor ipse movebat,
Viribus intorquet, quod depulit error ab illo
Pectus in aurigæ, stomachoque infigitur alto.

502. *Adtollit cervice jubas.* Virgil. Æn. X, 726, de leone : « Gaudet hians immane, comasque arrexit ». Lucanus, I, 209 : « Erexitque jubam ». Similiter Olympius Nemesian. Laud. Hercul. 93 : « Excussis movet arma toris ».

505. Etiam hic scribendum putavi *proturbat* pro vulgato *perturbat*, ut monui ad vers. 448. G. 2 habet *turbabat cuspide.*

507. *Et spes exacuit.* Virg. Æn. X, 263 : « spes addita suscitat iras : Tela manu jaciunt ».

509. *Hic tandem Æneam misso contendere* legit G. 2 : sed merito retinui vulgatam lect. *immisso*, quam etiam servat scriptus A, sed *tendere* ponit pro *contendere*. Virg. Æneid. XI, 889 : « immissis pars cæca et concita frenis Arietat in portas ». Ovid. Met. I, 280 : « Fluminibus vestris totas immittite habenas ».

510. *Stricto concurrere ferro Hinc parat* G. 2. *Occurrere ferro Tentat et jaculum* A.

511. *Quantum furor.* Malim hic legere *quantas furor ipse movebat*, scil. vires. Sic Virgil. Æn. V, 454 : « vim suscitat ira, Tum pudor incendit vires et conscia virtus ». — Et Gratius in Halieut. 56 : « et viribus addidit iram ». Vid. hujus operis t. I, part. 1, pag. 223. Ed. — Pro *movebat* G. 2 legit *manebat.*

512. *Depulit error.* Ovid. Metam. XII, 83 : « quamquam certa nullus fuit error in hasta ».

513. *Stomachoque infigitur.* Virgil. Æn. IX, 698 : « volat Itala cornus Aera per tenerum, stomachoque infixa sub altum Pectus abit ».

Digitized by Google

Ille ruens ictu media inter lora rotasque
Volvitur, et vitam calido cum sanguine fundit.
Ingemit Æneas, curruque animosus ab alto
Desilit, et valido Crethonem cominus ictu
Orsilochumque ferit : quorum post funera victus
Paphlagonum ductor Menelai concidit armis,
Antilochique Mydon : post hos Jovis inclyta proles
Sarpedon sequitur, funestaque prælia miscet.
Quem contra infelix non æquis dimicat armis
Tlepolemus, magno satus Hercule; sed neque vires
Hunc servare patris, nec tot potuere labores,
Quin caderet, tenuemque daret de corpore vitam.
Saucius egreditur medio certamine belli

514. *Media inter lora.* Virg. Æn. XII, 468 : « Aurigam Turni media inter lora Metiscum Excutit ».

515. *Claro cum sanguine* præbet H. sed hoc ineptum, et *calido* probat Virg. Æn. IX, 414 : « vomens calidum de pectore flumen »; et v. 422 : « calido mihi sanguine pœnas Persolves ».

517. Vulgatæ legunt *et valido Cretheona.* G. 2 *valido Credonia.* Ex Hom. Il. V, 542, legendum *Crethona,* quod quum metri ratio respueret, latinum casum *Crethonem* reposui.

518. *Orsilochum* postulat Homerus l. c. vulgatæ habent *Tersilochum.* In fine versus legunt excusi *post funera victor,* quod merito suspectum est. Barthius l. c. p. 2771, sub eo vocabulo latere putat nomen ductoris Paphlagonum, quod tamen, nempe Pylæmenis, metrum non capit; nec aliud ex Homero, Il. V, 576, huc trahi potest. Cl. Bondam. l. c. p. 162 conjicit mutandum esse in *victus,* quod sequor, quia melius non succurrit. Ludibria scriptionum, quibus vocem Paphlagonum hic corrumpunt scripti et excusi libri, non repeto.

520. *Antilochique Mydon :* sic legendum esse ex Homero Bondamius monstravit. Excusi habent *Antilochumque Mison.* A. *Amphilogumque.* H. et G. 2 *Milon.*

521. *Sarpedon sequitur.* Amplexus sum scripturam codicis Helmst. ut liquidissimam : cæterorum librorum lectiones interpolatione corruptæ apparent. Ed. Tor. *Sarpedon bello funesto prælia miscet.* Codex G. 2 : *Sarpedon in bella snbit funestaque miscet.* A. et Lips. *Sarpedon bella funestaque prælia miscet.*

523. *Tlepolemus* legendum esse ex Hom. Il. V, 628, apparet, quod et Bondamius vidit. Alias libri scripti et impressi habent *Triptolemus.*

525. *Tenuemque daret de corpore vitam,* i. e. redderet spiritum. *Tenuem vitam* vocat ex mente eorum, quos Virgilius laudat Georg. IV, 223, qui animas quasque animantium particulas esse animæ mundi dicebant, eoque redire per mortem « Hinc, inquit l. c. Quemque sibi te-

Digitized by Google

Sarpedon, fraudisque subit commentor Ulysses,
Et septem juvenum pulcherrima corpora fundit.
Hinc pugnat patriæ culmen, Mavortius Hector,
Illinc Tydides: sternuntur utrimque virorum
Corpora per campos, et sanguine prata rigantur.
Pugnat bellipotens casta cum Pallade Mavors,
Ingentemque movet clypeum, quem sancta virago
Ægide et extrema percussum cuspide cædit,

nues nascentem arcessere vitas.» Et Æn. IV, 705: « omnis et una Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit ».

527. *Fraudis commentor Ulysses* dicitur, veluti hoc ejus fuerit artificium, inquit Barthius, Adv. LIX, 15, quale ab Homero aliisque Veteribus ei perpetuo tribuitur. Virgil. Æn. II, 164: « scelerumque inventor Ulysses »: idemque repetit Noster infra, v. 579. Similiter Ovidius de eo, Met. XIII, 31: « quid sanguine cretus Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi », cujus et *commenta* mox notat vs. 38. Hinc etiam, notante Dussenio ad Nostri versum 65, Ulysses in ara Dosiadæ secunda φὼρ appellatur, ut pluribus ostendit Salmasius in notis, p. 156.

528. *Et septem juvenum*, Lyciorum, quos enumerat Homerus, Il. V, 677, Cœranum, Alastora, Chromium, Alcandrum, Halium, Noemona, Prytanim.

529. Guelf. 2 aliter verba ordinat: *Hinc patriæ culmen pugnat.* Dussenius mavult *columen* legere, p. 29; quod sane maxime aptum Hectori, atque alteri elogio, quod ei supra tribuebat Noster, v. 486, *spes una Phrygum*, convenientissimum est. Similiter Seneca in Troad. vs. 126, de Hectore: « Columen patriæ, mora fatorum, Tu præsidium Phrygibus fessis, Tu murus eras ».—« Graium murus Achilles », Ovid. Met. XIII, 281. Lucan. VI, 201, de Scæva: « stat non fragilis pro Cæsare murus, Pompeiumque tenet ». Cæterum quod addit Seneca l. c. « Tecum cecidit, summusque dies Hectoris idem patriæque fuit », imitatus videtur Noster, infra vs. 1061. Vide notata a nobis ad Pentadii tumulum Hect. huj. op. t. II, p. 329. Ed. — Verum tamen nolim vocabulum in ipso contextu mutare, quum *culmen* adeo non disconveniat Hectori, ut saltem summam ejus dignitatem indicet. Ita plane Cornel. Severus Ciceronem vocat « Egregium semper patriæ caput », supra pag. 211 hujus tomi.

530. *Illic Thitides* G. 2.

533. *Clypeo quem sacra virago* legit G. 2. *Virago* frequens et fere proprium de Pallade. *Flava virago* Nasoni dicitur Met. VI, 130, « sancta virago », judice Barthio l. c. p. 2806, castam simul innuit et Martiam seu bellicosam.

534. *Egit, et extrema* hic quidem omnes libri legunt. Dussenius tamen p. 29 legendum putat *Fregit*, de clypeo, qui præcessit, intelligens, idque confirmari Ovidii loco, quem Noster imitatus sit, Met. V, 172: « Non circumspectis exactum viribus ensem Fregit ». Sed mihi

Digitized by Google

Attonitumque simul cælum petere ipsa coegit.
Hic ille æthereo queritur sua vulnera regi
Saucius, et magni genitoris jurgia suffert.
VI. Interea magnis Acamantem viribus Ajax
Interimit, vastumque capit Menelaus Adrastum,
Et rapit ad classes manibus post terga revinctis,
Ut vivo ducat lætos ex hoste triumphos.
Incumbunt Danai, cedit Trojana juventus,

non dubium est, legendum esse, *Ægide et extrema percussum cuspide cædit*. Nam et *ægida* Pallas existimanda est opposuisse *clypeo* Martis, quem ante nominavit auctor, et in debellando Marte necesse fuit ægide uti, in qua maxima vis Palladis inesse credebatur. Unde et Jupiter dicitur ægide Achivos fugasse apud Homer. Iliad. XVII, 593. Quam facile verba *Ægide et* corrumpi in *Egit et* potuerint a librariis, sciunt qui scribendi morem, medio ævo consuetum, tenent. Et quamquam Homerus, qui hæc narrat, Iliad. V, 841, nullam ægidis mentionem injicit, Noster tamen, qui Homero raro adhæret, et poetas latinos sæpe sequitur, hoc loco fortasse Horatium respexit, qui Palladem hoc ipso in certamine ait ægidem adhibuisse, Carm. I, 15, 11: « Jam galeam Pallas et ægida Currusque et rabiem parat ». — Et Ovidius, Met. V, 47: « Bellica Pallas adest, et protegit ægide fratrem ». Ed.

536. *Illic æthereo* G. 2. Repetit versum, quem supra pari de re adhibuit v. 471.

537. *Jurg. suffert*. Vid. v. 61 et 104.

538. *Acamantem* legunt Bondamius et Dussen. ll. cc. ex Homeri VI, 8. Vulgatæ *Atamantem*.

539. Vulgatæ hic legunt *magnumque petit Menelaus Adrastum*. Dussenius in Prodr. pag. 31 rescribere jubet *miserumque petit*, propter narrationem Homeri, Iliad. VI, 37 seqq. qui refert, Adrastum equis pavore attonitis excussum, vivumque a Menelao prope adstante captum suppliciter hunc orasse, ut vitæ suæ parceret; atque hoc prius impetrasse, mox ab Agamemnone accurrente, et Menelaum objurgante, graviter vulneratum esse. Adrasto igitur talem fortunam subeunti minus convenire τὸ *magnum*, verius τὸ *miserum*. Sed hanc correctionem superfluam reddit sana lectio codicis H. et G. 2, quam dedimus: *vastumque capit Menelaus Adrastum*. E qua intelligas, auctorem non hic miseras preces Adrasti respexisse, sed tantum casum ejus et captivitatem exprimere voluisse. — Malim ex Homero *lapsumque*. Ed.

540. *Et rapit* ponere volui ex H. et G. 2 pro vulgato *trahit*.

541. Dedimus genuinam lectionem codicis H. et G. 2. Edd. perperam exhibent *Ex hinc deducit lætos*. Cæterum truncavit hic auctor narrationem Homeri nimia brevitate. Nam quod Adrastus captus est, et ad naves deduci jussus, id solum narrat; reticuit autem, quod gravissimum erat, Adrastum ab Agamemnone, Menelai clementiam incusante, occisum.

Digitized by Google

Tergaque nuda tegit : sensit Mavortius Hector
Pro Danais pugnare Deos, validasque suorum
Virginis armigeræ subduci numine vires.
Continuoque petit muros, Hecubamque vocari
Imperat, et Divæ placari numina suadet.
Protinus armatas innuptæ Palladis arces
Iliades subeunt, festisque altaria sertis
Exornant, cæduntque sacras de more bidentes.
Dumque preces Hecube supplex ad templa Minervæ
Pro charis genitrix natis et conjuge fundit,
Interea Glaucus stricto contendere ferro
Cum Diomede parat, nomenque genusque roganti,
Quis sit, et unde ferat, magnis cum viribus hastam
Mittere tentabat; tentanti Ætolius heros,
« Quo ruis! exclamat; quæ te, scelerate, furentem
Mens agit imparibus mecum concurrere telis?
Hospitis arma vides, Veneris qui vulnere dextram

543. *Tergaque nuda tegit*, clypeis puto, ne impune cædantur. Virg. Æn. XI, 630 : « Bis rejecti armis respectant terga tegentes ».

546. *Hecubamque vocare* G. 2.

548. *Armatas* nescio an satis conveniens vocabulum sit, nec tamen aliud e scriptura librorum petendum. — *Innuptæ Minervæ* Virgil. Æn. II, 31.

549. *Altaria sertis*. Placandis scilicet numinibus, inquit Barthius l. c. Veteres non tantum victimas adhibebant, sed etiam coronas, aris cingendis, addo etiam delubris. Virg. Æn. II, 249 : « Nos delubra Deum... festa velamus fronde per urbem » ; et IV, 202 : « variis florentia limina sertis » ; idem, Georg. IV, 276, « Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus aræ ».

550. *Ex more bidentes* vulgatæ ; *de more* H. idque rectius, et est Virgilii, Æneid. IV, 57 ; V, 96. — *Sacras ad templa bidentes* G. 2 : quod sine dubio per errorem e versu sequente huc migravit.

553. *Decernere ferro* G. 2.

555. *Et unde ferat*, scilicet arma : sic dedi ex H. et G. 2. Vulgatæ *Quis sit et unde foret*.

557. *Te, scelerate :* hoc profecto durius est, quam pro blanda oratione Diomedis, quæ est apud Homerum, Iliad. VI, 123 seqq. neque tamen juvat quidquam lectio codicis H. *te celerare furentem*. — Sed *sceleratum* sæpe pro molesto et impio adhiberi monet Barthius, Adv. XXV, 15 ; ut Virgilius quidem « sceleratum frigus » dixit, et Rutilius : « Obruerint citius scelerata oblivia solem ». Ed.

559. *Veneris quæ vulnere dex-*

Digitized by Google

Perculit, et summo repulit certamine Martem.
Pone truces animos, infestaque tela coerce».
Post hæc inter se posito certamine pugnæ
Commutant clypeos, inimicaque prælia linquunt.
Colloquium petit interea fidissima conjux
Hectoris Andromache, parvumque ad pectora natum
Astyanacta tenet, cujus dum maximus heros
Oscula parva petit, subito perterritus infans
Convertit timidos materna ad pectora vultus,
Terribilemque fugit galeam, cristamque micantem.
Utque caput juvenis posito detexerat ære,
Protinus infantem geminis amplectitur ulnis,
Attollensque manus : « Precor, o pater optime, dixit,

tram omnes dant. Barthius, Advers. p. 2807 hic docet iterandam esse vocem *dextram* hoc modo : Vides dextram, quæ Veneris dextram vulneravit; et esse figuram poetis usitatam, qua, ubi vox quædam eodem positu duabus rebus convenire possit, semel eam tantum ponant, sic tamen ut ambobus locis debeat aptari. Sic Nostrum versu 964 particulam *quam* omisisse putat, quum geminare debuisset : *Quam post elapsam*, i. e. Quam postquam elapsam vitavit. Sed præstat hoc loco legere *qui vulnere*, ut simplicius ad præcedens *hospitis* referatur.

560. Pro *Perculit* G. 2 perperam scribit *Protulit*. Porro *pupugit certamine* H. fortasse *retudit* aptius. — Sed hoc, ut alia similiter composita, *repulit*, *recidit*, apud bonos poetas prima longa adhiberi solet. Et Jo. Schraderus, in Præfat. ad lib. Emend. p. 42, probabilius emendat : « summo pepulit certamine Martem ». Ed.

562. *Post hoc* G. 2 et ed. L.

565. *Ad pectora natum tenet*. Virg. Æn. VII, 318 : « Et trepidæ matres pressere ad pectora natos ».

569. *Cristamque micantem*. Sic dant edd. et scriptus H. a quo parum abludit G. 2, qui *minantem* habet. Cel. Dorpius, Observ. p. 123, multo aptius putat *comantem* legere, ut *cristæ comantes* sæpe apud Virg. Eam correctionem confirmari ait codice Burmann. atque hoc Statii, Theb. IX, 107 : « Lycus excelso terrore comantem Perstrinxit galeam ». Ego vero non movendum illud *micantem*, neque sine caussa id ab auctore adhibitum credidierim. Nam *micare* poetis sæpe idem est ac vibrari et tremere. Crista vero galeæ eo maxime terrebat infantem, quod valde micabat nutabatque adversus ora ipsius. *Manus jactare micantes* vidimus in Calp. Ecl. II, 26. Ovid. Her. V, 37 : « Attoniti micuere sinus ». Idem, Met. IX, 37 : « Et modo cervicem, modo crura micantia captat ».

570. *Juvenis*, de quovis bellatore dicitur; hic de Hectore. — *Posito ære*, deposita galea ærea.

Digitized by Google

Ut meus hic, pro quo tua numina, natus, adoro,
Virtutes patrias primis imitetur ab annis».
VII. Hæc ait, et portis acies petit acer apertis:
Una deinde Paris: postquam ad certamina ventum est,
Protinus in medium procedit maximus Hector,
Graiorumque duces invictis provocat armis.
Nec mora, continuo fraudis commentor Ulysses,
Et ferus Idomeneus, et notus gente paterna
Meriones, Graiumque simul dux acer Atrides,
Ajacesque duo clari, speciosus in armis
Eurypylus, magnoque Thoas Andræmone natus,
Quique manum Veneris violavit vulnere tristi,
Procedunt: aberat nam Troum terror Achilles,
Et dulci cithara dirum lenibat amorem.

573. *Tua munera natus* G. 2.

574. Pro *imitetur* Anton. *de Rooy*, Spicil. crit. p. 97 conjicit *miretur*, ex imitatione Virgilii, Æn. VIII, 517: «tua cernere facta Adsuescat, primis et te miretur ab annis». Ego vero magis aptum personæ Hectoris patris, de filio loquentis, verbum puto *imitetur*, quam si dixisset *miretur*. Jactantius id verbum, ubi pater de semetipso loquitur. Ut vero imitetur se filius, id dignum patre monitum. Præterea necessarium est verbum *imitetur*, quod addit *patrias virtutes*. Has imitari decet, mirari magis personam propter virtutes. Magis respicere scriptor illud dictum Virgilianum potuit, quo Æneas filium hortatur, Æn. XII, 435: «Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis». — Cæterum, Schraderus, Emendat. c. 7, p. 141 observat, Virgilium aliosque *mirari* pro *imitari* frequentare, atque adeo librarios sæpe *mirari* in *imitari* mutare, ut apud Propert. II, 23, 117: «Quod si tu Graias, sive es imitata Latinas», ubi quatuor codices habere dicit *tuque es mirata Latinas*. Ed.

576. *Ad certamina* dedi ex H. *in certamina* edd. habent.

579. *Fraudis commentor*. Homerico more ex versu 527 repetiit.

582. *Claris speciosus* G. 2 et A. deleto commate.

583. *Magnusque Thoas* G. 2. *Andromone* A. L.

586. Scripti et impressi legunt *Et dulci cithara Divum lenibat amores*, quod quisque intelligit stare non posse, et facile adsentiet Dussenio, qui pag. 32 emendat *dirum lenibat amorem*, vel *diros amores*. Nam ipse Noster, supra, v. 25 *ferum amorem* dicebat, atque infra, v. 641 eadem fere dictione utitur: *Prædaque, quæ duros Menelai mulceat ignes*. Hic vero imitatus videtur Maronem, qui Georg. IV, 464, de Orpheo: «Ipse cava solans ægrum testudine amorem».

Digitized by Google

[Sortes miserunt, quis eorum in bella valeret]
Ergo ubi dejectis auratam regis Atridæ
Sortibus in galeam, magnus processerat Ajax,
Concurrunt armis Ajax crudelis et Hector.
Principio jactis committunt prælia telis,
Mox rigidos stringunt enses, et fortibus armis
Decernunt, partesque oculis rimantur apertas;
Et modo terga petunt, duros modo fortibus ictus
Depellunt clypeis : ingens ad sidera clamor
Tollitur, et vastis impletur vocibus æther.
[Alterni vibrant gladios, et vulnera miscent]

587. *In bella valeret* scribunt vulgatæ, pro quo malim *in bella veniret*. In cod. Helmst. hic versus deest, et in G. 2 post v. 588 mutatus legitur : *Sortes miserunt, quis bella valeret inire*. Ob eam rationem, et quia, quod ad sensum attinet, plane abundat, totus versus rectius videtur excludendus.

588. *Ergo ubi dejectis*. Sumpsit a Virgilio, Æn. V, 490 : « Convenere viri, dejectamque ærea sortem Accepit galea ».

590. *Concurrunt*. Etiam hic versus abest ab H, nec hic videtur plane necessarius.

593. *Decernunt* restitui ex H. et G. 2. *Decertant* habent vulg. In reliquo versu editiones legunt *partesque oculis rimantur apertis*. Barthius, Adv. p. 2807 mendum odoratur, et scribere jubet *partesque oculis rimantur opertas*, additque : *apertas partes rimari* non est sani judicii scribere, quum ea, quæ patent, rimatione opus non habeant. Sed Dussenius, pag. 33, felicius emendat *rimantur apertas*, h. e. ense vel hasta eas partes petunt, quæ oculis sunt apertæ. Ipse Noster sensum hujus versus declarat infra, vs. 605 : « quaque patebat Nuda viri cervix, fulgentem dirigit ensem ». Simili sententia Virgil. Æneid. XII, 920 : « telum Æneas fatale coruscat, Sortitus fortunam oculis ». — Respicit eum ritum pugnantium Cicero, in Verr. VII, 71 : « Si ullum locum aperuerimus suspicioni aut crimini, accipiendum est statim vulnus ». Ed.

596. *Impletur vocibus æther*. Sequentium versuum locus usque ad 604 mirum quantum turbatus, mutatus et interpolatus exstet in libris, ita ut singuli fere diverse exhibeant. Mihi necesse fuit ita corrigere et constituere, uti optimum videbatur. Plenior medela ab integriore codice exspectanda est. Et Guelf. 1, e quo ea peti certissime poterat, hic deficit.

597. *Alterni vibrant gladios;* ubi A. L. et T. legunt *Alternos fibrant gladios*. Hunc versum eo loco reposui, quo eum exhibet cod. Helmst. qui tamen *librant gladios* legit. Editiones, sicut etiam Guelf. 2, eum ponunt post verba *modo dentibus uncis* v. 599. Unde Barthius, Adv. p. 2807, existimat, auctorem *gladios dentium* dixisse de apris, uti *hastas dentium* Apuleius. Sed glossema esse

Digitized by Google

Non sic setigeri exacuunt fervoribus iras,
Pectoribusque premunt vastis, modo dentibus uncis
Fortia terga petunt, spumantque per ora vicissim:
Fumiferæ nubes, concretaque fulgura, et ignes
Jactantur, magnoque implentur murmure silvæ:

hunc versum, ex ipsa transpositione adparet. Eo quidem loco, quo eum codex Helmst. ponit, aptior videtur, ubi de Hectore et Ajace congressis adhuc sermo est, et *gladios* proprie accipere licet, sed tamen et ipse superfluus et male insertus est, quia vulnerum inflictorum meminit, de quibus demum post comparationem subjectam agere auctor voluit. Itaque tamquam suspectum sejunxi et uncinis inclusi.

598. *Exacuunt fervoribus iras.* Sic scripsi e vulgatis edd. MS Helmst. hunc versum mutat et uno altero auget: « Non sic setigeri rapidis fervoribus iras Exacuunt, silvas complentes murmure vasto ». Ego vero alterum ejicio, quia idem mox, fere ne verbis quidem immutatis, dicitur versu 602.

599. Libri quidem plures habent *Pectoribusque petunt*, sed ego *premunt* e versu sequente huc ducendum putavi, quod ibi legitur in vulgatis, et tamen minus convenit, quam hic *pectoribus*.

600. Editi habent *Fortia terga premunt;* ubi *fortia terga* dixit, quemadmodum paullo ante *fortes clypeos*. Scriptus tamen Helmst. *duraque terga petunt;* ubi *dura* etiam defendi usu poetarum potest, nisi forte copula *que* abundans istud minus genuinum indicet. Nam cur *dura* dicantur apri terga, explicat Virg. Georg. III, 256: « fricat arbore costas, Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat ». Hinc ab Olympio, Laud. Hercul. 110, aper vocatur « duratus armos scopulis ».

601. *Fumigeræ* habent editi: ego ex scripto H. dedi *fumiferæ*, quia hoc vocabulum usitatum aliis est, istud ignotum. « Fumiferos ignes » vocat Virg. Æn. IX, 522; « fumificos mugitus » Ovid. Metam. VII, 114. Supra etiam apud Nostrum *armigera* Pallas dicebatur pro *armifera*. In reliquo versu multum variatur a librariis. In G. 2 supra scriptum est *et crebri fulminis ignes*, infra *ignes et fulgura crebra*. In Helmst. super erasis literis similia scripta sunt, quæ difficulter leguntur. Ego propterea vulgatam lectionem non movi. Barthius vero l. c. adnotat, crasse hoc dictum ab auctore, quum fulgura et ignes ab apris exspirari dicat. Solent quidem ignes equis et tauris tribui a poetis (vid. Nemes. Cyneg. 255, et Petronii carm. de saga, vs. 11), fulmen etiam apro, sed hoc tamen illi moderatius faciunt, quam Noster. Ovidius, Met. VIII, 289, de apro Calydonio: « Fulmen ab ore venit, frondes adflatibus ardent »; et X, 550, « Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri ».

602. *Jactantur.* Etiam hic interpolatus vel corruptus Helmst. qui scribit *Implent* (et supra *Jactantur*) *implentur vicinæ murmure silvæ.*

Digitized by Google

[Talis Priamides, simul Ajax fortis in armis]
Tandem animis armisque furens Telamonius Ajax
Insignem bello petit Hectora, quaque patebat
Nuda viri cervix, fulgentem dirigit ensem.
Ille ictum celeri prævidit callidus astu,
Tergaque submisit, ferrumque umbone recepit,
Sed levis extremas clypei perlabitur oras
Ensis, et exiguo cervicem vulnere libat.
Acrius adversum rursus consurgit in hostem
Priamides, nec jam ferro Telamone creatum,
Sed magno saxi jactu petit : at ferus Ajax
Ingentem clypeo septemplice depulit ictum,
Et juvenem saxo percussum sternit eodem.
Quem levat exceptum Graiis inimicus Apollo,
Integratque animum : jam rursus ad arma coibant,

603. *Talis Priamides.* Et hic versus expungendus est, a ludimagistro adpositus, qui putabat præcedens simile hanc applicationem poscere. Sed comparatio v. 598 instituta ita formata est, ut ad antecedentia se referat, nullamque poscat apodosin. Indicium spurii versus etiam manca et abrupta ejus sententia est, et quod diversus vitioque maculatus exhibetur in codice Helmst. *Talis Priamides fortisque Æacides armis.* Et possis quidem hic subjungere, qui supra abundabat, versum 597 ; sed tamen ambo sine detrimento orationis abesse possunt.

604. *Animis telisque* H. *animis teloque* G. 2.

605. *Quaque petit* H. male.

608. Hic scripturam codicis H. sequi malui, quam editionum et A. quæ *submittit*, et *umbone repellit.* Post hunc versum in G. 2 intruditur alius absurdus : *Cedebat juveni paullum Mavortius heros*, qui sane nil aliud, quam absonam interpretationem verborum præcedentium *tergaque submisit* præ se fert.

609. *Perlabitur oras* scribit H. quod rectius esse puto, quam quod editi habent, *dilabitur.*

611. *Acrius in pugnam* H. *Acrior in pugnam* G. 2. *Acrius in pugna* A. Hinc forte scribendum est « Acrius impugnans, rursus consurgit in hostem ».

614. *Ingentis clypei* H. perperam : *depulit ictum* G. 2 : vulgatæ *reppulit. Clypeo septemplice* secundum Ovidium, qui Met. XIII, 2 ait, « clypei dominus septemplicis Ajax » ; et ejusdem libri, v. 346 : » frustra Telamone creatus Gestasset læva taurorum tergora septem ». Virgilius, XII, 925, de Turno : « orasque recludit Loricæ, et clypei extremos septemplicis orbes ».

616. *Quem levat exceptum* G. 2 et Annab. Vulgatæ *exemptum.*

617. *Integrat ac animum* G. 2.

Digitized by Google

Stringebantque iterum gladios, quum fessus in undas
Cœperat igniferos Titan immergere currus,
Noxque subire polum : juxta mittuntur, utrosque
Qui dirimant a cæde viros, nec segnius illi
Deponunt animos : tum bello maximus Hector :
« Quæ te terra virum, qui te genuere parentes?
Viribus es proles generosa atque inclyta? » dixit.
Contra hæc dicta referre parat Telamonius Ajax :
« Hesiona de matre vides Telamone creatum,
Nobilis illa domus fama, et generosa propago ».
Hector ut Hesionæ nomen casusque recordat,
« Absistamus, ait, sanguis communis utrique »;
Ajacemque prior aurato munerat ense,
Inque vicem, quo se bellator cinxerat Ajax,
Accipit insignem vario cælamine balteum.

Integrare, monente Barthio, Adv. p. 2807, pulchre est restituere in integrum, reficere; quemadmodum supra, v. 101, dixit : « Et Troum renovare velis in prælia vires ». Statius, Theb. VIII, 657 : « bellum integrabat Enyo ». Seneca, Medea, v. 672 : « semet dolor Accendit ipse, vimque præteritam integrat ».

618. *In undis* G. 2.

622. *Tum bello* G. 2. *Tunc* A. et T.

623. *Quæ te terra viris* A. mendose. Virg. Æn. I, 606 : « qui tanti talem genuere parentes ».

625. *Contra hæc dicta :* sic H. *Mox sic contra referre* G. 2. *At contra referre parat* A. et edd.

627. *Nobilis hæc domus et fama* G. 2.

628. Torini et Spond. edd. legebant *Hector et Hesionæ... recordans*. Dussenius, pag. 34, suadet legere *Hector at Hesionæ*. Sed MS Helmst. *Hector ut Esionæ nomen casusque recordat*. Sic et Guelf. 1, qui in hoc v. pergit, cum A. et Lips. ant. *Hector ut Esione ... recordans*. Horum auctoritate malo *ut* et *recordat* amplecti. Illud enim orationis seriem bene fulcit, et *recordat* dignum est hoc poetastro, quem antiquatas verborum formas subinde usurpare, ex pluribus exemplis novimus. — Videantur quæ supra adnotata sunt ad versum 456, et ad Nemesiani fragment. de Aucupio. Ed. — Cæterum Hesione, cujus hic mentio, Laomedontis Trojæ regis filia fuit, quam Hercules ceto expositam liberavit; postea Troja capta Telamoni, qui primus murum conscenderat, uxorem dedit. Ovid. Metam. XI, 216 sqq.

629. *Sanguis communis utrique* G. 1 et 2. Vulgatæ addunt *est*.

630. *Et prior Ajacem* H. G. 1 et L.

632. *Accipit insignem*. Hæc lectio est codd. H. et G. 2, melior sane, quam reliquorum : « Accepit balteum vario cælamine sculptum »

Digitized by Google

Post hoc extemplo Troum Danaumque catervæ
Discedunt, cælumque tegit nox atra tenebris.
Implentur dapibus largis Bacchique liquore,
Atque avidi placido tradunt sua corpora somno.
Postera quum primum stellas Aurora fugarat,
In cœtum venere Phryges, tum maximus Hector
Cum sociis, memorans hesternæ funera cædis,
Suadet ut invictis Helene reddatur Achivis,
Prædaque, quæ duros Menelai mulceat ignes;
Idque placet cunctis; tum sævo missus Atridæ
Pertulit Idæus Troum mandata, neque ille
Aut animum prædæ, aut dictis accommodat aures,
Ultro etiam castris Idæum excedere jussit.
Paruit hic monitis, iterumque ad castra reversus

Guelf. 1 exhibet *Concipit insignem. Balteum* dissyllabum fecit exemplo Virgilii, Æn. X, 496: « rapiens immania pondera baltei ». *Cælamina clypei* dicit Ovid. Met. XIII, 291.

636. *Atque avidi* restitui e G. 1, 2, A. et L. quum Tor. ed. haberet *avide*.

637. *Postera quum primum*. Bondamius æque putat Ovidium hoc versu ab auctore expressum, Met. XV, 665: « Postera sidereos Aurora fugaverat ignes »; et Met. IV, 81: « Postera nocturnos Aurora removerat ignes ». — Et poterat advocari Virgilii locus, Æneid. III, 521: « Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis ». Ed. — Ego vero Virgilii potius locum hic usurpatum video Æn. V, 42: « Postera quum primo stellas Oriente fugarat Clara dies, socios in cœtum litore ab omni Advocat Æneas ». Lips. antiqua dedit *fugaret*, minus recte.

638. *Tum maximus* G. 1 et 2: reliqui *tunc*.

639. *Funera cædis* habent tres mei scripti, quibus alludit A. et L. tenens *funera necis*. Hoc igitur summo jure revocavi, quum vulgata lectio *funera noctis* per se inepta et aliena sit. Etenim nocte præterita nulla funera facta erant.

641. *Volnerat ignes* H. *moverat* G. 1: neutra lectio vulgatæ præstat.

642. Edd. hic falso exhibent *cum sævo:* necessarium est *tum*, quod G. 1 et 2, et antiqua Lips. tenent.

644. Admodum corruptus hic versus in ed. Tor. et Spond. exstat: *neque ille Aut animum precibus, nec dictis porrigit aures*. Cæteri variant. Antiqua Lips. *Aut animum prece, aut dictis porrigit aures*. Helmst. scriptus: *prædæ aut dictis commodat aures*. Guelf. 1: *prædæ vel dictis commodat aurem*. G. 2: *prædæ vel dictis accommodat*. A. *prædæ aut dictis porrigit*. E singulis colligi potuit vera lectio, quam dedi.

645. *Ultro de castris* G. 2.

646. *His monitis* G. 1, A. et L.

Digitized by Google

Trojæ, contemptum duro se reddit ab hoste.
Interea Danai confusi cæde suorum
Ingentes struxere pyras, collectaque passim
Fortia tradiderunt sociorum corpora flammis.
Tum renovant fossas, et vallum robore cingunt.
VIII. Ut nitidum Titan radiis patefecerat orbem,
Convocat in cœtum Superos Jovis, et monet omnes,
Ne contra sua dicta velint contendere Divi.
Ipse per æthereas cæli delabitur auras,
Umbrosisque simul consedit montibus Idæ:

647. *Contemptum duro se narrat ab hoste*, sic habent A. et editi L. T. Sp. Sed H. G. 1 et 2 melius *duro se reddit ab hoste*. Neque enim oratio ipsa Idæi ab Homero refertur, qua se contemptum narret. Neque offendere debet *se reddit*, quod jam adfuit *iterum reversus*. Talis enim pleonasmus frequens est bonis scriptoribus. Suetonius in Jul. cap. 2: « intra paucos rursus dies repetita Bithynia ». Plautus in Pœnuli Prol. 79: « Revertor rursus denuo Carthaginem ».

648. *Confusi a sede* H. perperam. *Confundi* dicunt sequioris latinitatis scriptores pro perturbari animo. Sic Juvenal. Sat. III, vs. 2: « Quamvis digressu veteris confusus amici ». Plinius, Epist. V, 5, 1: « qui nuntius gravi me dolore confudit ». Idem, Paneg. c. 86: « Quam ego audio confusionem tuam fuisse, quum digredientem prosequereris ». Infra, v. 681, dicit Noster: « Danai turbati cæde suorum ».

650. Pro *tradiderant*, quod in vulgatis est, Dussenius, pag. 34, restituendum arbitratur *tradiderunt*, et recte. Nam talia a librariis metri legum imperitis et consuetudinis poetarum ignaris sæpius commutata esse constat. A. mendose *Fortia tenderunt*.

651. *Tunc removent fossas* vulgatæ edd. tenent, quod Barthius dudum, pag. 2807, mutandum in *renovant* censuit, i. e. reficiunt et instaurant. Sed quod ille conjectura adsequutus est, ultro offerunt libri veteres. *Tunc renovant* legunt H. G. 2, et L. *Tum renovant vires* G. 1. Pro *robore cingunt* G. 1 habet *robore firmant*. Robur, notante Barthio, designat ligneam sepem, roboreum cinctum. Talis autem roborei valli sæpe Noster meminit, ut v. 683 et 764.

652. *Jam nitidum* H. Hunc versum Bondamius l. c. monet ex hoc Ovidii effictum esse, Met. IX, 796: « Postera lux radiis totum patefecerat orbem ». Sic et Virg. Æn. IV, 118: « ubi ortus Extulerit Titan radiisque retexerit orbem ».

653. *Superos Jovis* H. A. et L. *Superos pater* T. sed *Jovis* satis videtur auctoritate munitum. — *Et monet armis* H. *et monet orbem* G. 1.

654. *Sua dicta* H. G. 1 et 2. *Sua fata* vulgatæ.

655. *Dilabitur* G. 2, A. et L. *horas* G. 2.

656. *Consedit montibus* G. 1 et 2, A. L. *concedit* ed. Tor. et Sp. — Pro

Digitized by Google

Inde acies videt Iliacas, dextraque potenti
Sustinet auratas æquato pondere lances,
Fataque dura Phrygum, casusque expendit Achivum,
Et Graium clades gravibus præponderat armis.
Interea Danaos ingenti concitus ira
Priamides agit, et totis gravis imminet armis,
Unum quippe decus Phrygiæ : turbantur Achivi,
Doricaque ingenti complentur castra tumultu.
Hortatur socios muris inclusus Atrides,
Languentesque animos juvenum in certamina firmat.
Princeps Tydides ardentibus emicat armis,
Per mediosque hostes immani turbine fertur.
Hic illi occurrit fatis Agelaus iniquis
Telum immane manu quatiens, quem maximus heros
Occupat, et duro medium transverberat ense.
Hinc Phrygas Ajacis vastis protectus in armis

simul legendum videtur *super*, quemadmodum hoc supra, vs. 65, cum *simul* permutatum est. Ed.

657. *Inde videns aciem Iliacam* H. *Tum videt acies Iliacas* G. 2.

659. *Fataque dira* H.

661. *Conditus ira* G. 2 mendose.

662. *Totis super eminet armis* edd. legunt, inepte : rectius *totis gravis imminet* H. G. 1 : *et totis imminet* G. 2.

664. *Ingenti explentur* A. et L.

667. *Ardentibus armis*, ut supra v. 394, *flagrantia arma* dixit. Ed.

668. *Cum magno turbine* H.

669. *Hinc illi* L. Nomen *Ægæus* suppositicium hic in omnibus scriptis et excusis legitur, ut supra v. 377 et 405. Monente cl. Bondamio l. c. p. 164, hoc loco ponendus est *Agelaus* Phradmonides, quem hasta per tergum et pectus a Diomede trajectum Homerus memorat, Iliad. VIII, 258.

671. *Ac duro medium* G. 1, *et medium diro* H. Pro *ense* hic dicendum erat *hasta*, secundum Homerum, atque id fortasse in alio codice invenitur. Nam et aliis locis Nostri, ensem et hastam commutata a librariis vidimus.

672. Libri excusi legunt *Hinc Phrygias acies vastis protectus*. In iis verbis nemo facile mendum animadverteret, nisi boni codices id indicarent. Sed Helmst. et G. 1 clare produnt *Hinc Phryges Ajacis*. Quod verum esse Homerus ostendit, qui tradit, Teucrum Ajacis scuto protectum multos Trojanos sagittis interfecisse, Iliad. VIII, vs. 266 : Τεῦκρος δ' εἴνατος ἦλθε, παλίντονα τόξα τιταίνων. Στῆ δ' ἄρ' ὑπ' Αἰαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο· et v. 272 : ὁ δέ μιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ. Putem τὸ *Phryges* codicis mutandum in *Phrygas*, et pro *in armis* forte melius *ab armis*.

Digitized by Google

Teucer agit, spargitque leves in terga sagittas:
Gorgythiona ferum letali vulnere fundit.
Mox alias acies petit, aurigamque superbi
Hectoris obtruncat, quem saxo Troius heros
Occupat, excussoque incautum proterit arcu.
Ast illum fidi rapiunt de cæde sodales,
Prostratumque levant: ruit undique turbidus Hector,
Adversasque acies infesta cuspide terret.

Sed rursus Danai turbati cæde suorum
Concurrunt, iterumque leves in castra catervæ
Confugiunt, portasque objecto robore firmant.
At Phryges obsidunt inclusos aggere Graios,
Excubiisque premunt muros, flammisque coronant.
Cætera per campos sternit sua corpora pubes,
Indulgentque mero, curas animosque resolvunt.

674. Pro *Corisiona*, quod vulgatæ habent, *Gorgythiona* legendum ex Hom. Iliad. VIII, 302, monuit cl. Bondamius l. c. et prope accedunt G. 1 et 2, *Coriphiona* legentes. *Cretionaque satum* H. et *Carphiona... fudit* A.

675. *Mox alias acies petit.* Dussenius, p. 36, hic volebat refingere *Mox alios ardens petit.* Cl. *de Rooy*, Spic. crit. p. 98, mavult *Mox alios acie petit*, quod equidem prætulerim, si *acie aliquem petere*, de sagittis, quæ hoc loco intelligendæ, dici crederem. Tolerabilem potius lectionem vulgatam puto.

676. *Quem*, scil. Teucrum. Ed.

677. *Excussumque externo proterit* G. 1: *extemplo proterit arcu* G. 2: sed lectio vulgata prævalet, et *excusso arcu* significatur, arcum manibus Teucri excussum esse ictu lapidis ab Hectore conjecti.

678. *Rapiunt a cæde* H. Phrasin illam habet Ovidius, Her. VI, 135: « Prodidit illa patrem: rapui de cæde Thoanta ».

680. *Invisa cuspide* H. *inversa* G. 1 et 2. *Infesta* melius vulg.

682. *Convertunt, iterumque* G. 1 et 2; *ad castra* G. 2.

683. *Objecto robore*, pessulo roboreo objecto. Totus versus infra recurrit vs. 935. Conferatur etiam versus 762.

684. *At Phryges obsident* L. *Inclusos occidunt aggere* H.

685. *Excubituque premunt muros flammisque coronant* H. et G. 1. Ex his *coronant* recepi in textum, pro *coruscant*, quod in vulgatis est. Nam Virgilius, Æn. IX, 160: « Interea vigilum excubiis obsidere portas Cura datur Messapo, et mœnia cingere flammis », nempe vigiliarum; et ibid. 380: « omnemque aditum custode coronant ».

687. *Curas animosque.* Videtur legendum esse *curis animosque*, vel *curas animisque resolvunt.*

Digitized by Google

IX. Attoniti Danaum proceres discrimine tanto
Nec dapibus relevant animos, nec corpora curant,
Sed miseri sua fata gemunt : mox hoste repulso
Legatos mittunt, dextramque hortantur Achillis,
Ut ferat auxilium miseris. Thetideius heros
Nec Danaum capit aure preces, nec munera regis
Ulla referre cupit : neque enim illum redditus ignis
Aut intacta suo Briseis corpore movit.
Irrita legati referunt responsa Pelasgis :
Hinc dapibus curant animos lenique sopore.
X. Altera transierat tarde labentibus astris,

690. *Mox hoste repulso*. Sic scripti impressique legunt, sed corrigendum videtur *mox hoste repulsi*. Vid. Excursus primus ad calcem hujus carminis.

691. *Dextramque hortantur Achillis*. Dextram hoc loco fidem designare observat Barthius, p. 2807, qui præterea multis locis Veterum adductis probat, dextram invicem datam esse in amicitiæ signum, favoris et clementiæ ; item præbitione dextræ promissiones mutuas factas, pacem compositam et fœdera icta. Quæ omnia, satis nota, hic repetere longum est. Unum et alterum affero. Valer. Flacc. II, 639, de Cyzico : « Ut videt, ipse ultro primus procurrit ad undas, Miraturque viros, dextraque amplexus et hærens Incipit ». Idem libro III, 14 : « manibusque datis junxere nepotes », h. e. perpetuum fœdus in omnem posteritatem fecerunt (sed ibi Gronovius vult *penates*). Prosper libro de Ingrat. « An dextram, pacis palmam, dare te pudet hosti ». Hoc nostri Homeristæ loco per *dextram*, ut mea quidem fert opinio, non modo fides et amicitia Achillis, sed et fortitudo et vis bellica notatur.

692. *Auxilium Danais* G. 2 : haud dubie ex glossa. *Theteius heros* ed. Tor. alii adhuc corruptius. *Thetideius*, nempe Thetidis filius, legendum esse vidit Dussenius, pag. 36, idque aliis locis Nostri recte ponitur, ut vs. 897, 943 et 962. Et hoc loco G. 1 *Thitideius*.

694. *Ulla ferus cepit* H. *Nec enim illum redditus* e G. 2 reddidi, quum vulgatæ habeant *non illum reditus*.

695. *Briseis de corpore movit* L.

697. *Hinc dapibus* dedi ex G. 2 : alii legunt *Et dapibus curant*. Huic versui alium subjungit G. 2 : « Per conversa poli quum tertia pars superesset » : quod additamentum et glossema male natum esse, e versu 699 perspicere est.

698. Valde corrupti hic et sequens versus exstant in libris. Vulgatæ legunt *Alterius noctis tarde labentibus astris*. Guelf. 1 : *Ulterius tenebræ tarde*. Helmst. et G. 2 : *Alterius tenebræ :* idem G. 2 et L. *tardis labentibus*, et A. *armis* pro *astris*. Quoniam hic novæ rei, non altera quidem, sed eadem nocte gestæ, ut ex Homero apparet, nar-

Digitized by Google

Restabatque super tacitæ pars tertia noctis;
Quum Danaum jussu castris Ætolius heros
Egreditur, sociumque sibi delegit Ulyssem,
Qui secum tacito sublustri noctis in umbra
Scrutetur studio, quæ sit fiducia Troum,
Quidve agitent, quantasve parent in prælia vires.
Dumque iter horrendum loca per secreta vagantes
Carpebant, venit ecce Dolon, quem Troica pubes
Miserat, ut Danaum solerti pectore vires
Perspiceret, sensusque ducum plebisque referret.
Quem procul ut vidit socius Diomedis Ulysses,

ratio incipit, et sequente versu *pars tertia noctis* additur, non potest *alterius noctis*, quod vulgatæ videntur cum præcedente *lenique sopore* conjungere, hic locum habere, sed auctor *alteram partem* ejus noctis, qua superius dicta evenerant, et cui mox tertiam subjicit, significare voluit. Igitur legendum censeo: *Altera transibat*, scil. pars noctis, vel, si hoc mavis, *Altera transierat*. Quæ lectio e vestigiis scripturæ codicum *Alterius tenebræ* haud difficulter eruitur.

699. Editi quidem legunt *pars altera noctis*, sed manifesta hæc interpolatio. Scripti mei omnes *pars tertia noctis*, idque confirmant Homeri versus, e quibus ista translata sunt, Iliad. X, 252 : Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε· παρῴχηκέν τε πλέων νὺξ Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

700. Editi habent *Tunc Danaum*, et G. 2 *Tum Danaum;* sed ego ex Helmst. et G. 1 *Quum Danaum* reponendum judicavi, quoniam hoc ad præcedentem temporis notationem referendum est, et Homeri versus, e quibus eam expressam esse dixi, ab Ulysse hoc ipsum iter, de quo hic sermo est, cum Diomede ingressuro, proferuntur. Pro *Ætolius*, A. habet *Idomeneius heros*.

702. *Secum tacite* G. 1, 2, A. et L. sed *tacito* pertinet ad sequens *studio*. Virg. Æn. IX, 373 : « sublustri noctis in umbra ».

704. *Quid vel agunt, quantasve parent* G. 2, mendose.

705. Vulgatæ legunt *loca per montana*, cui prætuli *secreta*, quod habet G. 1 ; *per nocturna paventes* H. et G. 2; *per ignota paventes* A. Etiam G. 1 *paventes* habet, quod alienum a mente poetæ puto.

708. *Aspiceret* vulgatæ præferunt cum Helmst. *Perspiceret* G. 1. *Conspiceret* G. 2. — *Sensus*, notante Barthio, p. 2808, sunt consilia, judicium. Sic frequenter Claudianus, ut de III Cons. Honor. 187: « non corrumpentia sensus Dona valent ». Idem de IV Cons. Hon. 300 : « nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis ». Idem, de Laud. Stilich. III, 10 : « magnanimum pectus, quo frena reguntur Imperii, cujus libratur sensibus orbis ».

709. *Procul ubi videt* A. vitiose.

Digitized by Google

Abdiderunt occultantes sua corpora furtim
Post densos frutices, dum spe percussus inani
Tros Eumedides cursu præcederet illos,
Ne facile, oppressus, gressum in sua castra referret.
Post ubi transierat fidens animoque manuque,
Prosiluere viri, juvenemque evadere cursu
Conantem capiunt, ferroque manuque minantur.
Ille timore pavens, «Vitam concedite, dixit,
Hoc unum satis est : quod si perstatis in ira,
Quanta ex morte mea capietis præmia laudis?
At si, cur veniam tacitis, exquiritis, umbris,
Maxima Troja mihi currum promisit Achillis,
Si vestras cepisset opes : hæc dona sequutus
In dubios casus, coram quos cernitis ipsi,

710. *Abdiderant* vulgatæ, sed *Abdiderunt* legendum est.

711. *Post densos frutices* scripsi secundum Helmst. et G. 2; *In densos* excusi habent; *Per densos* G. 1: *dum spe*, quod G. 1 et H. habent, rectius putavi, quam vulgatum *ut spe*. Porro *spe perculsus* G. 1 legit, *spe frustratus* H. utrumque alienum puto. Aptissimum est, quod in vulgatis et in G. 2 exstat, *spe percussus inani*. Pariter Cicero, Tusc. V, 11: « quodcumque nostr^ animos probabilitate percussit, id dicimus ». — Sed mihi vix *aliquem spe percuti* dici posse videtur. Ed.

712. Vulgatæ legunt *Trojanus juvenis cursu*, sed omnes scripti mei *Troius Eumedides*, quod Dolonem Eumedis filium significat, et ex Hom. Il. X, 314, et eVirg. Æn. XII, 346, sumptum est. Unde quidem *Eumedides* scribendum est, et quia *Troius Eumedides* adversatur metro, hinc corrigendum in codicibus est *Tros Eumedides*, quod posui. *Trojanus juvenis* e glossa est.

714. *Fidens animo*, Virgilianum Æn. II, 61.

718. *Perstatis in ira*. Ovidius, Pont. I, 4, 44: « Perstiterit læsi si gravis ira Dei ».

719. *Munera laudis* G. 2.

720. *Aut si* H. G. 2, et L.

721. *Currum promittit Achillis* G. 1. Hoc ipse Dolon Ulyssi narrat apud Homer. Iliad. X, 392. Virg. Æn. XII, 349 de Dolone: « Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret, Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus ». Ovid. in Ib. 629: « Qualis eras pacto, quos fortis agebat Achilles, Acta Phrygi timido est, nox tibi talis eat ». Epigramma de Dolone in Anthol. Lat. I, 95: « Præmia magna Dolon, currum dum poscit Achillis, Prodidit ipse cadens munera magna Dolon ».

722. *Si vestras cepisset opes*. Cl. Ant. *de Rooy*, p. 98, corruptum hoc putat, et emendat *Si vestras rescisset opes*, quia missus erat Dolon, ut specularetur vires et opes Græcorum. Vid. supra, v. 707.

Digitized by Google

Infelix cecidi : nunc vos per numina Divum,
Per mare, per Ditis fluctus obtestor opaci,
Ne rapere hanc animam crudeli cæde velitis.
Hæc pro concessa referetis dona salute,
Consilium Priami regis, remque ordine gentis
Expediam Phrygiæ ». Postquam quid Troja pararet
Cognovere viri, fauces mucrone reclusas
Detrudunt juvenis. Post hæc tentoria Rhesi
Intrant, atque ipsum somno vinoque sepultum

725. *Per Ditis fluctus*, per Styga, vel per flumina infera, ut jurat, apud Ovidium, Met. I, 187, Jupiter. « Lacus Ditis opacos » dicit Virg. Cul. 371. Obtestandi hæc formula est, qualis jurandi apud Ovid. Trist. II, 53 : « Per mare, per terras, per tertia numina juro ».

726. *Ne rapere hanc.* Ovidius « eripere animam », Met. VI, 540.

727. *Dona salute.* Post hunc versum in G. 2 hic intruditur ineptissime : *Et lassata meis nondum satiata remisit :* qui fortasse post versum 718 poni, atque eum declarare debuit; sed, ut suspicor, ab inepto scholastico ex hoc Juvenalis VI, 129, formatus est : « Et lassata viris necdum satiata recessit ».

728. *Concilium Priami* plerique legunt; *Consilium* Lipsiensis, quod præferendum videtur. *Priami pandam.* H.

729. *Quid Troja pararet.* Barthius Adv. LVIII, 14, p. 2752, putat Trojam pro Trojanis proceribus non satis pulchre dictam esse. Atqui verba hæc sunt ab Ovidio mutuata, Met. XIII, 244, ubi Ulysses eamdem rem enarrat : « Ausum eadem, quæ nos, Phrygia de gente Dolona Interimo; non ante tamen, quam cuncta coegi Prodere, et edidici, quid perfida Troja pararet. Omnia cognoram ».

730. *Fauces mucrone recluso.* Sic Basil. Torini, sed A. et L. *mucrone refulso* pro *revulso.* Dubitat Ant. *de Rooy*, l. c. p. 98, utrum τὸ *recluso* retineat, an vero mutet in *reclusas*, quod utriusque phraseos exempla proferri possunt. Ego vero *reclusas* ponere non dubitem, aut potius *revulsas* e corrupto *refulso*, quoniam *reclusas* Guelf. 1 diserte præfert, et sententia auctoris postulare videtur. Nam existimo phrasin *fauces mucrone reclusas* vel *revulsas Detrudunt* significare caput Dolonis, rescissis faucibus, dejectum corpore esse, quo modo eum obtruncatum esse memorat Homerus, Iliad. X, 455 seq. — Sic *jugulos aperire* dixit Juvenalis, Sat. IV. Et Horat. Epod. XVII, 71 : « Modo ense pectus Norico recludere ». Ed. — Itaque retineri potest verbum *detrudunt*, i. e. dejiciunt, pro quo, alias minus obvio, cl. de Rooy *detruncant*, et Dussenius, p. 37, *pertrudunt* reponere volunt.

731. Pro *Detrudunt*, quod in A. L. et T. est, Helmst. *Recludunt.* Unde forte legendum erat *fauces mucrone retruso* (abdito, condito) *Reeludunt* — Et verbum *Detrudunt* repetitum videtur e Virg. Æn. IX, 496 : « tuo-

Digitized by Google

Obtruncant, spoliantque viros, fusosque per herbam
Exanimant socios : tam tristi cæde peracta
Præda humeros onerant, multo candore nitentes
[Rhesi ventigenas secum adduxere jugales]
Thracis equos rapiunt, quos nec præcederet Eurus,
Nec posset volucri cursu superare sagitta.
Inde iterum Argolicas primæ sub tempore lucis
Ad classes redeunt, quos Nestoris accipit ætas,

que Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo ». Ed. — Pro *juveni*, quod in H. et T. est, G. 1, A. et L. habent *juvenis*, quod rectius puto.

733. *Per herbas* G. 2.

734. *Exanimant*, pro cædunt ferro et interficiunt, activa forma, rarius puto apud meliores scriptores inveniri. — *Tunc tristi* vulgatæ : ego malui *tum*, quod est in G. 2.

735. *Candore nitentes*. Similiter Virg. Æn. XII, 84 : « Qui candore nives anteirent, cursibus auras ».

736. *Rhesi ventigenas*. Hic versus manifeste insititius, quia et seriem verborum et constructionem turbat, et superflua dicit. In sola edit. Tor. et Spond. legitur; in scriptis meis omnibus, quin et in antiqua ed. Lips. omissus est : nec in codice Leid. exstare testatur cl. Dorpius l. c. p. 124.

737. *Thraces equos* habent vulgatæ. *Thracis* voluit Valkenarius in Diatr. in Eurip. perd. dram. reliq. p. 701, citante Dorpio l. c. qui ipse tamen *Thracas equos* mavult, ex hoc Ovidii Met. IX, 194 : « Quid? quum Thracas equos humano sanguine pingues, Plenaque corporibus laceris præsepia vidi ». Dussenius, p. 37, dubius est, *Thracis* an *Thracas* emendari debeat. Ego *Thracis* prætuli, quia sic scriptum in codice G. 1 sane optimo video. Alias formam illam *Thraces* in aliorum poetarum codicibus sæpius occurrere, testis est Heinsius ad loc. cit. Ovidii. Statius, Theb. VI, 486 : « sed Thraces equi ut videre jacentem Hippodamum; redit illa fames ». — *Quos nec præcedere ventus* tenet ed. Tor. et Sp. Dorpius æque ac Dussenius corrigunt *quos nec præcederet Eurus*, quia poetæ solent cursum velocem cum Euro inprimis comparare. Vid. Virg. Æn. VIII, 223, et Horat. Carm. II, 16, 24; et docti viri apud Virg. I, 317, pro *Hebro* ponere *Eurum* volunt. Hoc loco ne conjectura quidem opus est, quum omnes scripti mei, et cum his vetus ed. Lips. *nec præcederet Eurus* teneant, idemque in codice Leid. esse Dorpius testetur.

738. *Non posset volucris* G. 2. Similiter Virgilius, Æn. V, 242 : « illa Noto citius volucrique sagitta Ad terram fugit ».

739. *Tum quidam Argolicas* G. 2.

740. *Nestoris accipit ætas*, hoc est, Nestor senex primus eos sentit advenire, et lætus accipit, quod ex Homero, X, 532, intelligi potest. Alio loco, v. 131, utitur Noster abstracto *prudentia Nestoris*, ubi de consilio dando sermo est; hic vocabulo *ætas Nestoris*, senectutem tantum respiciens, quia senes inprimis juvenum virtutes et bene

Digitized by Google

Ac recipit portis : postquam sua castra tenebant,
Facta duci referunt ; laudat Pelopeius heros,
Fessaque jucundæ tradunt sua membra quieti.
XI. Lux exorta viros in pristina bella remisit,
Instaurantque animos recreato milite pugnæ
Dardanidum Danaumque duces : volat undique nubes
Telorum, et ferro ferrum sonat : undique mixtis
Inter se strident mucronibus, instat utrimque
Densa acies, mixtusque fluit cum sanguine sudor.
Tandem ferventi Danaum rex concitus ira
Antiphonem ingenti prostratum vulnere fundit,
Pisandrumque simul, fratremque ad bella ruentem
Hippolochum, post hos gladio petit Iphidamanta :
Hinc frater regis dextram ferit, ille dolore

gesta observare et collaudare decet.

745. *Instauratque* G. 1.

746. *Dardanium Danaumque* legunt edd. Dussenius, p. 38, mutandum putat in *Dardanidum*. Sed et *Dardanios* appellare solet Virgilius: — *Nubem telorum*, si recte memini, Maro non dixit, nisi ex comparatione antecedente, Æn. XI, 808: « sic obrutus undique telis Æneas nubem belli, dum detonet, omnem Sustinet ». — Sed *densam telorum nubem* dicit Marius Victor in carm. ad Salmon. v. 16. Vid. huj. Op. t. II, p. 163. Ed.

747. Pro *mixtis* suaserim legere *strictis*, quia versu tantum intercedente sequitur *mixtusque*.

749. In G. 2 post hunc versum perperam inseruntur 753 et 754.

751. *Antiphonem*. In Homero, Il. XI, 101, Antiphum et Isum, filios Priami, lego ab Agamemnone interfectos. Hunc nominare voluerit Homerista, an alium, adhuc dubito. *Amphionem* habet A.

752. *Tessandrumque simul*, et sequente versu *Hippolytum* legunt edd. pro quibus ponendum esse *Pisandrum* et *Hippolochum* ex Homero, Iliad. XI, vs. 122, adparet, et cl. Bondamius jam monuit.

753. Vulgo legitur *petit Amphimodonta*. G. 1 habet *Aphidamantem*, quod propius ad veram scripturam accedit. Nam *Iphidamanta*, Antenoris filium, hic restituendum ex Homeri Iliad. XI, 221, recte docuit Bondam. p. 169.

754. In MS G. 1 hic versus in serie omissus et a recentiore manu infra scriptus est hoc modo: *Hic regis dextram gladio ferit, ille dolore*. Hic propterea et correctus ab altera manu videtur. Nam vulgati libri habent *Is fratris dextram gladio ferit*. Guelf. 2 *Hinc fratris*, etc. et codex Leid. habere dicitur *Hic fratris*. Verba ea aut corrupta, aut ab ipso auctore nimis concise et obscure posita sunt. Ex Homeri narratione, Iliad. XI, 231 seqq. res ita

Digitized by Google

Acrior accepto fugientem Antenore natum
Persequitur, traxitque ferox cum vulnere pœnas.
Hector tunc pugnæ subit acri concitus ira
Priamides, mox perculsos agit undique Graios,
Nec Paris hostiles cessat prosternere turmas,
Eurypylique femur contento vulnerat arcu.
XII. Incumbunt Troes, fugiunt in castra Pelasgi
Viribus exhaustis, et vastis undique firmant
Obicibus muros; tum saxo Martius Hector
Perfringit portas, ferrataque robora laxat.
Irrumpunt aditus Phryges, atque in limine primo

se habuit. Postquam Agamemnon Iphidamanta interfecerat, frater ejus Coon natu major, mortem fratris valde dolens, et forte adstans Agamemnoni, brachium ejus medium hasta percutit: at illum fratris corpus abstrahentem mox Agamemnon interficit. Hinc cl. Bondamius corrigit *Vis fratris dextram gladio ferit:* quod ille tamen et sic concise nimis et obscure dictum putat. Dorpius vero mavult *Hic frater* pro *tum* vel *tunc*, firmatque lectionem suam codicis Leid. auctoritate. Ego ducibus Msptis sic malim: *Hinc frater regis dextram ferit:* nam adpositum *gladio* supervacuum et contra Homerum est, qui hasta percussisse scribit.

755. *Antenore natum*, nempe Coonem, fratrem Iphidamantis.

756. *Traxitque ferox cum vulnere pœnas*, h. e. Agamemnon vulneratus licet, ferox pœnas continuavit, vel exercere perrexit, in Coone. *Traxit... graves cum sanguine pœnas* Helmst. Phrasin petiisse videtur ex hoc Virgilii, Æn. V, 785: « Non media de gente Phrygum exedisse nefandis Urbem odiis satis est, pœnam traxisse per omnes Relliquias ».

758. *Mox perculsos agit:* sic edd. Tor. et Sp. MS H. *percussos* G. 1 et 2, A. et ed. Lips. idem in utroque Leidensis bibliothecæ codice esse testatur Burmannus sec. ad Anthol. Lat. t. I, pag. 81, ubi et solennem hanc permutationem esse, pluribus exemplis probat. Vid. Bentl. ad Hor. Epod. XI, v. 3. Ego hoc loco *perculsos* præfero.

759. *Turmas* et *turbas* scribit G. 2.

760. *Verberat arcu* H.

761. *Fugiunt per castra* H.

762. *Firmant Obicibus.* Ut supra, versu 683, « portas objecto robore firmant ».

763. *Saxo Mavortius Hector* legunt vulgatæ. Ego scribere volui *tum saxo Martius*, quia sic consequentia planior est, et præeunt scripti mei: *cum saxo Martius Hector* H. et G. 1: *tum saxo Martius* vel *maximus* G. 2. Barthius ad primum versum Thebaidos in hoc et sequente versu observat auctorem literis *a* et *r* frequenter junctis asperitatem soni in re horrida quæsisse.

764. *Laxat* et *frangit* G. 2.

765. *Limine* et *lumine* G. 2.

Digitized by Google

Restantes sternunt Graios, valloque catervas
Deturbant, alii scalas in mœnia ponunt,
Et jaciunt ignes : præbet victoria vires.
De muris pugnant Danai, turresque per altas
Saxa volant; subeunt acta testudine Troes,
Ascenduntque aditus, et totis viribus instant.
Turbati fugiunt linquentes castra Pelasgi,
Et scandunt puppes; urget Trojana juventus,
Telaque crebra jacit: resonat clamoribus æther.
XIII. Neptunus vires Danais animumque ministrat:
Pugna ingens oritur; furit istinc hostis et illinc.
Idomenei dextra cadit Asius; Hector atrocem

766. *Perstantes sternunt* G. 2.

767. *Disturbant* edd. *deturbant* H. et G. 1 : *proturbant* G. 2.

768. *Geminat victoria vires*, quod edd. habent, adfuit supra v. 494 : hic malui cum H. et G. scribere *præbet victoria vires*.

769. Pro *turres* Helmst. *puppesque* perperam.

770. *Facta testudine* edd. cum MS H. et *fracta testudine* G. 2; sed *acta testudine* rectius, quod G. 1 exhibet, et per conjecturam vidit cel. Dorpius, p. 126. Nempe hoc etiam Virgiliana imitatio subjicit, Æn. II, 441 : « obsessumque acta testudine limen »; et IX, 505, « Accelerant acta pariter testudine Volsci ».

771. Pro *Ascendunt* A. exhibet *Absconduntque aditus*, non male : *et portas viribus instant*, H. *et portis viribus instant* G. 1 et 2, quæ fortasse verior lectio, quod auctor *viribus* ponere simpliciter et sine adjectivo solet. Vid. vs. 512.

772. *Fugiunt linquentes castra* A. — Hæc lectio verior esse videtur, quam *fugiunt omnes in castra*, quod habet Wernsdorf. et confirmatur a sequentibus; ideo hanc in textum recepi. Ed.

773. *Urget Trojana*, quod H. et G. 1 tenent, prætuli vulgato *instat*, quod modo adfuit.

776. *Istic hostis et illic* G. 1.

777. *Idomenei dextra* : sic posui e G. 1 et 2, pro eo quod vulgatæ habent, *Dextraque Idomenei*. Pro *cadit Asius* G. 1 scribit *cadit Iffirus*, in quo monstro vocabuli nescio, an forte *Imbrius* lateat, quem primum in hoc conflictu a Teucro occisum narrat Homerus, Iliad. XIII, 171, atque adeo pro Idomenei nomine *Teucer* exstiterit in antiquis exemplaribus hoc modo: *Jam Teucri dextra cadit Imbrius*. Certe, qui hic prior Asius, et ante Amphimachum ab Hectore occisum, nominatur, eum Homerus multo post Amphimachum dicit interfectum, Iliad. XIII, 384. Neque vero Idomenei facinus in hac acie reticet Noster, et proxime Alcathoum, Anchisæ generum, ab eo occisum memorat, quæ cædes memorabilior fuit, quam ista Asii. Unde vix dubito, versum hunc, uti conjeci,

Digitized by Google

Amphimachum obtruncat; nec non occumbit in armis
Anchisæ gener Alcathous, quem fuderat ense
Magnanimus ductor Cretum; tunc fervidus hasta
Deiphobus ferit Ascalaphum, mergitque sub umbras.
XIV. Hector ubique ferox violento pectore sævit,
Quem saxo ingenti percussum maximus Ajax
Depulit, et toto prostratum corpore fudit.
Concurrit Trojana manus, juvenemque vomentem
Sanguineos fluctus Xanthi lavere fluento.
Inde iterum ad pugnam redeunt, fit maxima cædes
Amborum, et manat tellus infecta cruore.
Polydamas valido Prothoenora percutit ictu,

legendum esse, eoque Teucri et Imbrii nomina esse reponenda.

778. *Nec non incumbit in armis.* Sic mendose legunt vulgatæ. Scribendum est *occumbit*, ut lego in H. et quemadmodum exstare in Leidensi, atque Schraderum sine Mspto conjecisse testatur cl. Dorpius, pag. 127. *Procumbit* exhibet G. 1.

779. *Gener Achatius*, ignotum et mendosum nomen est in editis, pro quo *Alcathous* ex Homero recte reponunt Dorpius et Dussenius: idemque nomen aperte produnt tres scripti mei.

780. *Ductor Rhodius* est in omnibus editis, et tamen Idomeneus, qui Alcathoum occidit, *ductor Cretum* vocatur ab Homero, Il. XIII, 221, 259, 274, aliisque in locis. Hinc recte emendat Dorpius l. c. *Magnanimus ductor Cretum*, idque non modo ille adstruit lectione codicis biblioth. Lugd. Bat. qui pro *Rhodius Rhœteis* habet, sed ego adjerere e duobus Msptis Guelf. possum, quorum uterque *Retheus* legit. Helmst. simile sed obscurius vocabulum habet. — Pro *Fervidus hasta* legitur *Fervidus ira*. Hæc vulgatarum edd. lectio defendi quidem, monente cl. Dorpio, p. 128, loco Maronis potest, Æn. VIII, 230: « ter totum fervidus ira Lustrat Aventini montem »; vera tamen lectio est *tunc fervidus hasta*, quam ille in cod. Leid. manu secunda adscriptam legit, ego item in H. et G. 2. reperi.

781. *Ascelaphum* G. 1.—*Mergitque sub undas* absona est lectio vulgatorum, quia sic quidem Stygiæ aquæ intelligi nequeunt. Rectius cum G. 1 et 2 scribo *sub umbras*.— Cæterum hæc sæpe permutantur a scribis et librariis.

782. *Ubique ferus* est in editis, sed *ferox* in tribus Msptis.

784. *Fundit* G. 2.

786. Pro vulgato *fluentis* videtur *fluento* legendum, quod habent H. et G. 2; et *fluente* L. In G. 1 hic deficiunt tres versus, ob paginam mala manu accisam.

788. *Immanat tellus* H.

789. Hos quatuor versus reddo, uti eos cura cel. Bondamii, p. 171 seq. ex Homeri narratione, XIV,

Digitized by Google

Archelochumque Antenoriden Telamonius Ajax,
Bœotumque Acamas Promachum, quem sternit atrocem
Penelei dextra, inde cadit Priameia pubes.
XV. Acrius insurgunt Troes ad Achaica bella,
Instaurantque manus; cedit Pelopeia virtus
Pulsa metu, vallumque et muros aggere septos
Transiliunt; alii fossas volvuntur in ipsas.
Advolat interea Danaum metus, impiger Hector:
Confugiunt iterum ad classes Agamemnonis alæ,
Atque inde adversis propellunt viribus hostem.

462 - 488, emendatos accepi, ne singulis aberrationibus scribarum et monstris vocabulorum huc referendis et corrigendis immorari necesse habeam. *Protenora* vel *Prothenora*, quod in vulgatis est, ille ab ipso auctore scriptum esse putat, licet secundum Homerum *Prothoenora* scribendum sit, eo quod idem nomen auctor supra, v. 167, similiter extulerit: *Clonius dux atque Protenor*. Sed vitiosum eo loco nominum positum esse, ibidem ostendi e scriptis. Quamvis Munckerus, a Bondamio adductus, ad Hyg. fab. 86 et 97 adfirmet, a Latinis scriptoribus frequenter synæresin in Græcis nominibus scribendis admitti; ea tamen quomodo intelligi a nobis, literis sæpe iisdem manentibus, possit, ipse difficile intelligo. Agnoscendus potius est mos scribarum, veteres libros describentium, qui diphthongos fere aversari solent, et quorum adeo scriptura, ubi contractio facta videtur, ad rationem græcam redigenda est.

790. *Telamonius Ajax*. Post hunc versum in G. 2 temere insertus est v. 794 *Instaurantque*.

791. *Sternit atrocem*. Malim hic *quem sternit atroci Peneleus dextra*.

792. *Cecidit Priameia* H. *dextra ruit hinc Priameia* G. 2.

793. *Acrius insurgunt*. Pro eo G. 1 *assurgunt* habet: *ad Dorica bella* G. 2. Per nimiam brevitatem scriptoris jejunamque in narrando exilitatem fit, ut hoc loco perspici nequeat, unde tam repentina conversio rerum facta sit, ut Trojani paullo ante cæsi fugatique, nunc acrius insurgant, et Græcos adeo ad naves suas, multa cæde facta, compellant. Nimirum brevius saltem attingi debebant causæ, quas Homerus fingit, Jovem expergefactum Trojanis virtutem reddidisse, Neptunumque dehortatum, ne Græcos amplius juvaret, Hectoremque ab Apolline excitatum et novis viribus instructum, ut pugnam integraret. Hæc commenta Homeri si diligentius retulisset auctor, quam pugnas et cædes, impetus et fugas, magis servasset amœnitatem poematis, nec meram historiam narrasset.

794. *Instaurantque*. Hic versus deest in G. 1. *Pelopeia juventus* A. quod fere prætulerim.

796. *Fossa volvuntur in ipsa* G. 1.

799. *Atque etiam adversis* G. 2: *hostes* G. 1.

Digitized by Google

Fit pugna ante rates : sævit Mavortius Hector,
Et poscit flammas, totamque incendere classem
Adparat : huic validis obsistit viribus Ajax
Stans prima in puppi, clypeoque incendia sæva
Sustinet, et solus defendit mille carinas.
Hinc jaciunt Danai robustæ cuspidis hastas,
Illinc ardentes tædas Phryges undique jactant.
Per vastos sudor pugnantum defluit artus.
XVI. Non valet ulterius cladem spectare suorum
Patroclus, subitoque armis munitus Achillis
Advolat, et falsa conterret imagine Troas.
Qui modo turbabant Danaos, animoque fremebant,
Nunc trepidi fugiunt : fugientibus imminet ille,
Perturbatque ferox aciem, vastumque per agmen
Fertur, et ingenti Sarpedona vulnere fundit;
Et nunc hos cursu, nunc illos præterit ardens,

802. *Obsistere viribus* G. 1.

803. *Stans celsa in puppi*, habent edd. sumptum e Virgilio, Æneid. III, 527, sed *Stans prima in puppi* G. 1 et 2, quod huic loco aptius videtur. — *Incendia sæva Sustinet.* Sic Ovidius, Ajacem loquentem inducens, Met. XIII, 7; « non Hectoreis dubitavit cedere flammis Quas ego sustinui ». Ed.

804. *Defendit mille carinas.* Apud Ovid. loco cit. « Nempe ego mille meo protexi pectore puppes ».

809. *Armis protectus* G. 2.

810. *Advolat* vulgatæ cum G. 1. *Provolat* H. utrumque profert G. 2 : *et falsa conterret* H. et G. 1, pro vulgato *convertit*. Una *terrentur* et *conterret* G. 2.

812. *Trepidi* et *timidi* G. 2. *Fugientibus eminet* L

813. *Perturbat velox acies* hic legunt vulgatæ. Cel. Bondam. p. 161, antefert *Proturbat*, id est, procul turbat et dejicit acies sive hostes a navibus. Mihi tamen hoc loco stare posse videtur *Perturbat*, quod etiam scripti firmant. *Perturbatque ferox aciem* H. G. 2 et A. quæ vera est lectio et constructioni apta, e qua vulgata corrupta est. In G. 1 hic tres versus desunt.

814. *Pergit et ingenti* H.

815. Vulgatæ sic : *Et nunc hos gladio, nunc illos proterit arcu.* Ubi verbi *Proterit* plane insolens usus esse videtur de occisis per sagittas, traductusque huc e versu 677, ubi tamen *proterit* referendum est ad saxum, quod jaciebat Hector. Melior igitur hoc loco scriptio est codicis H. et G. 2 : « Et nunc hos cursu, nunc illos præterit ardens ». Quo versu respexisse Maronem videtur Æn. IV, 157 : « jamque hos cursu, jam præterit illos ».

Digitized by Google

Præliaque horrendi sub imagine versat Achillis.
Quem postquam socias miscentem cæde catervas,
Turbantemque acies conspexit fervidus Hector,
Tollit atrox animos, vastisque immanis in armis
Occurrit contra, magnoque hunc increpat ore :
« Huc, age, nunc converte gradum, fortissime Achilles,
Jam nosces, ultrix quid Troica dextera possit,
Et quantum bello valeat fortissimus Hector.
Nam licet ipse suis Mavors te protegat armis,
Invito tamen hæc perimet te dextera Marte ».
Ille silet, spernitque minas animosaque dicta,
Ut, quem mentitur, verus credatur Achilles.
Tunc prior intorquet collectis viribus hastam
Dardanides, quam prolapsam celeri excipit ictu
Patroclus, redditque vices et mutua dona.

816. *Horrenti* G. 1. *Bellaque horrenda* G. 2.

818. *Conspexit fervidus* dedi ex H. Vulgatæ *respexit.*

819. *Vastisque horrendus* H. *immanis* vel *animosus* G. 2, qui et hunc versum cum sequente transponit.

820. *Vastoque hunc increpat* habet H. sed retinui *magnoque*, quod in A. et vulgatis est, quia superiore versu jam adfuit *vastis.*

821. *Huc age huc* G. 1 : *converte gradum* H. et G. 1 : alii *gradus.*

822. *Quid Troica dextera* G. 1 et L. cui accedit H. qui *Troa dextera.* Illud itaque prætuli vulgato *Trojæ dextera.*

823. *Et quantum bello valeat* H. *in bello valeat* G. 2. Hoc malui, quam quod in excusis est, *quantum in bello possit.*

824. *Nam licet ipse.* Pulcherrimos hos versus prædicat Barthius, Adv. LIX, 15, p. 2808. At vero eos auctor non suo, sed Ovidii ingenio debet, quem pæne ad verbum exscripsit, Metam. VIII, 394 : « Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis, Hunc tamen invita perimet mea dextra Diana ».

825. *Invito perimet tamen hæc* mutato verborum ordine G. 1.

827. *Ut qui mentitur* A. et L.

828. *Tunc prius* G. 1.

829. *Dardanides* dedi e G. 1 et 2. *Priamides* habet A. cum excusis.

830. *Et mutua dona.* Ad hæc verba Barthius, Advers. LVIII, 14, p. 2752, notat idiotismum auctoris esse, quod ictum vocet *donum.* At vero sic Virgilius etiam loquutus est, Æn. X, v. 881 : « Desine, jam venio moriturus, et hæc tibi porto Dona prius ». — Sic Catullus in epigr. ad Calvum : « Ac te his suppliciis remunerabor » ; et Val. Flaccus, V, 550 : « Qui gemitus, irasque pares, et mutua Graiis dona ferunt ». Jam hoc monuit Jo. Schraderus, Observ. I, cap. 3, pag. 35.

Digitized by Google

Objicit et saxum multo cum pondere missum,
Quod clypeo excussum viridi tellure resedit.
Tunc rigidos stringunt enses, et cominus arma
Inter se miscent, donec Trojanus Apollo
Mentitos vultus simulati pandit Achillis,
Denudatque virum : quem bello maximus Hector
Pugnantem falsis postquam deprendit in armis,
Irruit, et juvenem, nudato pectore, ferro
Trajicit, et victo Vulcania detrahit arma.
XVII. Vendicat exstincti corpus Telamonius Ajax,
Oppositoque tegit clypeo. Priameia pubes
Lætitia exsultat; Danai sua funera mœrent.
Interea juvenis tristi cum pube suorum
Nestorides in castra refert miserabile corpus.
XVIII. Tunc ut Pelidæ rumor deverberat aures,

Sic et *gratiam referre* in malam partem pro ultione aut talione dicitur. Terent. Eun. V, 3, 2 : « qui referam illi sacrilego gratiam ». Ed.

831. *Objicit.* Deest hic versus in G. 1, et in H. ponitur margini adscriptus. *Multo* et *magno cum pondere* G. 2.

833. *Cominus armis Inter se pugnant* H. *armis* G. 1.

835. *Simulantis pandit* A. et L.

838. *Nudato pectore.* Barthius, Adv. p. 2808, legendum putat *pectora.* Sed *pectore* probum esse arbitror, et *nudato pectore* esse ablativos absolutos. Nempe juvenem ferro trajicit, postquam ejus pectus nudatum erat ab Apolline, ut dixit versu 836. Etenim Homerus narrat, arma Patroclo detracta ab Apolline : Homerista, eum deserens, detracta dicit ab Hectore.

839. *Trajicit, et victor* edd. *et victo* G. 1. *Transfigit, victor* H. *detulit arma* G. 1, sed superscriptum *detrahit.*

840. *Vendicat exstinctum* L. et in eo hic versus subjicitur : *Ingentes lacrymas gemitusque in corpore fudit.*

842. *Danai sua funera* H. et G. 2. Editi habent *Danai dum funera.*

844. *Testorides* legunt omnes vulgati. Sed viri eruditi dudum conjecerunt *Nestorides,* id est, Antilochus, idque Dorpius l. c. pag. 129 confirmari ait cod. Vossiano : idem de tribus Msptis, quibus utor, affirmare possum. — *In castra gerit* perperam legi videtur in editis. G. 1, ut et Leidensis, habent *in castra refert.* Helmst. *in castra trahit.* Cæterum et hic diverse ab Homero narrat auctor. Nam secundum eum Menelaus et Meriones corpus Patrocli retulerunt in castra, Antilochus tantum nuntium de morte ejus pertulit ad Achillem.

845. *Tunc ut Pelidæ.* Retinui lectionem vulgatam : tantum *deverberat* malo, quam *diverberat.* Helmst. *Pelidis aures deverberat impius hor-*

Digitized by Google

Palluit infelix juvenis, calor ossa reliquit;
Membra simul lacrymans materno tersit amictu
Deflens Æacides tristi de cæde sodalis,
Unguibus ora secat, comptos in pulvere crines
Deformat, scindit firmas de pectore vestes,

ror. G. 1 *Tunc ut Pelide hic aures diverberat horror.* G. 2 *Pelidis aures diverberat horror.* Barthius, Advers. p. 2752, *diverberare aures rumorem* pro idiotismo Nostri habet. Sed tamen alii similibus utuntur verbis. Apud Plaut. Amphitr. I, 1, 177 : « vox aures verberat »; et Lucan. VII, 25, « tuba verberat aures ». — In fragmento Petronii, quod retulimus t. II, hujus op. p. 128: « subitis rumoribus oppida pulsat ». Ed. — Id. Satyr. cap. 68: « nullus sonus unquam acidior percussit aures meas ».

847. Vulgatæ præferunt *Tristia membra simul materno nectit amictu;* ubi τὸ *tristia* et *nectit* ineptum videtur. Helmst. G. 1 et 2 legunt: *Membra simul lacrymans*, quod recepi, et alterum e G. 1, *materno tersit amictu*, nisi forte melius *texit*. Sed *materno amictu*, i. e. a matre accepto, quod dicit Noster, id habet sine dubio ex aliorum poetarum locis, qui matres, dicunt, filiis suis, in bellum euntibus, vestes texuisse, ut de Lauso Virgil. Æn. XI, 818; de Atye Statius, Theb. VIII, 566, et de Parthenopæo, Atalantæ filio; idem, IX, 691, et fortasse de Achille idem alicubi dictum est. Sed hoc loco tamen maternæ vestis non meminit Homerus.

848. *Deflens Æacides tristi de cæde.* Nescio, an prorsus adsentiendum sit Barthio l. c. qui *deflere de cæde* pro idiotismo auctoris, et pro insolente adeo phrasi habet. *Deflere* eo sensu accipiendum, ut sit abunde flere, flendoque adimplere dolorem, quemadmodum *declamare*, *defatigare*, *detonare* et similia dicuntur; *de cæde* autem ponitur pro *ob* vel *propter* cædem. Quin ipse versus tam male compositus atque iners apparet, ut malim totum ejicere, quum præsertim versu 852 prope idem dicatur. Quod G. 1 *tristis de cæde* legit, id versum nihilo meliorem efficit.

849. *Comptos in pulvere crines Deformat* scripsi e G. 1, sine copula ad *comptos;* quam et editi omittunt. Morem pulvere se conspergendi in luctu non Judæis solum, quod ex sacris literis notum, sed et Græcis Romanisque usitatum, quamquam rara ejus exempla, notat Bernartius ad Stat. Theb. III, 50, qui eum sæpius tangit, præsertim Theb. VI, 30 : « sed et ipse exsutus honore Vittarum nexu genitor, squallentiaque ora Sparsus, et incultam ferali pulvere barbam ». — Et conferatur Catullus in Epithal. Pel. p. 183, ed. Voss. « Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans ». Ed. — Verbo *deformat* etiam utitur Noster ad consuetudinem Veterum, qui *informes* maxime vocare solent ita pulvere conspersos. Statius l. c. « haustaque informis arena Questibus implet agros ». Et Cornelius Severus, de morte Ciceronis, v. 16: « Informes vultus sparsamque cruore nefando Canitiem ».

850. *Scindit de pectore vestes.* Hunc morem omnium gentium scin-

Digitized by Google

Et super exstincti prostratus membra sodalis,
Crudeles fundit questus, atque oscula figit.
Mox ubi depulsi gemitus, lacrymæque quierunt,
[Tristis ait, jam jamque meo cruciabere ferro]
« Non impune mei lætabere cæde sodalis,
Hector, ait, magnasque meo, violente, dolori
Persolves pœnas, atque istis victor in armis,
In quibus exsultas, fuso moriere cruore ».
Post hæc accensus furiis decurrit ad æquor,

dendi vestes in luctu Barthius multis locis commentariorum suorum, maximeque ad hunc locum Statii probavit, Theb. IX, 353 : « Exsiliit furibunda comis, ac verbere crebro Oraque, pectoraque, et viridem scidit horrida vestem ». Conferantur ejusdem adnotata ad Stat. Silv. II, 1, 171. Addere est Sil. Ital. XIII, 389 : « Pulsato lacerat violenter pectore amictus ».

853. *Ubi deponit questum* H. *ubi depulsi questus* G. 1 ; *ubi depositi gemitus* G. 2. Præferendum videtur *gemitus*, quia *questus* modo adfuit.

854. *Tristis ait.* Versus hic sine dubio insititius et spurius est. Nam a cod. Helmst. et G. 1 abest, et in G. 2 post versum 858 ponitur æque inepte, manifesto signo interpolationis. Et verbum *ait* versu 856 repetitum demonstrat, idem hoc loco falso insertum esse. Itaque offendi non debebat Barthius, Adv. pag. 2753, verbo *cruciabere*, quod hoc versu occurrit, tamquam pro *dolebis* posito, et barbarismum incurrente ; neque necesse est, ut cum cl. Anton. *de Rooy*, Spic. crit. p. 99, corrigere tentemus in *obtruncabere* : namque totus potius versus ejiciendus est, et verbum *cruciabere* hoc sensu redolere mihi nescio quid plebeii et barbari sermonis videtur.

856. *Magnasque meo, violente, dolori Persolves pœnas.* Sic optime Helmst. cui adludunt G. 1 et 2, *magnoque.....dolore.* Quanto deterius vulgatæ ! *magnoque meo, violente, labore Persolves pœnas.* Cæterum Barthius, Adv. p. 2753, putat auctorem *violentum* convicii et criminis loco voluisse accipi, eoque videri eo sæculo scripsisse, quo talia secius atque par erat usurpari consueverunt. Ego vero frustra hic quæri convicium et crimen existimo ; sed tamquam violentus increpatur, qui audax et temerarius est, et viribus suis male utitur. Certe non aliter Ovidius, quem et hic sequutus scriptor videtur, Met. IX, 121 : « Quo te fiducia, clamat, Vana pedum, violente, rapit ». — Nec aliter de ipso Marte Tibullus, IV, 2, 3 : « at tu, violente, caveto Ne tibi miranti turpiter arma cadant ». Et Ovidius, in Ibin, v. 20 : « At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem ». Ed.

857. *Persolvas pœnas* L. Pro *victor* nescio an melius fuerit *victus* : sed MSS conspirant.

859. *Post hæc* G. 1 et 2. *Post hoc* vulgati. *Accensus furiis* Virgil. Æn. XII, 946.

Digitized by Google

Fortiaque arma Thetin supplex rogat : illa relictis
Fluctibus, auxilium Vulcani protinus orat.
Excitat Ætnæos calidis fornacibus ignes
Mulciber, et validis fulvum domat ignibus aurum.
Mox effecta refert divinis artibus arma,
Et donat Thetidi : quæ postquam magnus Achilles
Induit, in clypeum vultus convertit atroces.
Illic Ignipotens mundi cælaverat axem,
Sideraque, et [liquidas redimitas undique Nymphas.
Fecerat et mira liquidas Nereidas arte,
Oceanum] terras, et euntem Nerea circum,

861. *Auxilii fulgari* vitiose G. 2.

862. *Ætnæos ignes* hic nominat Homerista Virgilium imitans, Æn. VIII, v. 419 seqq. non Homerum, qui Ætnam flagrantem et Vulcani in ea officinam ignorat. Sic apud Reposianum de Concub. Martis et Veneris, v. 163, Vulcanus, ut vincula illigandis adulteris fabricet, « Antra furens Ætnæa petit ».

864. *Mox effecta refert :* sic H. G. 1 et 2. Vulgatæ cum A. *Mox effecta ferens.*

865. Vulgatæ *Evolat ad Thetidem*, quod minime aptum est Vulcano, qui claudus describitur ab Homero. — Et propterea *tardipes Deus* vocatur a Catullo, Carm. 31. Ed. — Hinc G. 1 *Advolat et Thetis*, quod metro adversatur : et G. 2 duplicem lectionem exhibet more suo, *Et donat Thetidi*, simul supra *Et volat ad Thetidem*, quomodo et Helmst. Prius convenientissimum et a me receptum est.

867. *Illic Ignipotens*, i. e. Vulcanus. Vid. quæ diximus ad vers. 105. Pro *axem* malim *axes*, quod est in G. 2. *Arcem* scribit H. Videtur respicere Ovid. Metam. XIII, 110 : « Nec clypeus vasti cælatus imagine mundi ». Verba sequentium versuum, quæ uncis inclusimus, delenda sunt ut spuria : quod demonstravimus Excursu secundo.

870. *Terras, et cinctum Nerea circum*, sic omnes editi cum MS G. 2, qui tamen et *tinctum* addit, absurde. Guelf. 1 quidem, A. et L. habent *terris et cinctum*, quod tamen admitti nequit, quum et *terras*, ut distinctam partem universi, hic nominare necesse sit, et Nereus, h. e. mare, terris cinctus dici nequeat, qui contra cingit terras. Sic Ovid. Met. II, 6, quem Noster sine dubio respexit : « Æquora cælarat medias cingentia terras ». Priscianus, initio Perieges. « Oceanum, tellus quo cingitur æquore tota ». Et conf. quæ diximus ad Lucilii Ætnam, v. 93. Propterea et Nostri dictio *cinctum Nerea circum* suspecta videri potest. Barthius l. c. legi vult *et euntem Nerea*, quod sane probo, et quia melius nihil novi, in textum recepi. Potest tamen *cinctus circum* mutato sensu ab auctore positum esse pro *circumductus* vel *circumfusus*, atque adeo τῷ *cinctum*

Digitized by Google

Annorumque vices, dimensaque tempora noctis,
Quattuor et mundi partes, quantum Arctos ab Austro,
Et quantum Occasus roseo distaret ab Ortu:
Lucifer unde suis, unde Hesperus, unus uterque,
Exoreretur equis; quantus Sol orbe mearet,

forte substitui *ductum* vel *fusum*. Ovid. Met. I, 12 : « Et circumfuso pendebat in aere tellus ». — Videtur subinde *cingere* usurpari a poetis pro circumducere, circum adponere vel adjungere. Sic Silius, VIII, 617 : « Non totidem Ilva viros, sed lectos cingere ferrum » ; quamquam ibi legere malunt *gignere* ferrum, vel *stringere*. Sed plane ut Noster τὸ *cingere* usurpavisse videtur Mela, lib. III, cap. 1 : « Restat ille circuitus, quem, ut initio diximus, cingit Oceanus », id est, circumducit. Sed hic etiam Barthius emendare vult *gignit*. Vid. adnot. nostra ad Avieni Descript. Orbis, v. 78, quæ tomo sequenti inseretur. Ed.

871. *Annorumque vices* scripsimus cum vulgatis (*Astrorumque* G. 1), et *dimensaque* cum G. 1 et 2. Vulgatæ *diversaque*. G. 2 utramque lectionem exhibet.

872. *Arcton ab Austro* habent editi : correxi *Arctos*.

874. *Unde suis et Hesperus* G. 2. —*Unus et alter* A. et L. sed rectum est, quod cæteri habent *unus uterque*. Nam poetæ Luciferum et Hesperum nominibus quidem distinguunt, sed unam stellam agnoscunt. —Vid. quæ ad Eleg. in obit. Mæc. in Excursu diximus, vs. 129-132, huj. op. t. II, p. 232 et sqq. Ed.— Clare hoc indicat Seneca in Hippol. 750 : « Qualis est primas referens tenebras Nuntius noctis, modo lotus undis Hesperus, pulsis iterum tenebris Lucifer idem ». Quod eumdem esse significant, propterea eum desultorio vel mutato equo uti dicunt, quando alius procedit. Diserte Statius, Theb. VI, 237 : « Roscida jam novies cælo dimiserat astra Lucifer, et totidem Lunæ prævenerat ignes Mutato nocturnus equo; nec conscia fallit Sidera, et alterno deprenditur unus in ortu ». Quoniam igitur mutatis equis discernuntur Lucifer et Hesperus, hinc Noster utrumque *suis equis exoriri* dicit, quamvis alii, et in his Lips. et G. 2 *aquis* scribant, idque præferre velit cl. Anton. *de Rooy*, p. 99. Cæterum observavi in Lucilii Ætna legi versus, ad quos adludere hic Noster videatur. Nam ille v. 168 : « Hinc furtim Borea atque Noto, nunc unus uterque » ; et v. 239, « Lucifer unde micet, quave Hesperus, unde Bootes ». Alium similem Lucilii ad versum sequentem adducimus. Facile possis inde argumentum ducere lecti ab auctore nostro Lucilii.

875. *Exoriatur equis* habent editi, sed judice Dorpio, p. 129, præstat legere *Exoreretur*, quod ille in cod. Leid. exstare dicit, et ego in Helmst. et G. 1 invenio ; proxima etiam verba *distaret, mearet, lustraret* poscunt. Porro *et quantus in orbe mearet* legunt H. et G. 1 ; *et quantum in orbe* A. et L. nec tamen quo referendum sit *quantus*, potest perspici, quum de præcedente Hespero intelligi nequeat, et sequatur

Digitized by Google

Quantum et Luna cava lustraret lampade terras.
Addideratque freto sua numina, Nerea magnum,
Oceanumque senem, nec eumdem Protea semper,
Tritonesque feros, et amantem Dorida fluctus.
Terra gerit silvas, horrendaque monstra ferarum,
Fluminaque et montes, cumque altis oppida muris,
In quibus exercent leges animosaque jura
Certantes populi: sedet illic æquus utrique

Luna. Vulgata lectio *quantum vel in orbe mearet* valere in tantum potest, ut *vel* positum sit pro *et*, ex more sequioris latinitatis (videatur Pervig. Ven. v. 53), et corrigatur *quanto vel in orbe mearet Luna*, h. e. quantum orbem Luna cursu conficiat; quomodo Lucilius in Ætna, vs. 228: « Solis scire modum et quanto minor orbita Lunæ est, Hæc brevior cur bissenos cita pervolet orbes, Annuus ille meet ». Sed altius adhuc vulnus in versu latet. Nam Lucifero et Hespero, deinde Luna, nominatis, cur Solem tacet, qui præcipue nominandus erat, et cum Luna, ut in Lucilii adductis versibus, in ipsoque Homero, Il. XVIII, 484, quem hoc loco exprimit auctor, factum est, conjungendus? Valde igitur suspicor, illud *vel*, quod in vulgatis exstat, ortum esse ex voce *Sol*, adeoque juvantibus scriptis, qui *quantus* habent, legendum esse: *quantus Sol orbe mearet, Quantum et Luna cava lustraret lampade terras;* ut *orbi* Solis, qui semper plenus est, opponatur *cava lampas* Lunæ. Nam sequente versu vulgati habent *Luna cava et nitida lustraret;* et G. 1 *Quantum et cornuta lustraret.* Præterea G. 2 *cælum* pro *terras.*

877. *Addideratque fretis* H. *fortis* G. 2, vitiosissime.

878. *Vertentem Protea semper* perperam legunt excusi. Barthius quidem, p. 2808, ἀρχαϊσμὸν elegantem esse dicit pro *verso* vel *vertibili*, sed melius omnino Mspti omnes; quibus utor, *nec eumdem Protea semper.* Hoc etiam ed. Basil. Torini in margine notat.

879. *Tritonesque feros.* Feri nominantur, quia ex parte belluam referunt, et pisces pro pedibus habent. Sic *ferum* et *semiferum* Tritona appellat Claud. de Nupt. Hon. 138 et 145. Post hunc versum G. 1 et 2 repetunt, ut in Excursu dixi, versum 869, « Fecerat et liquidas mira Nereidas arte ». Omittitur vero hic in H. cod. et Lips. ed.

880. *Terra gerit silvas.* Hoc et sequente versu respexisse et pæne expressisse hos Ovidii videtur, Met. II, 15: «Terra viros, urbesque gerit, silvasque, ferasque, Fluminaque, et Nymphas, et cætera numina ruris ».

881. *Cumque altis oppida muris.* G. 2 his verbis superscribit aliam lectionem vocibus tantum diversam *cumque altis mœnibus urbes.*

882. *Animosaque jura.* Hoc scitissime dictum putat Barthius, Adv. p. 2809, quia vitiis longe potentioribus opponunt sese.

883. *Æquus utrisque* H. G. 1 et 2. In edd. est *utrique*, nempe in unaquaque caussa actori et reo.

Digitized by Google

Judex, et litem discernit fronte severa.
Parte alia castæ resonant Pæana puellæ,
Dantque choros molles: hæc dextra tympana pulsat,
Illa lyræ graciles extenso pollice chordas
Percurrit, septemque modos modulatur avenis.
Carmina componunt mundi resonantia motum:
Rura colunt alii, sulcant gravia arva juvenci,
Maturasque metit robustus messor aristas,
Et gaudet pressis immundus vinitor uvis.
Tondent prata greges, pendent in rupe capellæ.
Hic intermedius stabat Mars aureus armis,
Diva potens Atropos circa, reliquæque sedebant
Sanguineis mœstæ Clotho Lachesisque capillis.

884. *Et lites* H. et G. 1. Pro *fronte serena*, quod in omnibus meis est, cl. Dorpius, p. 129, mavult *severa*, quod in cod. Leidensi legitur, et de judicibus usitatissimum est.

885 *Resonant castæ* G. 1 et 2.

886. *Et tympana dextera pulsat*, G. 1: et *dextra tympana* G. 2: sed præferenda lectio vulgata *hæc dextra*, propter sequentia.

887. *Extento pollice* G. 1.

888. *Septemque modis* exhibent edd. sed *modos* tres mei Mspti, quod jam sine codicibus vidit Barthius, p. 2809, et in cod. Leidensi etiam se invenisse scribit Burmannus, Anthol. Lat. t. I, p. 51.

889. *Motus* G. 2 et A. Tangit Veterum opinionem de siderum harmonia, de qua egimus ad principium carminis Licentii ad August.

890. *Versant gravia arva* H.

892. *Sic gaudet pressis invidus vinitor* A. vitiose.

893. *Pendent in rupe capellæ*. Cl. Dorpius, p. 130, præfert *de rupe*, quod in cod. Leidensi legit, et ex Virg. Ecl. I, 77, probat: «Non ego vos posthac viridi projectus in antro Dumosa pendere procul de rupe videbo».

894. Hi tres versus valde interpolati mutatique in quatuor meis codicibus sunt, quorum variationes vix meliores textu vulgato deprehendo, nec omnes sine tædio referre possum: delectum tamen habebo. Guelf. 1 hic scribit *mediis stabat*: et G. 2 hunc versum absurde subjicit: «Quem circa Divi reliqui circumque sedebant». De ipsa imagine his versibus exposita vid. Excursus tertius ad hujus carminis calcem.

895. *Diva potens Atropos*. Hunc versum ex Guelf. 1, quia comptior aptiorque aliis videbatur, retuli. Editi enim legunt *Atropos hunc circum stabat, reliquæque sorores*. Helmst. *Hunc Atropos circum Divæ reliquæque sedebant*. Et G. 2 hunc versum ineptum subjicit: *Postquam Diva potens reliquæ circumque sedebant*.

896. *Sanguineis mœstæ*. Adlusisse

Digitized by Google

XIX et XX. Talibus ornatus donis Thetideius heros
In medias acies immani turbine fertur.
Cui vires præbet casta cum Pallade Juno,
Dantque animos juveni: videt hunc Cythereius heros
Occurritque viro, sed non cum viribus æquis,
Æacidæ nec compar erat; tamen ira coegit
Conferre invictis juvenem cum viribus arma.
Quem nisi servasset magnarum rector aquarum,
Ut profugus Latiis Trojam repararet in arvis,

videtur hemistichium Virgilii, Æn. III, 64: « Cæruleis mœstæ vittis ». —Et de Parcis Catullus, in Epithal. Pel. p. 186 Voss. « At roseæ niveo residebant vertice vittæ ». Ed.

898. *Immani turbine.* Helmst. *cum magno turbine.* Hic versus in G. 2 perperam subjicitur versui 901.

899. *Cum casta Pallade* G. 1 et 2. *Præbent* G. 2.

900. *Dant animos* G. 1. *Hunc contra Cythereius* H.

901. *Sed enim non viribus æquus* H. Sic apud Maronem, Æn. V, 809, Neptunus dicit, « Pelidæ forti Congressum Æneam, nec Dis, nec viribus æquis ».

902. Perperam hic quatuor Mspti, item ed. vetus Lips. exhibent *corpus erat.* Helmst. tantum pro emendatione vel alia lectione *æquus* et G. 2 *compar* suprascriptum habet, quod edd. Torini et Spondani recte servarunt. Spondanus tamen transposuit voces *Æacidæ nec erat compar*, fortasse quia in *compar erat* peccatum contra metrum a librariis credebat. Sed observat ad hunc locum Barthius, Adv. p. 2809, auctorem corripuisse syllabam in *compar*, pro more sequioris latinitatis, quomodo Prudentius in Romano, « Meatus unus impar ad laudes Dei ». Et Avianus duobus locis similiter hanc corripuit, fab. XI, 5, « Dispar erat fragili et solidæ concordia motus »; et fab. XVIII, 10: « Tantorum solus viribus impar erat ».

904. *Rector aquarum,* Neptunus, a quo servatum, et pugnæ ereptum esse Æneam, cum Achille congressum, refert Hom. XX, 325 seqq. et ipse Neptunus gloriatur apud Virg. Æn. V, 804 seqq.

905. *Ut profugus lætis Trojam repararet in armis.* Sic legunt editi omnes, et plerique scripti. Sed Barthius jam l. c. emendandum putavit *in arvis*, quod etiam margini adscriptum in cod. Helmst. reperio. Præterea cl. Bondam. p. 173, pro *lætis* præclare conjecit *Latiis*, quod sane necesse est ut substituatur, si *arvis* præferendum est vulgato *armis*. Inclinasse huc scriptor codicis Helmstad. videtur, qui super voc. *letis* literam *a* scripsit. Sic et sæpius loquitur Virgilius, quando Trojam illatam Latio dicit Æneid. I, 6. Trojam in Italia restituendam Æn. III, 504, Ilium in Italiam portari Æn. I, 68. Et Ovidius, plane ut Noster, Fast. IV, 251: « Quum Trojam Æneas Italos portaret in agros ». —Vide editionem nostram Ovidii, vol. VI, p. 251. Ed.

Digitized by Google

Augustumque genus cæli submitteret astris,
Non claræ gentis nobis mansisset origo.
Inde agit Æacides infesta cuspide Teucros,
Ingentemque manum prosternit cæde virorum,
Sanguinis Hectorei sitiens: at Dardana pubes
XXI. Confugit ad Xanthi rapidos perterrita fluctus,
Auxiliumque petit divini fluminis: ille
Instat, et in mediis pugnatur gurgitis undis;
Ira dabat vires, stringuntur sanguine ripæ,

906. *Claris committeret astris* H. quod deterius est. *Submitteret astris* explicari potest *hinc mitteret in astra*, vel inferret astris fama et gloria; sed tamen malim sic interpretari, ut significet, genus Augustum faceret venire in vitam et sub cælum, quemadmodum Virgilius de genere Augusto loquitur Æneid. VI, 790: « Hic Cæsar et omnis Iuli Progenies, magnum cæli ventura sub axem ». Ad cujus exemplar loci, nostro in versu legendum putavi *cæli submitteret astris*. Nempe *submittere* interdum est efferre et sursum emittere. Hinc *submissæ* manus vel palmæ, i. e. elatæ sæpe occurrunt apud poetas, e. g. Sil. Ital. XII, 640. Et Propertius, I, 2, 9, de floribus: « Adspice quot submittat humus formosa colores ». Cæterum Barthius l. c. ex hoc versu non temere colligit, poema istud ab Romano homine, et Roma adhuc sub Augustis imperantibus florente, scriptum esse. — Hanc opinionem Barthii in procœmio de Epitome Iliados, init. Wernsd. retulit. Ed.

907. *Nec claræ* G. 2, perperam: et ibi subjicitur hic versus ineptus: « Ni se proriperet curru quoque invisus abiret »: quod glossema contra Homerum est. Barthius l. c. illud *claræ* non probat, et aliud quidpiam in eo latere putat, *Non Latiæ*, vel *Non Iulæ* gentis. Sed non opus erat gentem Juliam alio, quam appellativo nomine *claræ* designare, quum ea jam satis intelligi ex præcedente *Augustumque genus* possit. *Clara* autem κατ' ἐξοχὴν dicebatur *gens Julia*, quod apparente Julio sidere, vel Dionæo astro, quod Horatius et Virgilius dicunt, præcipue declarata putabatur.— *Originem* Iulæ gentis Noster Æneam dicit ad modum Virgilii, qui Æneid. XII, vs. 166: « Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo »; et Æn. I, 286: « Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar Julius, a magno demissum nomen Iulo ».

909. *Ingentemque modum* legunt omnes mei scripti, quod non spernendum puto, et *modus* subinde dicitur pro quavis magnitudine vel mensura, ut ab Horatio, Sat. II, 2, 36: « Scilicet illis Majorem natura modum dedit »; et II, 6, 1: « modus agri non ita magnus ».

913. *In mediis bellatur* H.

914. *Stringuntur sanguine* H. et sic in duobus biblioth. Leid. codicibus legi testatur Burmannus sec. ad Anthol. t. I, p. 73. *Tinguntur* alii habent, quod deserui.

Digitized by Google

Sparsaque per totos volvuntur corpora fluctus.
At Venus et Phrygiæ gentis tutator Apollo
Cogunt in Danaos Xanthi consurgere fluctus,
Ut fera terribili miscentem prælia dextra
Obruat Æacidem, qui protinus undique totis
Impediatur aquis: sed vasto gurgite præceps
Volvitur, atque virum torrentibus impedit undis,
Prætardatque gradus: ille omni corpore sævas
Contra pugnat aquas, adversaque flumina rumpit,
Et modo disjectos humeris, modo pectore vasto
Propellit fluctus, quem longe provida Juno
Adseruit, rapidæ ne cederet ictibus undæ:
Sanctaque pugnarunt inter se numina Divum.
Rursus agit Phrygias ingenti cæde catervas
Horridus Æacides, bellique ardore resumpto
Funereas acies horrendaque prælia miscet.
Non illum vis ulla tenet, non sæva fatigant

919. Pro *obruat* Guelf. 2 ponit *obpluat*, quod verbum non iniquum huic loco esset, si scriptoris alius usu probaretur.

920. *Impediatur aquis, sed vasto:* sic vulgati plerique et scripti. Lips. modo habet *Impeditur*, et Helmst. *Expediatur aquis et vasto*, quæ lectio alteri contraria latens vitium prodit. Lego: *Impetuosus aquis, et vasto*, etc. Caussas, emendationis expono in Excursu IV ad calcem hujus carminis.

921. *Solvitur atque* G. 1.

922. *Prætardatque gradus* est scriptura trium codd. *Retardatque* habet A. *Prætenditque* vulgati, minus recte. Statius, Thebaid. II, 671: «Tardatique gradus». At verbum *prætardo* abesse video a lexicis.

924. Excusi cum cod. A. habent *disjectis humeris*. Scripsi *disjectos*, quia tres scripti mei præferunt *dejectos*.

925. *Perpellit fluctus* G. 2.

926. In vulgatis legitur *Admonuit, rapidæ quo cederet.* Helmst. *Adseruit, rapidæ*, supra scripto *admonuit*. Sed rectius G. 1 *Adseruit, rapidæ ne cederet*, i. e. sustentavit, confirmavit. *Imbribus, ignibus, fluctibus undæ* G. 2. Juvit autem Juno Achillem, quod Vulcanum ejus in auxilium excitavit, ut fluvii ripas campumque incenderet.

927. *Sanctaque pugnarunt*, pro quo G. 1 *Sacraque*. Hoc versu auctor sane nimium breviter attingit rixas et prælia, quibus Dii Deæque depugnant super Trojanis, Mars cum Minerva, Neptunus cum Apolline, Juno cum Diana apud Homerum, Iliad. XXI, v. 385-515.

931. *Vis ulla movet* G. 2.

Digitized by Google

Pectora pugnando; vires successus adauget.
Perculsi dubitant trepida formidine Troes,
Atque intra muros exhausta pæne salute
Confugiunt, portasque objecto robore firmant.
XXII. Unus, tota salus in quo Trojana manebat,
Hector adest, quem non duræ timor undique mortis,
Nec patriæ tenuere preces, quin obvius iret,
Et contra magnum contendere vellet Achillem.
[Ante oculos subito visa est Tritonia Pallas]
Quem procul ut vidit tectum cælestibus armis,
Pertimuit, clausisque fugit sua mœnia circum

932. *Bellando vires succensus adauget* scribit G. 2, sed melius vulgati. *Vires successus adauget* idem est, ac quod supra 494 et 768 dixit *geminat victoria vires*.

933. *Percussi* quidem exprimunt omnes libri mei præter edd. Tor. et Sp. at *perculsi* tamen aptius huic loco existimavi.

934. Scripsi *intra muros* cum G. 1 et 2 : reliqui tenent *inter muros*. — *Exhausta pæne salute*, h. e. quum pæne periissent, et spes fere omnis salutis evanuisset. Virgilio dicitur « absumpta salus », Æn. I, 555.

935. Vid. vers. 683. Ed.

937. *Quem non duri timor undique Martis* : sic editi cum G. 1. *Quem nec duri* G. 2. Dussenius, pag. 40, mavult *duri furor undique Martis*, quia similiter Noster supra de Achillis virtute : « Non illum vis ulla tenet ». Contra cl. Dorpius, p. 130, corrigendum censet *duræ mortis*, quia sic in cod. Leid. scriptum, et Lucan. I, 459, ait : « Felices errore suo, quos ille timorum Maximus haud urget leti metus ». Ego vero idem in cod. Helmst. inveni, atque ea lectio quodammodo confirmatur Virgiliano versu, Æneid. II, 369 : « ubique pavor, et plurima mortis imago ».

940. *Ante oculos subito*. Barthius, Advers. p. 2809, hunc versum insititium a mala manu putat, atque huc reductum de sua sede v. 952. Et verum esse, quod adfirmat ille, facile Homero inspecto intelligitur, qui non aliam Palladis apparitionem tradit, quam quæ ab auctore versu 952 relata est. Suspectum versum etiam hoc indicat, quod in tribus Msptis, quibus utor, alio loco, nempe post sequentem versum ponitur.

941. *Quem procul ut vidit tectum*, legunt omnes scripti et editi. Cl. Ant. *de Rooy*, p. 100, emendatum vult *Quam procul ut vidit tectam*, quia de Pallade, quæ præcedente versu nominatur, intelligebat. Nunc quum versum eum spurium pronuntiamus, retinenda est vulgata lectio, quæ Achillem respicit. Hinc in *cælestibus armis* intelligenda Achillis arma a Vulcano fabricata, quemadmodum Maro, Æn. XII, 167, de Ænea : « Sidereo flagrans clypeo et cælestibus armis ». Et Hectorem

Digitized by Google

Infelix portis : sequitur Nereius heros.
In somnis veluti, quum pectora terruit ira,
Hic cursu super insequitur, fugere ille videtur,
Festinantque ambo; gressum labor ipse moratur.
Alternis poterant insistere cœpta periclis,
Nec requies aderat, timor undique concitat iras.

timuisse conspecto Achille armis fulgente, refert Hom. XXII, 136.

943. *Sequitur Nereius heros* H. et G. 2. Excusi habent *Thetideius*. Infra, v. 980, idem Nereius dicitur : et Saleius, Carm. in Pis. v. 164, eo nomine utitur. In G. 1 hic versus erasus et deletus est, caussa non adparente.

944. *Insomnis* et *insolita* notat G. 2. Hic versus aliter, ac edd. habent, distinguendus et cum sequentibus conjungendus, comparationem continet, ab Homero, Iliad. XXII, 199 seqq. et Virgilio, Æn. XII, 908, usurpatam, cum somniantibus, qui sibi videntur alterum currendo vel consequi, vel fugere, nec tamen sopore pressi et languidi quidquam proficiunt. Videtur Noster utriusque locum respexisse, et partim imitari voluisse, sed non adsequutus est.

945. Edd. legunt *Hic rursus super insequitur*. Barthius l. c. recte vidit legendum esse *Hic cursu ;* sed adhuc mendosum videtur *super insequitur*. Igitur lego cum Helmst. *Hic cursu superum sequitur*, vel *insequitur*, et *superum* intelligo de eo, qui prior et cursu superior est, quique *fugere videtur*.

946. *Gressum labor ipse moratur*. Sic scribendum Barthius l. c. docet et codd. H. et G. 1 ostendunt, quum vulgatæ habeant *labor ille*, et G. 2 perperam *gressu labor ille movetur*. Videtur auctor exprimere voluisse sententiam Maronis in eadem comparatione, Æneid. XII, 909 : « nequidquam avidos extendere cursus Velle videmur, et in mediis conatibus ægri Succidimus ».

947. *Alternis poterant insistere cœpta*. Sic scriptum est in edd. et G. 1. Cæteri paullo mutant. *Alterius* H. et G. 2. *Alternis poterant ut sistere* A. et L. *Insistere cœpta* hic significat fugam persequi, instare cursu, ut Virg. *viam insistere* dixit Georg. III, 164. Tum vero τὸ *poterant* et versu seq. *aderat* minime convenit loco, et, si quid video, legendum est *Alternis properant insistere cœpta periclis*, h. e. properant uterque persequi, quem cœperunt, cursum, alternis periculis, modo hoc, modo illo periclitante, aut periculum alterius sperante.

948. *Nec requies aderat, furor undique concitat iras*. Sic legit ed. Tor. Sed *timor undique* H. G. 1. A. et L. quod rectius est. Nempe dum heroes utrique timent, ne alter ab altero superetur, hic timor in iis iram acuit et contentionem auget. Guelf. 2 profert *concipit iras*, quod non magni facio. In priore autem hemistichio legendum puto « Nec requies datur, et timor undique concitat iras ». Et fortasse respexit Noster fugam Daphnes, Apolline persequente, ab Ovidio descriptam, Metam. I, 539 : « Sic Deus et virgo

Digitized by Google

Spectant de muris miseri sua fata parentes,
Pallentemque vident supremo tempore natum,
Quem jam summa dies extrema luce premebat.
Hinc subito ante oculos similis Tritonia fratri
Occurrens juvenem simulato decipit ore.
Nam dum Deiphobi tutum se credidit armis,
Transtulit ad Danaos iterum sua numina Pallas.
Concurrunt jactis inter se cominus hastis
Invicti juvenes : hic vastis intonat armis;
Ille hostem validum nequidquam umbone repellit,
Alternisque ferox mutat congressibus ictus.
Sudor agit rivos, ensem terit horridus ensis,
Collatusque hæret pede pes, et dextera dextræ.
Interea validam Thetideius extulit hastam,

est : hic spe celer, illa timore. Qui tamen insequitur, pennis adjutus amoris Ocior est, requiemque negat, tergoque fugacis Imminet ».

951. *Summa dies suprema luce :* sic editi. Sed hoc ταυτολόγως et parum eleganter dictum est, præsertim voce *suprema* bis posita : scriptus A. tamen habet *extrema luce*, quod malo : aut, si vis, lege *Quem jam summa dies fatorum lege premebat.*

952. *Huic subito* edd. *Hinc subito* habent H. et G. 1, quod aptius est. *Oculos visa est Tritonia Pallas* A. et Lips.

954. *Nam nunc* edd. *Nam dum* H. quod prætuli cæteris. *Jam tum* G. 1. *Nam tunc* Lips.

956. *Hastis* et *armis* G. 2.

957. *Intonat armis* dictio Virgiliana, Æn. XII, 700.

958. *Nequidquam umbone repellit*, ut Virg. Æneid. II, 545 : « rauco quod protinus ære repulsum, Et summo clypei nequidquam umbone pependit ».

959. *Mutat congressibus ictus*, i. e. congrediens ictus. aliter atque aliter infert. Alterni congressus sunt, quos significat Naso, Metam. IX, 42 : « Digredimur paullum, rursumque ad bella coimus ». In margine codicis Helmst. hic versus adponitur : « Indignatur eum sibi posse resistere Achilles ».

960. *Sudor agit rivos.* Virgil. Æn. V, 200, « sudor fluit undique rivis », et vid. vs. 807.

961. *Collatusque hæret.* Virg. Æn. X, 361 : « Concurrunt, hæret pede pes, densusque viro vir ». Magis tamen respexit Ovidium, Metam. IX, 44 : « eratque Cum pede pes junctus : totoque ego pectore pronus Et digitos digitis, et frontem fronte premebam ». In edit. Lips. hic versus subjungitur, qui jam adfuit : « Alternis poterant insistere cœpta periclis ».

962. *Interea validam.* Hic versus in H. et G. 1 omittitur, qui tamen abesse non potest.

Digitized by Google

Inque virum magnis emissam viribus egit;
Quam præterlapsam vitavit callidus Hector:
Exclamant Danai. Contra Priameius heros
Vibratum jaculum Vulcania torquet in arma,
Nec successus adest, nam duro inflectitur auro:
Dissiluit mucro: gemuerunt agmina Troum.
Concurrunt iterum collatis fortiter armis,
Inque vicem duros evitant cominus enses.
Nec sufferre valet ultra, sortemque supremam

963. *Inque virum.* Hunc versum codd. Helmst. et G. 1 cum priore, quem omiserant, contrahunt hoc modo: *Inque vicem magnis emisit viribus hastam.* Lips. vero ed. post *viribus egit* hunc inserit: *Hastam, quam manibus sævis vibravit Achilles,* quod manifestum glossema est.

964. Sequutus sum lectionem codicum H., G. 1, et ed. L. Cæteri legunt *Quam post elapsam.*

967. *Inflectitur auro.* Cl. *de Rooy*, p. 100, substituit *ære*, quia Virgil. Æn. II, 545: « quod protinus ære repulsum »; et Homerus, Iliad. III, 348, clypeo χαλκὸν tribuit. Sed propterea *auro* non movendum est. Nam sermo est de armis Vulcaniis, quæ ex auro fabricata esse, Noster supra v. 863 dixit. Neque heroibus veteribus infrequens est clypeos auro cælatos gestare. Ovid. Metam. VIII, vs. 26: « Seu sumpserat auro Fulgentem clypeum, clypeum sumpsisse decebat ».

968. *Dissiluit mucro.* Paullo abruptum hoc videtur, ut fere suspicer, versum aliquem excidisse. Nam ante de jaculo vibrato sermo fuit, nunc de mucrone, i. e. ense. Et in *Dissiluit* exprimere quidem auctor videtur, quod Turno apud Virg. Æn. XII, 739, accidit: « postquam arma Dei ad Vulcania ventum est, Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit ». At hic mucro, qui *inflectitur auro*, h. e. obtunditur, vel avertitur, non dici potest *dissiluisse* sc. in frusta, sed decidisse. Proinde parum abest, quin tuendam putem lectionem, quam sola ed. antiqua Lips. exhibet, *Desiliit mucro*, aut, quod propter connexionem melius foret, *Desilit*, vel *Decidit et mucro.* Sed hoc observasse contentus, quod alii codices non favent, nihil amplius tento.

969. Pro *collatis* H. *collectis.* G. 2 utrumque *collatis* et *collectis.*

970. *Inque vicem strictos commutant* legunt edd. Tor. et Sp. Sed *commutare enses*, pro mutuis se ictibus ensium ferire, merum Teutonismum esse censet Barthius, Adv. LVIII, 14, p. 2753. Etiam suspectum hoc visum Dussenio, qui mavult *committunt* l. cit. pag. 40. Sed scripti mei G. 1 et 2 legunt *Inque vicem duros evitant cominus enses.* H. A. et L. *duros commutant.* Teneo itaque *duros evitant*, et interpretor concurrentes ensibus diu ita digladiantur, ut ictus evitent invicem, nec vulnera accipiant. Post enim rursus cedit Hector et fugit. Possis etiam ad exemplar versus 959 le-

Digitized by Google

Horruit instantem defectis viribus Hector.
Dumque retro cedit, fraternaque rebus in arctis
Respicit auxilia, et nullam videt esse salutem,
Sensit adesse dolos : quid agat? quæ numina supplex
Invocet? et toto languescunt corpore vires
Auxiliumque negant; retinet vix dextera ferrum,
Nox oculos inimica tegit, nec subvenit ullum
Defesso auxilium : pugnat moriturus et altos

gere : « Inque vicem duros commutant cominus ictus ». — *Mutare ictus* vel *commutare enses* eadem ratione dici videtur, qua apud Claudian. de Nupt. Hon. et Mar. v. 86, « permutare radios », nempe mutuos et transversos ictus vibrare et reddere. Enses et radii æque stringunt se et stringuntur invicem, vibrant et repercutiunt, adeoque permutantur. Ed.

972. *Horruit instantem* legunt Tor. et Sp. et MS G. 2; sed *Instantem Æaciden* G. 1, A. et L. *Instantemque Æacidem* H. Hoc ex glossa irrepsisse videtur, quamquam nec illud *Horruit* satis placet. Fortasse utramque lectionem sic concilies : « sortemque supremam Horret in Æacide ». Deinde pro *defectis viribus* Burmannus ad Anthol. Lat. I, p. 89, corrigit *defectus*.

973. *Fraternaque fessus in armis*. Hæc lectio editionum vulgarium Dussenium pariter et Dorpium offendit. Ille *pressus in armis* vult, ut *pressus* hic talem denotet, quem in angustias compulsum hostis celeri gressu persequitur, et ad pugnam urget; probatque loco Virgilii, Æn. I, 471. Sed quod hic illata voce *pressus* exprimi voluit, id multo melius duce codice Leid. dedit cl. Dorpius, *rebus in arctis* scribens : quæ formula sane frequens ab eo locis Claudiani, de IV Cons. Hon. 407, et in Eutrop. II, 354, probatur. Accedunt tres scripti mei, qui singuli exhibent *rebus in artis*, A. *fraternaque in artis*, omisso per errorem *rebus*, et Lips. vitiose *rebus in armis*.

975. *Sentit adesse* G. 2. — De formula *quid agat?* conferenda sunt quæ notata sunt hujus op. t. II, El. XII, v. 37, p. 301. Et quemadmodum hic dicitur *quæ numina supplex Invocet?* Sic supra Reposianus, v. 145 : « Quod numen poscat? » Ed.

976. *In toto languescunt* scribunt edd. Tor. et Sp. cum G. 2; sed, quod cæteri libri veteres tenent H. G. 1, A. et L. *et toto*, id præferendum putavi.

979. *Defenso auxilium* præferunt edd. Tor. et Sp. sed vitium in ea lectione facile odorati sunt docti viri. Dussenius, pag. 42, *deprenso* emendat, et deprensum dici ait, qui ita inclusus tenetur et oppressus, ut omnis elabendi via præclusa sit, additque locos Virg. Æn. VIII, 247; Catull. XXV, 15; Propert. II, 25. Certiorem emendationem, et ex mente auctoris necessariam, Dorpius, pag. 131, dedit, *Defesso auxilium*, codice Leidensi firmatam, et, quod addo, quatuor

Digitized by Google

Cordę premit gemitus : instat Nereius heros,
Turbatumque procul premit undique ; tunc jacit hastam,
Et medias rigida transfixit cuspide fauces.
Exsultant Danai, Troes sua funera deflent.
Tum sic amissis infelix viribus Hector :
« En concede meos miseris genitoribus artus,
Quos pater infelix multo mercabitur auro :
Dona feres victor. Priami nunc filius orat,
Te Priamus, dux ille ducum, quem Græcia solum
Pertimuit : si nec precibus, nec munere victus,
Nec lacrymis miseri, nec clara gente moveris,
Adflicti miserere patris : moveat tua Peleus
Pectora pro Priamo, pro nostro corpore Pyrrhus ».
Talia Priamides, contra quem durus Achilles :
« Quid mea supplicibus tentas inflectere dictis
Pectora ? quem possem discerptum more ferarum,

meis veteribus H. G. 1, A. et L. Aberrat G. 2, et *Auferre auxilium* scribit.

981. *Premit procul* H. G. 1 : *turbatum procul* hic dicit, quem alias *proturbatum*.

982. *Transfixit* quidem omnes libri mei, sed malim *transfigit*.

984. *Tum sic* G. 1 : cæteri *Tunc*. Post hunc versum in G. 2 sequitur bellum emblema : « Achilles, si non mihi vis concedere vitam, En concede, etc. »

985. *En concede meos :* sic G. 1 et 2 cum edd. *Nunc concede* H. Dussenius mavult *At concede*, et de usu hujus particulæ Heinsium egisse ait ad Ovid. Epist. XII, 1. Scripti veteres plerumque tales particulas notarum compendiis obscurant, ut raro vera constitui queat. Ego hoc loco fere malim *Heu concede*, quod a librariis sine adspiratione scriptum facile potuit migrare in *En*.

987. *Dona refers* H. *filius oro* habent vulgatæ ; sed multo melius tres scripti *filius orat*, ut simul referatur ad sequentia *Te Priamus*, quæ bella est gradatio.

989. *Nec vulnere victi* H. quod, si de Hectore intelligatur, fere absonum est.

991. *Moveat te Pelops* vitiose G. 2.

992. *Pro nostro pignore* habent edd. sed multo melius *nostro corpore* H. G. 1, 2, et L. Nam *corpus* pro filio ponere solet Noster ; vid. vs. 89.

995. *Pectora ? quem possem.* Pro eo Barthius, comm. ad Stat. t. III, pag. 942, scribendum ait *quem poscam*, i. e. velim, optem, atque hoc verbis Homeri congruum putat Iliad. XXII, 346. Ad exemplum Tydei, caput et cerebrum Menalippi mordentis, quod refert Sta-

Digitized by Google

Si sineret natura, meis absumere malis.
Te vero tristesque feræ cunctæque volucres
Diripient, avidique canes tua viscera pascent.
Hæc ex te capient Patrocli gaudia Manes,
Si capiunt umbræ ». Dum talia magnus Achilles
Ore truci jactat, vitam miserabilis Hector
Reddidit : hunc animo nondum satiatus Achilles
Deligat ad currum, pedibusque exsanguia membra
Ter circum muros victor trahit : altius ipsos

tius, Theb. VIII, 755 seq. plura hujus infandæ immanitatis exempla ex historia congessit Barthius l. c. Pro *discerptum* H. legit *dereptum;* G. 1, A. et L. *direptum;* G. 2 utrumque *direptum* et *discerptum*.

996. Pro *absumere* Helmst. *consumere*.

998. *Canes tua viscera pascent.* Hoc parum latinum cl. Dorpius, p. 132, sic emendandum putat : *avidosque canes tua viscera pascent*, sicut Ovid. in Ib. 194 : « Hic inconsumpto viscere pascet avem ». Et sane τὸ *pascere* activa significatione pro vorare apud bonos scriptores vix occurrit, compositum tamen *depascere* occurrit apud Colum. VII, 5, et in scriptore, qualis hic est, verba omnia ad meliorem usum vix possunt exigi. Igitur hic ampliandum censeo.

999. *Hoc ex se capient* G. 2.

1000. *Si sapiunt* G. 1, quod ineptum est. Forte hoc adumbratum ex illo Virg. Georg. IV, 489 : « Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes ». Calpurn. VIII, 38 : « Si sentire datur post fata quietis ».

1002. *Hunc animi* H. et *animus... Achillis* G. 2. Ad verba *nondum satiatus* recordor epigrammatis, quod exstat Anthol. Lat. lib. I, 94, et *de tractu Hectoris* inscribitur : « Funere turbat equos necdum satiatus Achilles, Hector et exanimis funere turbat equos ». In quo epigrammate offendor voce *turbat*, quod falso dictum putabit, si quis nostrum epitomatorem conferat. Nam hic non turbatos vel consternatos equos Achillis, sed potius superbius altiusque incessisse ob Hectoris funus dicit v. 1005. Hinc fortasse pro *turbat* legendum *tardat* exemplo Statii in Achill. I, 88 : « modo crassa exire vetabit (Achilles) Flamina, et Hectoreo tardabit funere currus ».

1003. *Deligat ad currum* H. et G. 1, quod prætuli vulgato *Adligat*.

1004. *Ter circum muros victor trahit.* Hic Noster iterum Homerum non ex Homero, sed ex Virgilio reddidit, qui Æn. I, 483, ait : « Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros »; sed Homerus ipse ad currum adligatum ter circa Patrocli tumulum, non Trojæ mœnia, tractum ab Achille scribit. Alii poetæ veteres Græci et Latini raptum circa mœnia tradunt, sed de numero ternario silent. Vid. Ovid. Metam. XII, 591, et in Ib. 336. Solum poetarum, qui hoc tradat post Virgilium, esse auctorem Iliados latinæ observat Baylius, Diction. *article*

Digitized by Google

Fert domini successus equos : tunc maximus heros
Detulit ad Danaos fœdatum pulvere corpus.
Lætantur Danai; plangunt sua funera Troes,
Et pariter captos deflent cum funere muros.
XXIII. Interea victor defleti corpus amici
Funerat Æacides, pompasque ad funera ducit.
Ter circa tumulum miseros rapit Hectoris artus,
Et varios cineri ludorum indicit honores.
Tydides circi cursu, pedibusque ferorum
Merionem superat: luctando vincitur Ajax,
Cujus decepit vires Laertius astu:

Achille, n. H. idemque fecisse addit Ausonium in Periocha libri XXII Iliad. Hom. propterea reprehensum a Mariangelo. Hic consensus Ausonii et Homeristæ nostri in re singulari talis est, ut auctorem Epitomes si non ipsum Ausonium, certe eumdem ac Periocharum esse, opinari possimus, quum non ita certo Periochæ Ausonio tribuantur.

1005. *Fert domini successus equos.* Hoc egregie et Homerice dictum putat Barthius, Adv. p. 2809. Nam equos heroum quosdam augures futurorum faciunt poetæ. Paria idem notavit ad Stat. Theb. I, 275, et ad vers. ult. lib. I de Raptu Proserp. Similis dictio in hoc Claudiani de Cons. Olybr. v. 4 : « Blandius elato surgant temone jugales ». Lips. ed. præcedente versu scribit *altior ipsos:* et hoc vs. G. 1 *dum maximus.*

1007. *Deflent sua funera* H. quod e versu 983 huc relatum videtur; *deflent* simul et *plangunt, funera* et *corpora* pro varia lectione exhibet Guelf. 2.

1008. *Deflent cum corpore victo* H. *Cum funere mœsti* G. 1. *Captum deflent cum funere corpus* G. 2. Hæc omnia nihilo meliora sunt vulgatis.

1009. *Defletum* habent edd. sed rectius *defleti corpus* G. 1 et 2.

1010. *Pompasque ad funera ducit.* Virg. G. III, 22 : « solennes ducere pompas Ad delubra juvat ».

1011. Hic quidem vulgata lectio *ter circa tumulum* Patrocli *artus Hectoris raptos* esse dicit, quomodo Homerus ipse, Iliad. XXIV, 16; Mspti vero præstantissimi apud me illud *ter* non agnoscunt, sed Helmst. legit *Tunc circa tumulum*, etc. et Guelf. 1 *Tum circa tumulos.* Quos ego quidem sequendos arbitror, quia probabile est, poetas recentiores, Virgilium sequutos, e terna raptatione Hectoris circa tumulum Patrocli, quam Homerus tradit, fecisse totidem circa muros Trojæ. Quas quum Noster supra jam significaverit, hoc loco eas indicasse non videtur.

1012. *Inducit honores* G. 2.

1013. *Tydides.* Hic versus in omnibus libris male habitus et corruptus est, nec a doctis viris, quorum observationibus hactenus uti potui, emaculatus. Vulgatæ sic scribunt : « Tydides tirisum cursu pedibus-

Digitized by Google

Cæstibus adversis cunctos superavit Epeus,
Et disco fortis Polypœtes depulit omnes,
Merionesque arcu : tandem certamine misso
In sua castra redit turbis comitatus Achilles.
XXIV. Flent miseri amissum Phryges Hectora, totaque mœsto
Troja sonat planctu; fundit miseranda querelas
Infelix Hecube, sævisque arat unguibus ora,
Andromacheque suas scindit de pectore vestes,
Heu! tanto spoliata viro : ruit omnis in uno
Hectore caussa Phrygum, cecidit defessa senectus
Adflicti miseranda patris, quem nec sua conjux
Turbaque natorum, nec magni gloria regni

que ferocem Merionem superat »; quum Helmst. *Tytides tirsim*, G. 1 *thirsim*, et G. 2 *tirsum*. Corruptæ huic voci nomen proprium non subest, nam sequitur *Merionem*. Agitur de certamine equorum, quo Diomedes vicit Merionem, qui hic absurde dicitur *pedibus ferox*, vel *velox*, ut in Lips. legitur. Ego sic statuo legendum : « Tydides circi cursu pedibusque ferorum Merionem superat ».—*Circum* de hippodromis poni a poetis monet Schraderus, Emend. cap. 8, p. 160. Ed. — *Ferorum* dixit pro *equorum*, exemplo Virgilii, Æn. II, 51, V, 818; Manilii lib. V, 76, ubi de ipso auriga circi : « Aut quum laxato fregerunt cardine claustra, Exagitare feros, pronumque antelre volantes » : adde Petronii cap. 89, in Trojæ halosi, v. 12, et Ausonii, qui *Diomedis feros*, i. e. equos dicit Epist. 24, 17. Sic emendatum, quamvis e sola conjectura, versum in contexto posui, ut posset intelligi.

1016. *Superavit Epeus* : sic emendarunt Dorpius et Dussenius, et sic Homerus docet, Iliad. XXIII, 665. In vulgatis et scriptis est *Ephœbus*, *Ephebus*, *Ephemus*.

1017. *Fortis Polypœtes* : sic scribendum ex Homero, Iliad. XXIII, 836. Editi habent *Polibœtes*. G. 1 et L. *forti Polibetes*.

1020. *Troes Hectora* pro *Phryges* Helmstad.

1021. *Miseranda querelas Infelix*. Geminare epitheta Noster solet, ubi alterum adverbialiter exponendum, velut hic *miseranda*, i. e. miserandum in modum ; idemque recurrit versu 1026.

1023. *De pectore vestes*. Videatur versus 850.

1024. *Tanto spoliata viro;* ut Ovid. Met. XIV, 839 : « Præcipuum matrona decus, dignissima tanti Ante fuisse viri conjux ».

1025. *In uno Hectore caussa Phrygum* : ut Pentadius in tumulo Hect. « Occubuere simul spesque salusque Phrygum » ; et Ausonius, Epitaph. Her. XIV : « Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troja sepulta est. Conduntur pariter, qui periere simul ». Cf. v. 1045 et 1059. — *Defecta senectus* est in edd. *funesta senectus* in A.

Digitized by Google

Oblitum tenuit vitæ, quin iret inermis,
Et solum invicti castris se redderet hostis.
Mirantur Danaum proceres, miratùr et ipse
Æacides animum miseri senis : ille trementes
Adfusus genibus tendens ad sidera palmas,
Hæc ait : « O Graiæ gentis fortissime Achilles,
O regnis inimice meis, te Dardana solum
Victa tremit pubes, te sensit nostra senectus
Crudelem nimium : nunc sis mitissimus oro,
Et patris adflicti genibus miserere precantis,
Donaque, quæ porto miseri pro corpore nati,
Accipias : sin nec precibus, nec flecteris auro,
In senis extremos tua dextera sæviat annos :
Saltem sæva pater comitabor funera nati.
Non vitam mihi, nec magnos concedere honores,

et L. Malui *defessa*, quod habent G. 1 et 2 cum H.

1028. Pro *quin iret* Lips. *quando iret inermis*. Eadem constructione supra usus est auctor versu 938.

1031. *Ipse trementes* G. 2.

1032. *Adfusis genibus* pro *adfusus* est operarum vitium in edd. Vid. supra vs. 19 et 86. *Effusus* habet Guelf. 1.

1033. *Fortissime miles* G. 2. Apud Homerum, Iliad. XXIV, 486 seqq. plane alia Priami oratio est, atque hæc apud Homeristam latinum, qui hoc loco, ut in aliis, ipse poetam agere voluit. At puto, inferior est divino illo Homeri Μνῆσαι πατρὸς σοῖο.

1037. *Et patris adflicti genibus*. Sic edd. cum G. 2. *Adfusi genibus* H. et A. *Et patris adflictis rebus miserere precantis* G. 1. Hæc lectio videtur e correctione scribentis esse, qui quum *adflicti genibus* insolitum crederet, cum frequenti formula *adflictis rebus* permutandum putabat : nam post *adflictis* in codice lacuna vel vacuum spatium est. Dussenius, pag. 45, eodem offensus mavult *adfusi genibus*, quod est in H. vel *Et patris adflicti gemitus miserere*. Ego nihil mutandum censeo, et cum Barthio, comm. ad Statium, t. III, p. 394, *adflicti genibus* explico adpulsi tuis genibus, adfixi velut vi quadam. Sic apud Sueton. legitur, Jul. 20, « ad genua accidere ».

1039. *Sin nec precibus :* sic Barthius legendum vidit l. c. et in G. 1 correctum exstat, τῷ *n* infra voculæ *si* adnexo : nam cæteri omnes legunt *si nec*.

1040. *Extremis...annis* G. 1, 2, A. et L. sed vulgata lectio multo melior.

1042. Excusi hic legunt : « Nec jam vita mihi magnos concedit (L. *concedet*) honores, Sed funus crudele meum » : in quo sententia absurda est, aut nulla. Multo re-

Digitized by Google

Sed funus crudele peto : miserere parentis,
Et pater esse meo mitis de funere disce.
Hectoris interitu vicisti Dardana regna,
Vicisti Priamum : sortis reminiscere victor
Humanæ, variosque ducum tu respice casus ».
His tandem precibus grandævum motus Achilles

ctius Helmst. «Nec vitam mihi, nec magnos concedere honores, Sed funus crudele peto » ; quæ sane et consentanea priori orationi Priami, et apta personæ Achillis sunt. Guelf. 1 scribit *Non vitam mihi*, cætera sunt eadem. Nec multum abludit G. 2 : *Non vitam mihi nec magnos concedis honores*. Finxisse hæc auctor videtur ex iis, quæ occisi Pallantis pater dicit apud Virg. Æneid. XI, 180 : « Non vitæ gaudia quæro, Nec fas, sed nato Manes perferre sub imos ».

1043. *Sed funus crudele peto* scripsi duce cod. H. *Crudele mei* G. 1. Vulgatam lectionem posui ad vers. super. Hanc Barthius ad Stat. t. III, p. 394, ita emendare volebat : *Stet vulnus crudele meum*, h. e. ne pergas me ulterius vulnerare, tantopere hactenus læsum. Sed lectione, quam e cod. H. dedimus, nihil convenientius. Cui similis sententia Ovidii est, Met. IX, 179 : « diris cruciatibus ægram Invisamque animam, natamque laboribus aufer, Mors mihi munus erit ». Extremo versu G. 2 variantes lectiones *parentis* et *precantis* ponit, quarum altera fortasse sumpta ex Virg. Æn. X, 598.

1044. *Meo de funere disce* legunt vulgatæ edd. Torini tamen ed. in margine notat *de corpore*, quod habent G. 1 et 2 : sed *de pectore* H. In his fere difficilis electio. Barth. Adv. p. 2810 inhæret vulgatæ *de funere*, et putat Priamum se ipsum appellare funus post interemptum filium, ut cadaver Virgilius in Ciri anum quampiam. Ego præfero *de corpore*, quod et melioribus codicibus nititur, et stylo auctoris, qui *corpus* filium vocare solet. Confer. vers. 89 et 992.

1046. *Sortis reminiscere victor Humanæ*. Haud obscurum est, sententiam hanc adludere, ut alia multa auctoris nostri, ad verba Ovidii, Trist. III, 11, 67 : « Humanæque memor sortis, quæ tollit eosdem, Et premit, incertas ipse verere vices ». Eadem verba ex Ovidio translata Ausonius in Periocha XXIV Iliados usurpat : *Jupiter Thetidem mittit ad filium, cum mandatis ejusmodi, ut in defunctum sævire desistat, fatique hominum in exanimo hoste vereatur*, ubi extrema verba, quæ mendosa aut hiulca videntur, optime corrigi supplendo ex Ovidii verbis possunt, *fatique hominum vices ... vereatur*. Enimvero talis sententia, qualem hic auctor noster et Ausonius proferunt, nulla apud Homerum legitur, uti ad Ausonium dudum notarunt Mariangelus et Vinetus. Quæ utriusque conspiratio quum in discessu ab Homero, tum in usurpanda sententia Ovidiana, utique memorabilis est, et fortasse unum utriusque scripti auctorem esse suspicari sinit.

1048. Libri omnes scripti et im-

Digitized by Google

Adlevat a terra, corpusque exsangue parenti
Reddidit Hectoreum : post hæc sua dona reportat
In patriam Priamus, tristesque ex more suorum
Comparat exsequias, supremaque funera ducit.
Tunc pyra construitur, quo bis sex corpora Graium
Quadrupedesque adduntur equi, currusque, tubæque,

pressi hic leg. *precibus motus grandævus Achilles ;* sed viri docti, qui Homeristam nostrum excusserunt, Barthius, Adv. p. 2810, et ad Stat. t. III, p. 394, Dorpius in Observ. p. 134, Dussenius in Prodr. p. 45, viderunt monueruntque legendum esse *precibus grandævi* (sc. Priami) *motus Achilles*. Et hoc ipsa res docet. Malo tamen *grandævum* scribere et ad sequens *adlevat* referre.

1050. *Post hæc sua dona reportat.* Barthius ad Stat. l. c. dubitat, an hæc sana sint. Minime enim Achillem apud Homerum dona advecta reddidisse Priamo, sed aperte testari munerum ergo ei reddere cadaver Hectoris ; atque hinc scribere vult : *sua dona reportat Achilles, It patriam Priamus*. Ego vero in ea re non hærendum censeo, et per *dona* ipsum corpus Hectoris, donatum Priamo, puto intelligi.

1053. Pro *Tunc pyra construitur* G. 2 quasi pro interpretatione ponit *Tunc ignis* et *rogus struitur*. — *Qua bis sex* legunt vulgatæ, sed *quo* Lutatius in Statii edd. quod rectius videtur. — *Corpora Troum* legunt omnes editi, et, qui cum iis fere semper conspirat, cod. A. sed *corpora Graium* MS reliqui, quos habeo, et sic citavit Lutatius, in schol. Stat. Barthius tamen ad Statium, t. III, p. 395, Lutatii lectionem sollicitat, et Troum omnino corpora, non Græcorum, cum Hectore cremata esse contendit. Magna religione putat cautum fuisse antiquis, ne hostes uni busto inferrentur : cadavera Græcorum non adfuisse Priamo, quum constet Græcos sua studiosissime ad sepulturam recuperasse ; viva autem corpora adhiberi non potuisse sine magno iracundiæ Achillis in Priamum ingratum periculo. Et sane auctor ea in re relationem Homeri de funeratione Hectoris egressus est, et narrationem suam ad aliam Homeri de Patrocli rogo Il. XXIII, 171, aut ad illam Maronis de inferiis Pallanti datis Æn. XI, 80 seq. composuisse videtur. Interim lectio ea *corpora Graium*, quæ optimis codicibus confirmatur, minime repudianda a Barthio erat, et si quid in ea falsi est, ipsius auctoris error, non librariorum est : neque Barthii rationes, ob quas *Troum* legendum censet, omnes probare possum. — Lectio *corpora Graium* etiam a Schradero defenditur, Observationum lib. I, c. 5, pag. 61. Ed.

1054. *Quadrupedes* vulgati et scripti, sed Lutatius in Statii edd. *quadrupedesque*, quod tenendum putavi. — *Adduntur eis* vulgatæ, *adduntur equi* H. et G. 1 : et sic citat Lutatius. *Quadrupedes adducuntur* G. 2. — Quod addit *currusque tubasque* esse addita in pyram, id plane alienum ab Homero videtur, et fortasse e Virgilio intempestive tra-

Digitized by Google

Et clypei, galeæque graves, Argivaque tela.
Hæc super ingenti gemitu componitur Hector.
Stant circum Iliades matres, manibusque decoros
Abrumpunt crines, laniataque pectora tundunt:
Illo namque rogo natorum funera cernunt.
Tollitur et juvenum magno cum murmure clamor
Flebilis, ardebat flamma namque Ilion illa.
Inter quos gemitus laniato corpore conjux
Advolat Andromache, mediosque immittere in ignes
Se cupit, Astyanacta tenens, quam jussa suorum
Tristis turba rapit: contra tamen usque resistit,
Donec collapsæ ceciderunt robora flammæ,
Inque leves abiit tantus dux ille favillas.
Sed jam siste gradum, finemque impone labori,

ductum, qui Æn. VI, 232, de sepulcro Miseni: « Imponit suaque arma viro, remumque, tubamque ». Sed adnotavit Victor, de Orig. gent. Rom. cap. 9, eum locum Virgilii adlegans, auctore Homero, tubæ usum Trojanis temporibus ignoratum fuisse.

1055. *Galeæque graves* habent ed. Tor. et Sp. cum G. 2: *cavæ* G. 1, A. et L. *leves* H. *argutaque tela* vulg. *robustaque* H. *Argivaque* G. 1. Tor. ed. in marg. et schol. Lutat. *Archiva*, *Archolica* et *Archuta* G. 2.

1056. *Deponitur Hector* H.

1057. *Stant circum Iliades*. Eum morem Virgilius in funere Polydori et Pallantis, Æn. III, 65, et XI, 35, observatum hoc versu indicat: *Stant circum Iliades crinem de more solutæ*. Igitur *abrumpere crines*, quod Noster usurpat, idem est ac Virgilii *solvere crines*.

1058. *Pectora plangunt* H. et G. 2; *plaudunt* G. 1, *tondunt* A.

1059. *Natorum vulnera* G. 2.

1061. *Flamma namque Ilion illa*. Vid. vers. 338.

1063. *Provolat Andromache* H. *mediosque injicere* L.

1064. *Quam visa suorum* G. 2 et ed. Lipsiensis.

1066. *Ceciderunt undique flammæ* H. Virg. Æn. VI, 226: « Postquam collapsi cineres, et flamma quievit »: quæ Noster *robora flammæ*, nescio an alius quis dixerit: sed possunt etiam *robora* de lignis in pyram structis intelligi, quæ igne consumpta in cinerem ceciderunt: ut de pyra Miseni etiam refert Maro, Æn. VI, 213: « pinguem tædis et robore secto Ingentem struxere pyram ».

1068. *Sed jam siste* tenent tres Mspti, quos sequutus sum: excusi, minus bene, *Tu jam siste*. — Et pariter cecinit Sidonius Apollinaris, Carm. 2: « Siste, Camena, modos tenues, portumque petenti Jam placido sedeat mihi carminis anchora fundo ». Ed.

Digitized by Google

Calliope, vatisque tui moderare carinam,
Quem cernis paucis stringentem litora remis.
Jamque tenens portum metamque patentis Homeri,
Pieridum comitata cohors, submitte rudentes;
Sanctaque virgineos lauro redimita capillos

1069. *Calliope.* Quod auctor hic Musam adloquitur pro se et extra carmen Homericum, eo videtur velle indicare, se in Iliade Homeri latine contrahenda et proprio ingenio et officio poetæ usum esse: quod negare illi totum nolim. — *Moderare carinam.* Solenne quidem poetis est, opera sua cum navigatione, sicut etiam curru et quadrigis comparare, ut a Statio, Silv. IV, 4, 99; Nemesiano, Cyneg. 59, et Claud. in præf. ad I de Rapt. Pros. factum est; sed quæ allegoria navigationis hic totum fere epilogum occupat, haud parum efficit verisimile, auctorem hujusce poematis eumdem esse, qui epigrammatis de navigatione, quod in Anthol. Lat. lib. III, epigr. 62 exstat, et inter testimonia de hoc poemate a nobis relatum est, ubi auctor ait, se in villa maritima Iliadem seu bellum Trojanum descripsisse, simulque pericula maris cum securitate ruris comparat. Qua de re plura diximus in prœmio.

1070. *Stringentem* simul et *urgentem* ponit G. 2. — *Paucis remis* est parva navi, quæ paucis remis utitur. Olympius, Cyneg. 59: « Dum non magna ratis vicinis sueta moveri Litoribus, tutosque sinus percurrere remis ». — Et Claud. l. c. (edit. nost. vol. II, p. 182 sq. Ed.) « Qui dubiis ausus committere flatibus alnum, Quas natura negat, præbuit arte vias, Tranquillis primum trepidus se credidit undis, Litora securo tramite summa legens ». Ed.

1071. *Namque tenet portum* scribit G. perperam, ut puto: similiter *Jamque tenes.* Lips. — *Potentis Homeri* habent H. et G. 1: sed multo melius G. 2 et vulgatæ edd. *patentis Homeri.* Vult enim, se magnum opus Homeri, tamquam patens mare, nunc emensum esse. Horatius, Carm. II, 16, 1: *in patenti Prensus Ægæo.* — Et verbum *patefecit* alio et notando sensu occurrit apud Saleium Bassum, Carm. ad Pisonem, vs. 230: « Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati »; ubi si recte verbum *patefacere* potuimus interpretari clarum facere, famæ ostendere, nunc non immerito *patentis Homeri* exponi possit illustris, inclyti vatis, cujus omnibus fama innotuit. Videantur adnotata nostra ad loc. citatum hujus tomi, pag. 265 seqq. Hanc vero observationem quasi de superfluo addo, nec ideo deserendam Wernsd. explicationem puto. Ed.

1072. *Submitte rudentes*, trahe et demitte vela. Est idem quod Virg. significavit Georg. IV, 116: « extremo ni jam sub fine laborum Vela traham, et terris festinem advertere proram ». Et Statius, Silv. IV, 4, 89 de Thebaide finita: « Jam Sidonios emensa labores Thebais optato collegit carbasa portu ».

1073. *Sanctaque virgineos lauro redimita.* Pro more suo auctor duplici epitheto Musarum cohortem ornat. — Videantur adnotata ad vs. 1021 et 1026. Ed.

Digitized by Google

Ipsa tuas depone lyras : ades, inclyta Pallas,
Tuque fave, cursu vatis jam, Phœbe, peracto. 1075

1074. Quod *lyras* multitudinis numero dixit Noster, id non latinum esse pronuntiat Barth. Adv. LVIII, 14, p. 2753. Hoc equidem decidere non ausim. Illud potius adnoto, lyram vel chelyn non semper de lyrica poesi, sed et de alia, præsertim de epica, dici, ut a Statio, Silv. II, 2, 114: « Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit Carmina » : heroicos et elegos versus significat. — *Ades, inclyta Pallas*, pro *adsis*. Ed.

1075. *Jam, Phœbe, peracto*. His respicere videtur ad vers. 164, quo Phœbum invocaverat. Ed.

Digitized by Google

EXCURSUS I

AD EPITOM. ILIAD. HOM. v. 690 seq.

.....mox hoste repulso
Legatos mittunt, dextramque hortantur Achillis,
Ut ferat auxilium miseris.

MAGNAS his in verbis, quæ omnibus in libris integra, nec variata, leguntur, difficultates reperit consultissimus Bondamius, Var. Lect. p. 165, neque lectorum alium quempiam fore arbitror, qui non in iis vel insignem errorem librarii, vel magnam ipsius auctoris oscitantiam suspicetur. Nempe verba *mox hoste repulso* cum cætera narratione non cohærent. Danai enim, qui ante dicebantur a Trojanis fugati in castra, aggere inclusi, et excubiis pressi, quique attoniti tanto discrimine, nec dapibus relevare animos, nec corpora curare, nec quidquam aliud, quam miseri sua fata gemere audebant, unde isti tam subito tantos animos sumunt, ut mox hostem repellere audeant? Quibus autem contigit hostem repellere, qui fit, ut isti, quasi adhuc in summo discrimine versantes, necesse habeant, dextram et auxilium Achillis implorare per legatos, seque ipsos adhuc miseros adpellent. Aliud omnino auctor hac parte versus dixerit necesse est, si quidem ipsum putamus non incongrua et pugnantia dixisse, et Bondamius V. C. bene subductis rationibus, et collata Homeri narratione, temporis aliquam notationem ibi latere conjicit. Nempe nocte interveniente Hector impediebatur, quominus Græcos fugientes ulterius persequeretur. Hoc clare prodit Homerus, Iliad. VIII, 487. Hector interim Achivos vallo inclusos obsidione cingit, ignes per totam noctem incendi, et excubias

Digitized by Google

diligentissime agi jubet, ob caussam, quam ipse Trojanis aperit, Iliad. VIII, 510:

> Μήπως καὶ διὰ νύκτα καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
> Φεύγειν ὁρμήσωνται ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης.

Sic in angustias redacti et rerum suarum trepidi Græcorum duces eadem nocte de salute sua consultant, et tandem suadente Nestore legationem ad Achillem decernunt, Hom. Il. X, 165. Legati ad tentorium Achillis pervenientes mandata sua exponunt, et ut tandem exorari se patiatur multis verbis hortantur, vers. 225 seqq. Hic renitens et inexorabilis perstat, legatosque tandem cogit re infecta discedere, retento tamen Phœnice, quocum minatur postridie se navibus reversurum in Græciam, v. 613. Redeunt igitur legati, et relato Achillis responso suadet Diomedes, ut omisso eo ipsi sibi consulant, interim cubitum eant, et cibo somnoque refecti, simul atque dies illuxerit, cum copiis suis ad naves adsint, v. 703. Hæc igitur omnia una nocte acta esse ex Homeri narratione apparet. Propterea Bondamius pro *hoste repulso* legi jubet *mox nocte repulsi*, ut sensus sit, Græcos, qui ab Hectore *repulsi*, et ad castra sua fugati erant, *nocte* illa, qua a Trojanis obsidebantur, legatos misisse ad Achillem. Correctionem hanc, in se probabilem, ultro recepissem in textum, nisi crederem locum eum multo facilius et leviore cum mutatione persanari posse. Etenim mentionem noctis hic minime necessariam arbitror, ut propterea *hoste* in *nocte* mutandum sit, siquidem auctor ipse post narrationem suam temporis descriptionem satis definitam adjecit versu 698. Si mentio fieri noctis debebat hoc loco, sane non erat tam breviter, et velut in transitu et uno verbo tangenda, ut quidem scriptor e sententia cl. Bondamii fecit. Sed quominus noctem hic nominatam putem, fere persuadet mihi præmissa vocula *mox*, quæ per se tempus consequutum indicat, et, si *nocte* adjiciatur, significare videtur, quæ ante facta ab auctore narrantur, non priore parte noctis, sed interdiu accidisse, quod contra esse ex Homeri narratione, et per se liquet. Itaque leviore cor-

Digitized by Google

rectione opus esse censeo, ut scribamus: *mox hoste repulsi legatos mittunt;* ut fortasse respexerit auctor versum 13 libri II Æneid.

> .....fracti bello, fatisque repulsi
> Ductores Danaum.

Nempe Græci ii, qui ita repulsi ab hoste, et intra vallum suum coacti, sua fata gemebant, mox timore suo atque cura permoventur, ut legatos ad Achillem, auxilii petendi caussa mittant. Sub nocte hæc omnia facta esse, mox auctor versu 698 distincte et diserte indicat. Subiit præterea cogitatio, fortasse sana esse verba *hoste repulso*, et auctorem, qui non ubique vestigia Homeri, sed subinde et aliorum sequitur, fortasse ad aliam hostilem invasionem, ea nocte factam, et ab alio scriptore memoratam, respexisse, atque, ut brevius eloquar, quod sentio, sub *hoste repulso* ipsum Achillem indicari, quem mox reconciliandum sibi et ad auxilia secum jungenda invitandum duxerunt Græci. Nimirum Dictys Cretensis memorat, Achillem aliquando, quum injurias suas ulcisci cuperet, Græcorum castra, clam quidem, ut ille ait, sed ut reliqua rerum series indicat, noctu invadere tentasse. Nam narrationem eam ita instituit, ut ante eam quidem conflictum Græcorum cum Trojanis improsperum, eorumque ad naves regressionem memoret, post eam autem Dolonis a Trojanis ad explorandas res Græcorum missi, et ab Ulysse intercepti, fatum ponat, adeoque totam rem, licet non ex sententia Homeri, tamen eadem, qua Homerus, connexione narret. Nunc integra Dictyos Cretensis verba adponam ex lib. I, cap. 37: «Jamque Græci regressi ad naves arma deponere, ac singuli per loca solita corpus cibo curare occœperant, quum Achilles ultum ire cupiens injurias, ignaros consilii sui nostros, et ob id otiose agentes, clam invadere tentat. At ubi Ulysses a custodibus, qui eruptionem ejus præsenserant, rem comperit, propere duces circumcursans magna voce monet, atque hortatur, uti armis adreptis tuerentur sese: dein consilium inceptumque Achillis singulis aperit: quo cognito, clamor ingens oritur

Digitized by Google

festinantibus ad arma cunctis ac seorsum sibi singulis consulentibus. Ita Achilles præverso de se nuntio, ubi omnes in armis sunt, neque conata procedere queunt, intentato negotio ad tentoria regreditur ». Hunc ex Dictye Cret. locum quasi de superfluo addidi, si forte vulgata lectio Homeristæ nostri per eam rationem fulciri et declarari posset. Neque tamen conjecturam, quam ex eo loco duco, talem esse pertendo, ut propterea lectionem, quam ante emendatam dedi, deserendam putem.

EXCURSUS II

AD EPIT. ILIAD. HOMERI, vs. 867-870.

Illic Ignipotens mundi cælaverat axem,
Sideraque et [liquidas redimitas undique Nymphas.
Fecerat et mira liquidas Nereidas arte,
Oceanum,] terras, et euntem Nerea circum.

Descriptionem Achillei clypei, quam his versibus incipit latinæ Iliadis auctor, præclare monet consultiss. Bondamius, Var. Lect. II, 4, p. 145, expressam ex iis esse, quæ de Solis regia dixit Ovidius, initio libri II Metam. Neque hunc modo locum, sed et alios Ovidii, quibus clypei Achillis mentio fit, ut Metam. XIII, 110 et 191 seqq. animo auctoris nostri obversatos esse credo. Quæ observatio non parum juvabit nos, ad quatuor versus propositos accuratius examinandos, quos Barthius, Advers. LIX, 15, p. 2808 extr. valde mendosos, in iisque ταυτόλογα omnia et fatua agnoscit, atque hinc vel medios duos *Sideraque*..... et *Fecerat*, vel saltem alterum demere vult, et sic legere:

Sideraque et mira liquidas Nereidas arte.

Digitized by Google

Et sane æquo Jove hic judicat Barthius. Nam primo, alter versus *Sideraque et liquidas redimitas undique Nymphas*, quam ineptus et fatuus est! Et quamvis cl. Anton. *de Rooy* Spicil. Crit. p. 99, succurrere emendatione, et *lymphis redimitas* scribere velit, insulsa tamen et hæc phrasis et nulli facile poetæ probata est. In tertio versu *Fecerat et mira liquidas Nereidas arte*, et Nereides superflue advocantur, Nymphis jam ante nominatis, et illæ repetito vocabulo *liquidæ* appellantur ut Nymphæ, quod pauperis ingenii glossatorem facile prodit. Deinde idem versus *Fecerat et*, etc. in Msptis codd. Guelf. 1 et 2, quorum mihi non levis est auctoritas, infra post vers. 879 repetitur, ubi sane multo aptiore loco positus adparet, et Nereides post alios Deos marinos nominantur. Contra ille eo loco abest in cod. Helmst. et in editionibus Torini et Spondani. Unde facile colligimus, versum eum, si modo ipse genuinus est, in optimis antiquissimis codicibus scriptum esse post 879, ubi locus ei convenientissimus est, accessisse vero ineptum scholasticum, qui eum ad descriptionem mundi, quæ versibus 867 et sequentibus continetur, ornandam atque illustrandam temere retraheret. Quo loco deinceps a plerisque descriptoribus, qui neque intelligebant suspectos versus, neque quidquam temere mutare aut omittere audebant, relictus est, ita tamen ut alii, qui eum suo loco post v. 879 positum in aliis codicibus reperiebant, ibidem denuo repeterent, in quibus est Guelf. 1 et 2. Quod ille eodem loco legitur, quo versus plane fatuus et misere compositus, nempe 868, antecedit, hoc manifestum interpolationis indicium est. Denique et hoc considerandum est, auctorem in principio descriptionis clypei Achillei potiores mundi, in eo figurati, partes velle nominare, cælum, terras, mare: progredi deinde ad ea, quæ singulis universi partibus insunt, ad sidera cæli, ad maris Deos, ad terræ urbes et habitatores. Quod eum videmus plane ad exemplar Ovidii fecisse, qui in descriptione regiæ Solis, Metam. II, 5 seqq. æquore, terra et cælo nominatis, post eodem ordine eorumdem Deos et incolas sigillatim recenset. Noster cælum nominat versu 867, terras

Digitized by Google

et maria v. 870. His igitur quum numina undarum et maris Nymphæ et Nereides interponuntur, et quidem ante Oceanum et Nerea, qui Nympharum patres et præsides feruntur, hoc contra ordinem et alieno loco fieri abunde patet. Si Noster Nymphas et Nereides nominare voluit, certe eo loco debuit, quo Deos maris referebat, quomodo et quibusdam in codicibus fieri monuimus. In iis vero a versu 877 redeunt Nereus et Oceanus cum Nymphis, et reliquum igitur est, ut duo versus illos, quibus Nymphæ et Nereides adducuntur, supervacuos agnoscamus, et tamquam spurios ejiciamus, atque sic scribamus:

> Illic Ignipotens mundi cælaverat axes,
> Sideraque et terras, et euntem Nerea circum.

Hæc verba, quæ post ejecta spuria reliqui, genuina auctoris esse, facile persuadeat Ovidii versus Metam. XIII, 291, de ipso Achillis clypeo agens, quem ille pro more suo procul dubio ante oculos habuit:

> .....neque enim clypei cælamina norit,
> Oceanum et terras, cumque alto sidera cælo.

Et idem, Metam. II. 5, de valvis regiæ Solis:

> .....Mulciber illic
> Æquora cælarat medias cingentia terras,
> Terrarumque orbem, cælumque quod imminet illi.

Cæterum, ne spuriis istis ejectis, numerum et ordinem versuum, qui in vulgatis et editis scriptoris nostri exemplaribus est, nimium turbemus, suffecit mihi in ipso contextu describendo verba ea, quæ deleta velim, uncinis inclusa a reliquis versibus separare, eoque seriem versuum genuinam et veram lectionem indicare.

Digitized by Google

EXCURSUS III

AD EPIT. ILIAD. HOM. vs. 894-896.

Hic intermedius stabat Mars aureus armis,
Diva potens Atropos circa, reliquæque sedebant
Sanguineis mœstæ Clotho Lachesisque capillis.

Parum ingeniosa nec satis apta videtur imago vel cælatura, quæ hic additur, Martis in medio stantis, et Parcarum circa Martem sedentium; neque facile perspicitur, quæ ratio illius huc relatæ sit. Agnosco quidem imitationem Virgilii, cujus partem clypei Æneæ, Æn. VIII, 700 seq. hic exprimere voluit scriptor:

.....sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, tristesque ex æthere Diræ;
Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Sed Virgilius ante de prælio Actiaco loquitur, ubi congruum erat, Martem cum Discordia et Diris *medio in certamine* adparentes sistere. Neque aliter Homerus, quem ipse Virgilius respexit, qui Iliad. XVIII, 535, Discordiam, Tumultum et Fatum versari inter homines dicit, ubi obsidionem urbis et prælium cum hoste subito invadente commissum narravit:

Ἐν δ' Ἔρις, ἐν δὲ Κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὀλοὴ Κήρ.

Cui similia habet Hesiodus in Scut. Herc. v. 154 seqq. Noster Mavortem intermedium et Parcas circum sedentes inducit, postquam agricolarum, messorum, vinitorum, pastorum operas narraverat, in quibus Marti cum comitibus vix locus est. Sed tamen auctor, ne eum plane indefensum,

Digitized by Google

aut minus excusatum relinquamus, aliam rationem, quam Homerus et Maro, in fingenda hac imagine sequutus, et consulto Martem cum Parcis, non, ut isti, cum Discordia, Fato, Diris conjunxisse videtur. Hæc numina bellorum in primis comites præsidesque sunt, et ab Homero Virgilioque nominantur, quoniam ii solam bellorum calamitatem volunt describere. Κήρ ab Homero toties usurpatum; ubi de præliis loquitur, primario fatum hominum in bello peremptorum denotat; et Virgilius, ubi *tristes ex æthere Diras* loco adducto vocat, judice ill. Heynio ad Virgil. l. c. Κῆρας Hesiodi eo nomine reddidit. Parcæ, quas Homerista noster hic adducere voluit, mortem naturalem hominum et quælibet fata habere in potestate dicuntur. Has ille adjungit Marti, ut geminum mortis genus, quo perire homines soleant, alterum illud violentum et præmaturum in bello, alterum naturale, quod suo cuique fato evenit, significet: quomodo conjunxit Ovidius, Trist. lib. I, 2, 53:

> Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem
> In solida moriens ponere corpus humo.

Non igitur Diras et Discordiam et Fatum comites addere Marti voluit, quod singularia belli pericula et fata describere nolebat, sed finem adumbrare, quem vita quæque hominum et genus universum haberet. Postquam igitur varia vitæ degendæ genera, ut civium in urbibus viventium, virorum et mulierum, v. 882 seqq. rura colentium, messorum, vinitorum, pastorum v. 890 seqq. enumeravit, subjicit denique Martem inter eos medium cum Parcis stare, hoc est, his omnibus tandem mortem vel bello, vel fato alio oppetendam imminere; videturque adeo ante oculos habuisse versus Virgilii, quibus vitæ humanæ fata complectitur, Georg. lib. III, 66:

> Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
> Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
> Et labor, et duræ rapit inclementia mortis.

Digitized by Google

EXCURSUS IV

AD EPIT. ILIAD. HOM. vs. 919-921.

..... qui protinus undique totis
Impediatur aquis; sed vasto gurgite præceps
Volvitur, atque virum torrentibus impedit undis.

Verba hæc, quæ e vulgatis editionibus reposuimus, *qui protinus undique totis Impediatur aquis*, male adfecta esse videntur, maleque cohærere cum vicinis: *sed vasto gurgite præceps Volvitur*, etc. Nam relativum *qui protinus* per consequentiam orationis ad Xanthum fluvium, qui coactus est consurgere et protinus consurgit, respicit, sed *Impediatur*, quod sequitur, non aliter, quam de Achille, qui aquis impediendus est, potest intelligi; rursus autem verba insequentia *sed præceps volvitur* de Xantho agunt. Igitur verbum *Impediatur*, quod orationem distrahit, mutandum videtur, præsertim quum versu sequente mox recurrat *impedit*. Et vitium in eo jam sensisse scriptor codicis Helmstad. videtur, qui verbum istud in *Expediatur* mutavit, et scripsit *Expediatur aquis et vasto*, etc. Nam hoc intelligi de fluvio potest, ut notet *explicet aquas suas*. Sed quoniam non verba conjunctivi modi sequuntur, qualia copula *et* post *expediatur* poscebat, sed *volvitur* et *impedit*, hinc adparet, illud *Expediatur* correctionem esse a descriptore tentatam minime sufficientem, et illius verbi loco aliud quid requiri, quod sensum et orationis nexum plene restituat. Ne multa, sic omnino scribendum arbitror:

..... qui (Xanthus) protinus undique totis
Impetuosus aquis, et vasto gurgite præceps
Volvitur, atque virum torrentibus impedit undis.

Digitized by Google

Vocabulum *impetuosus* non indignum ætate scriptoris nostri est, et, si meliorum usu scriptorum destituitur, hujus certe nostri auctoritate stare potest. Commode autem et significanter *impetus* tribuitur fluvio tumenti, ut in hoc Ovidii Met. III, 79:

> Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis
> Fertur.

Et libro XI, 530: *Vastius insurgens decimæ ruit impetus undæ*. Si vocem *impetuosus* tamquam rejiculam et minus probatam spernis, pone ejus loco *imperiosus*, quemadmodum Horatius *imperiosum æquor* dixit Carm. I, 14, 8. Istud tamen ipse præfero.

Digitized by Google

AUSONII

BURDIGALENSIS

PERIOCHÆ IN HOMERI ILIADEM.

Si Homerum scriptorem Troici belli eatenus, qua Iliadem suam incipit, quaque finit, percenseamus, orsum ab iracundia Achillis ad sepulturam Hectoris, quatuor et viginti libros contexuisse monstrabimus. Hæc ejus species adparet summam cutem primi operis intuenti. Verum hoc scripturæ ipsius tempus Trojano bello non totum, sed pæne ultimum fuit. Nam si ratio putanda est oppugnationis decennis, nonus fere annus, idemque prope finem sui, ea negotia continebit, quæ ab injuria Agamemnonis, ac Briseidis usurpatione, usque ad funus Hectoris digna memoratu erunt: illa temporum series, quæ ab ejusdem belli caussis, atque origine, pertinet ad urbis excidium. Atqui ex eo eveniet, ut ignaris judicandi, et poeticæ œconomiæ expertibus, multa nobilia ab exordio belli usque ad Achillis jurgium omissa videantur. Nec minus multa ab Hectoris funere ad usque deletum Ilium. Quorum quidem maxima exspectatio erat, propter tam longi certaminis consummationem: sed ut divinum poetam nihil, quod illustre fuerit, omisisse adpareat, atque omnia, quæ finiri oportuit, contigisse, breviter, et in epitomæ speciem, belli Troici caussam originis, adparatusque, quæ annis superioribus acciderunt, retexuimus. Horum omnium prima origo est Paridis judicium inter Deas: denique classis contextio; qua idem Paris in Europam

Digitized by Google

navigavit. Tum raptio Helenæ, quæ opinione veterum bipertita est : quod plerique Helenam juxta Homericum plasma ad Trojam vere deportatam fuisse existimaverunt; nonnulli autem opinati sunt, quum Alexander cursu deerrasset, delatusque ad Ægyptum fuisset, cognita hospitalis fœderis injuria, per Ægyptium regem servantissimum justi virum, Helenam cum iis, quæ una cum eadem fuerant abrepta, Paridi sublatam, expugnatoque demum Ilio Menelao restitutam.

PERIOCHA LIBRI PRIMI ILIADOS.

Iram, Diva, refer nati Peleos Achillei
Pestiferam, quæ mille dedit discrimina Achivis.

Chryses Apollinis sacerdos, ob redimendam filiam quum Agamemnoni supplicasset, contumeliose repulsus, Deum precatur ultorem. Insequuta subinde gravi pestilentia, quum Græcorum exercitus interiret, cogit Achilles concilium ; et ab eodem invitus Calchas morbi caussam compellitur indicare. Qua cognita, Agamemnon concitatur in Achillem; qui percitus iracundia, etiam cædem regis audebat(1), nisi eum in ultimum furorem progredi Minerva vetuisset. A quo Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, deducta est. Inde Thetis mater ad cælum, lacrymas et contumeliam filii miserata, proficiscitur. Quæ, fiducia defensi quondam cum Ægæone Jovis, ultum iri adfectans injuriam, obtestatur summum Deorum, ut Trojanos in rebus belli superiores esse patiatur. Quibus Juno compertis, iracunde adversum conjugem commovetur. Sed gliscens jurgium, per deridiculum, ministrante Vulcano, simul consilii specie intercedente, lenitur.

(1) *Audebat*, pro *ausus esset*, ut Virgilius, Æneid. II, 54 : « Et si fata Deum, si mens non læva fuisset, Impulerat ferro Argolicas tentare latebras ». Ed.

Digitized by Google

PERIOCHA II ILIADOS.

Cælestes, hominumque genus superabile curis,
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non pervigilem nox irrequieta Tonantem
Leniit, immodicos volventem corde paratus,
Cædibus ut Graium læsum ulciscatur Achillem.

Jupiter Agamemnonem somno monet prælii faciendi tempus adesse, ne cunctetur dimicare. Tum ille ad concilium proceribus vocatis, mandatum Jovis, et speciem nocturnæ quietis explanat. Mox in concione, multitudine congregata, pertentat militum voluntatem; utque deposito bello ad sua quique redeant, cohortatur. Jamque omnibus navigationem adornantibus, fœda discessio ab Ulyxe cohibetur: a quo etiam Thersites deformis, et loquax, in heroum contumelias verborum licentia promptus, cum acerba objurgatione pulsatur; ipse Minervæ monitu cunctos a profectione deterret. Sumpto deinde cibo armatur exercitus. Neque secius a Trojanis instructa acies, Iride ita monente, producitur. Sequitur enumeratio copiarum viritim, ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriæ referantur.

PERIOCHA III ILIADOS.

Argivos sua quemque (1) acies in bella sequuntur:
Dispositi in turmas equitum, cuneosque pedestres,
Turbida clangentes confundunt agmina Troes.

Instructum prælio exercitum, priusquam feriret acies, Priamus spectat e muris; et monstratu Helenæ de viris

(1) *Argivos sua quemque.* Prolepsis est, figura lexeos. Acies sequuntur Græcos duces in prælia, unumquemque sua acies. Sic Vinetus. Sed hic Mariang. Accursius scribit *sua quosque*, ac legere vult *quæque*. Nec temere aliunde, quam ex Homero ipso intellectus aperitur, qui est, *Quæque acies sequuntur Argivos in sua bella; Troes* autem *dispositi in turmas equitum, cuneosque pedestres, clangentes turbida confundunt agmina.*

Digitized by Google

insignibus edocetur. Dehinc Menelaus ad singulare certamen ab Alexandro provocatur. Qui frustra Agamemnone dehortante congreditur, facta inter utrosque populos sponsione, et fœdere per sacra firmato, sub ea conditione, ut victorem Helena cum dote sequeretur. Sed superatus Paris, regressusque ad urbem, jurgio uxoris excipitur. Ab Agamemnone fœderis pacta repetuntur.

PERIOCHA IV ILIADOS.

Juppiter (1) interea cum Diis genitalibus una Concilium cogit Superum de rebus Achivis.

Jovi placet delere Trojam; ad quod pertinacia Junonis urgetur. Quumque id fieri Minerva properaret, discidium fœderis comminiscitur, et Pandarum sagittandi peritum astu suadentis aggreditur, ut clam vulnerato Menelao belli caussa crudescat. Quo facto, a Græcis prælium instauratur; congressisque exercitibus mutua clade decernitur.

(1) *Juppiter interea*, etc. Turnebus *Deos Genitales* putat dici, ut parentes, et auctores, et procreatores rerum omnium, et animantium. Movet illum, quod δωδεκάθεος ab Homero vocari Deos reperiamus; hanc vocem Grammaticis modo Deorum immortalium æternitati, modo perpetuæ eorum procreationi attribuentibus; sed posteriorem significationem poetas sequutos esse existimat. — *Juppiter interea cum Diis genitalibus una Concilium*, etc. Barthius legendum existimat: *Juppiter interea cum Diis Genialibus una Concilium cogit Superum de rebus Achivum*; non *genitalibus*. Videntur enim *Geniales* ii dici, qui cum Jove accumbant semper, et ejusdem mensæ velut genio censeantur, quorum quidem duodecim nominat Ennius, et eo numero sex sc. ab utroque sexu putabantur simul discumbere, unde ducta δωδεκάθεος cœna Augusti, de qua notissima res ex Suetonio. — Ego *genitalibus* servandum puto et Turnebi interpretationem probandam; quæ vel si *genialibus* legeretur, non absurda esset. Nam *geniare*, pro animare, vitalem facere, usurpatum aliquando videtur. Videantur adnotata ad fragmentum Ποντικῶν, v. 11, huj. operis t. I, pag. 218. Ed.

Digitized by Google

PERIOCHA V ILIADOS.

Hic et Tydidem monitum Tritonia Pallas
Audaci virtute replet : vomit aurea flammas
Cassis, et undantem clypeus defulgurat ignem.
Ipse autumnali clarum micat æmulus astro.

Diomedes auxilio Minervæ strenue præliatur. Venus quoque filio subvenire conata, vulnere adfecta digreditur. Mars etiam fit saucius, exceditque bello. Sequitur Tlepolemi, Sarpedonisque congressio; et Tlepolemus Herculis filius certamine victus occiditur.

PERIOCHA VI ILIADOS.

Solæ decertant acies sine numine Divum,
Cessante auxilio; sua cuique exorsa laborem (1),
Fortunamque ferunt, proprii discrimine fati.

Trojanis fortuna inclinatiore pugnantibus, vates Helenus suadet, ut Minerva placetur. Igitur Hecuba ab Hectore monita, ut peplum in arcem inferat, peragit vota cum matribus. Alexander objurgatus a fratre pergit in prælium. Glaucus Lycius, Ætolusque Diomedes congressi ut dimicarent, quum jam certamen oriretur, paterna inter se hospitia recordati, facta armorum permutatione, discedunt.

PERIOCHA VII ILIADOS.

Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit Hector.

Minervæ Apollinisque consensu, fortissimus Græcorum ab Hectore provocatur. Novem ducibus ad dimicandum paratis, pugnaturum deligi placet sortis eventu. Ab Ajace Te-

(1) *Sua cuique exorsa laborem.* Sic vet. cod. Mar. Acc. — Hic Virgilium ad verbum exscribit, Æn. X, 111 : « sua cuique exorsa laborem Fortunamque ferent ». Ed.

Digitized by Google

lamonio prælium singulare conseritur. In quo Hector, lapide ictus, in suorum se recipit multitudinem. Perseverante certamine caduceator Idæus intervenit. Tum invicem missis muneribus pugna sedatur. Hector Ajacem gladio, Ajax Hectorem balteo muneratur: intercessu noctis exercitus quique in sua discedunt. Die altero, interfectorum humatio procuratur. Græcorum etiam navalia, fossa ac vallo circumdata, muniuntur.

PERIOCHA VIII ILIADOS.

Aurora (1) in croceis fulgebat lutea bigis.

Acto Deorum concilio, Jupiter pro parte pronunciat: «sua quisque exercitus sorte decernat; nullus Deorum odio in alteros vel favore procedat». In Idam montem ipse digressus: unde Græci immisso terrore conterriti, turpi fuga ad munimenta compulsi, fossa et aggeribus sese tuentur. Junonem ac Minervam Græcis auxiliari volentes, monitis Jovis Iris exterret; diremptoque ob noctem certamine, victores Trojani in ipso prælii loco excubias obsidionis instituunt, multisque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant.

PERIOCHA IX ILIADOS.

Interea vigilum excubiis cohibentur Achivi.

Græcis et præterita dimicatione perculsis, et instante conterritis, proceres ab Agamemnone convocantur. Quibus rex fugæ consilia, et adparatum ordinandæ per noctem navigationis indicit, Diomede et Nestore dehortantibus; suadente autem Nestore Ajax, Ulyxes et Phœnix legantur ad Achillem,

(1) *Aurora in croceis.* Versus est vicesimus sextus libri septimi Æneidos Virgilii, nisi quod illic est *roseis* hic *croceis*. Voluit Ausonius interpretari Græcum κροκόπεπλος. *Vinetus.*

Digitized by Google

dona ingentia pollicentes, si desistat irasci, et se auxiliatorem fessis rebus accommodet. Sed Achille in iracundia pertinaciter permanente, legati Achivorum, re non impetrata, irriti revertuntur.

PERIOCHA X ILIADOS.

Cætera per naves somno sopita manebat
Turba ducum; solum cura anxia vexat Atridem.

Ulyxes et Diomedes speculatum nocte progressi, Dolonem conspicantur, qui et ipse promissis Hectoris incitatus, Græcorum consilia exploratum prodierat, et fateri universa compulsum eodem loco interficiunt. A quo de adventu Rhœsi Thracum regis edocti, ipsum etiam cum duodecim obtruncant; equosque ejus præmium simul et testimonium grassationis abducunt, insignes candore et celeritate, ut et nivibus, et ventis antecederent.

PERIOCHA XI ILIADOS.

Tithoni (1) croceum linquens Aurora cubile
Spargebat terras, referens opera, atque labores.

Ab omnibus Græcis egregie quidem, sed improspere dimicatur. Quorum proceribus vulneratis, incognitæ multitudini pugna committitur. Qua adflictione fortunæ Achilles paulisper inflexus, Patroclum mittit præsentia cogniturum. Qui quum adversi status nuntius reverteretur, Eurypylum contemplatur ægrum ex vulnere; fomentisque medicæ artis admotis, redintegrat sanitati.

(1) *Tithoni croceum.* Et hoc distichon a Virgilio mutuatus Ausonius. Prior enim versus est primo Georgicon, quarto et nono Æneidos: « Spargebat lumine terras », iisdem quarto et nono: sed « referens opera atque labores », undecimo Æneidos. *Vinetus.*

Digitized by Google

PERIOCHA XII ILIADOS.

Actorides fovet Eurypylum dum vulnere fessum.

Res dubiæ apud Græcos, vel potius adflictæ, ultimæ fortunæ statu aguntur, præstantibus procerum vulneratis, cætero exercitu fugato, aut formidine perculso. Trojani navalium munimenta rescindunt, vallumque transgressi auguriis juvantur ex eventu ambiguis. Itaque et pars muri ab Sarpedone convellitur, et ab Hectore ictu lapidis porta discutitur, et in ipsis navalibus pugna conseritur.

PERIOCHA XIII ILIADOS.

Juppiter admovit Troas, atque Hectora classi.

Neptunus miseratione commotus, Argivorum tuendis navibus auxiliator accedit, et usurpata vatis effigie, Ajaces duos in prælium cohortatur; nec minus cæteram multitudinem præsentia majestatis instigat. Idomeneus egregio certamine eminet. Trojani jam referentes gradum, firmati rursum per Hectorem, contrahuntur, et ingenti clamore utrimque certatur.

PERIOCHA XIV ILIADOS.

Concussit, quamvis potantem, Nestora clamor,
Attonitasque aures pepulit gravitate tumultus.

Juno vinculum Veneris, cui Cesto nomen est, mutuata, ad Jovem pergit in secessum montis Idæ; exoratoque Somno, ut eum committeret in soporem, dehinc vigilias ejus uxoriis labefactat illecebris. Cujus ignoratione Neptunus abutitur, fortunamque Græcorum promptius auxiliando restituit, Ajace Locro ultra cæteros præliante.

Digitized by Google

PERIOCHA XV ILIADOS.

Jam vallum fossamque super Trojana juventus
Institerat, captæ minitans incendia classi.

Jupiter somno expergitus, videt statum certaminis innovatum, pellique Trojanos, Græcis opem ferente Neptuno. Itaque aspere Junone increpata, et minaciter per Iridem conterrito fratre, jubet auxiliatorem desistere: ipse Apollinem recreando adlegat Hectori, monetque pro Phrygibus belli instaurare fortunam. Tum et Ajax Telamonius strenue præliatur, et ab eodem plurimis hostium interfectis, conflagratio classis arcetur.

PERIOCHA XVI ILIADOS.

Dum face, dum ferro celsam oppugnare carinam
Troes, et Argolici pergunt defendere reges.

Achilles Græcorum statum jam sub extrema sorte miseratur. Armis suis Patroclum permittit armari. Qui quum Myrmidonum produxisset exercitum, consternatosque Trojanos Achillis specie fefellisset, ruentes supra vallum, et invicem officientes, cæco pavore usque ad campi aperta compellit. Deinde congressus Sarpedonem perimit, multisque hostium cæsis, ipse ab Hectore interficitur, prius ab Euphorbo vulneratus.

PERIOCHA XVII ILIADOS.

Actoridem cæsum nec te, Menelae, fefellit.

Circa interemptum Patroclum pugna contrahitur. Quum in diversa exercitus contenderent, Græci, ut corpus defenderent, Trojani, ut ad ludibrium cadaver abriperent, a Menelao Euphorbus occiditur, et ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuviis Hector armatur. Antilochus ad Achillem, nuntius cladis acceptæ, Menelao instante, festinat.

Digitized by Google

Qui et ipse postea cum Merione intra navalium munimenta se recipit, quum tota moles belli Ajacibus ingruisset.

PERIOCHA XVIII ILIADOS.

Dum furit in medio belli vis ignea Martis.

Achilles in miserabilem modum Patrocli deflet interitum, quem vi doloris adfectum consolantibus verbis mater adloquitur; nec inultum amicum fore pollicens, perlaturum sese Vulcani arma promittit. Interea et Iris ab Junone dimittitur; cujus instantia Achilles extra vallum, quamquam inermis, egreditur: conterritisque Trojanis super alios aliis præcipitantibus, late fuga, et latius formido porrigitur. Eodemque tempore et Vulcanus exoratus a Thetide, tota nocte, quam longa est, cælestia in gratiam Nymphæ arma molitur.

PERIOCHA XIX ILIADOS.

Oceanum (1) interea surgens Aurora reliquit.

Achilles armis cælestibus ope Vulcani, et munere matris, instruitur. Dein Græcorum primoribus in concilium vocatis, iracundiam sub abolitione (2) deponit; et promissis ab rege muneribus coram concione ditatur. Tum militibus cibum capere jussis, ipse abstinet; infesto deinde atque intento exercitu pergit in prælium.

(1) *Oceanum*. Hic versus frequens apud Virgilium, 129 in quarto, et primus in undecimo libro Æneidos. *Vinetus*.

(2) *Sub abolitione*. Gronovius hic scribebat *suam*; sed ego Tollio et Ugoletto suadentibus *sub* edendum malo. Ed.

Digitized by Google

PERIOCHA XX ILIADOS.

Jamque adeo celsis armati e navibus ibant,
Millia (1), quot magnis unquam venere Mycenis.

At integris amborum copiis inter utrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Jovis, in partes Deorum studia dividuntur. Quum pro Græcis Juno et Minerva decertarent, neque secius eos Neptunus, et Mercurius, et Vulcanus adsererent; Trojanos Apollo cum Venere, et Diana cum matre, Mars etiam, et cum eis Scamander, adjuvarent; tum Æneam, Diis, et viribus iniquis cum Achille congressum, quamquam studens Græcis, nube circumdatum Neptunus eripuit.

PERIOCHA XXI ILIADOS.

Intulerat fluvio trepidas fuga fœda catervas.

Trojanis usque ad Scamandri fluminis alveum fuga et terrore compulsis, quam jam longius abeundi spatium non pateret, in ipso amne quum flumen exundat, ibi (2) ab Achille duodecim Trojanorum juvenum vinciuntur, qui Patrocli inferiis immolarentur. Ipse Vulcanus ardoribus suis vim torrentis exurit. Tum in campum Achille progresso, passim studia Deorum pro sua singulari parte depugnant. Trojanorum exercitus instante victore in mœnia urbis impingitur.

PERIOCHA XXII ILIADOS.

Pulsa metu Phrygios lustrabant agmina muros.

Hector singulari certamine cum Achille congreditur, Priamo atque Hecuba, ne pugnaret, orantibus; Minerva e con-

(1) *Millia, quæ magnis unquam.* Versus trecentesimus et tricesimus primus secundi libri Æneidos: « Millia quot magnis unquam venere Mycenis ». *Vinetus.*

(2) Hæc vitiosa. Forte quamquam flumen exundabat, ab, etc. Ed.

Digitized by Google

trario, specie Deiphobi, ut dimicet, adhortante. Hector interfectus, et religatus ad currum, ter circum mœnia Trojana raptatur: deinde lacerum corpus defertur ad naves, ultione Patrocli, et victoris iracundia, ad ulteriora supplicia reservandum.

PERIOCHA XXIII ILIADOS.

Troja vacat lacrymis, ludis Argiva juventus.

Funebres ludi in honorem Patrocli frequentantur. Quibus Diomedes equis superat, lucta et cursu Ulyxes, alioque alii genere certationis antestant.

PERIOCHA XXIV ILIADOS.

Quisque suas repetunt misso certamine naves.

Jupiter Thetidem mittit ad filium, cum mandatis ejusmodi, ut in defunctum sævire desistat, fatique hominum in exanimo hoste vereatur, ad sepulturam corpore restituto. Ejusdem jussu et Iris cohortatur Priamum, ut auro filium rependat exanimum. Qui Mercurio duce inter nocturnas hostium profectus excubias, Achilli supplex advolvitur; redemptumque filium justitio publico et deflet, et sepelit.

Digitized by Google

EPITAPHIA

HEROUM,

QUI BELLO TROICO INTERFUERUNT.

AUSONIUS LECTORI SUO S.

Ad rem pertinere existimavi, ut vel vanum opusculum materiæ congruentis absolverem, et libello, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenses peregre docuerunt, epitaphia subnecterem, scilicet titulos sepulchrales Heroum, qui bello Troico interfuerunt. Quæ antiqua quum apud philologum quemdam reperissem, latino sermone converti, non ut inservirent ordini persequendi, sed ut cohærerent libere, nec aberrarent.

I. AGAMEMNONI.

Rex regum Atrides, fraternæ conjugis ultor,
Oppetii manibus conjugis ipse meæ.
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,

1. *Rex regum.* Qui multis regibus imperabat. Cicero ad Dolabellam libro nono : « Agamemnoni regum regi fuit honestum habere aliquem in consiliis capiendis Nestorem ».

2. *Oppetiit.* Agamemnonem hæc de se loquentem inducebat exemplar, quod quidem Tollius sequutus est. Sed Vinetus monet in aliis exemplaribus inveniri *Oppetiit* et *suæ*. Tollii lectio mihi placuit. Ed.

Digitized by Google

Vindicem adulterii quum Clytemnestra necet?

4. *Quum Clytemnestra.* Mutarunt viri docti in *Clytemestra.* Quod uti non improbo, ita nec pristinam lectionem rejicio. Est enim poetis tam Latinis quam Græcis perquam familiaris illa longæ alias syllabæ correptio, respectu liquidæ et mutæ concurrentium. Sic et *Polymneia* apud Horat. I, od. 1; *Polymnestor* apud Propertium, et Ovid. Metam. XIII, vs. 431; et *smaragdus* apud Martialem contra prosodiæ vulgares regulas secundam syllabam corripit. In diphthongis autem Noster ut plurimum alteram præterit vocalem, ubi syllaba corripienda est.

II. MENELAO.

Felix o Menelae, Deum cui debita sedes,
Decretumque piis Manibus Elysium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti,
Conjugii vindex, ultor adulterii;
Æterno pollens ævo, æternaque juventa,
Nec leti passus tempora, nec senii.

2. *Deum cui debita sedes.* Proteus Menelao vaticinatur libro quarto Odysseæ Homeri, eum, quia Helenæ maritus esset, et sic Jovis gener, non moriturum Argis, quorum rex erat, sed Deos in Elysium campum, et insulas Fortunatas missuros. Isocrates in extremo Helenæ encomio similia de Menelao post Homerum declarat.

III. AJACI.

Ajacis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
Inlacrymans bustis funeris ipsa mei:
Incomptas lacerata comas, quod pravus Atrides

1. *Pariter tegor.* Loquitur ipsa Virtus et fortitudo.

3. Pro *Inconstans* Craterus scripsit *Incomptas lacerata comas.*

3. *Pravus Atrides.* Atrei filius Agamemnon. Mortui funeratique Achillis arma Thetis mater (ut Homerus fabulatur undecimo Odysseæ, et Quintus Calaber quinto Paralipomenon) illi Græcorum offerebat, qui omnium fortissime Trojanis restitisset, quominus Achillis corpore potirentur. De quo decore quum Ajax et Ulyxes contenderent, remque judicio Græcorum suorum permitterent, censuit Nestor, ut ne inter amicos judices essent, et alterum offenderent, eam controver-

Digitized by Google

Cedere me structis compulit insidiis.
Jam dabo purpureum claro de sanguine florem,
Testantem gemitu crimina judicii.

siam Trojani potius dirimerent; quos multos haberent captivos, communes omnium Græcorum hostes. Consilio sapientissimi senis principibus Græcis probato, Trojani captivi arma Achillis Ulyxi adjudicarunt. Alii scripserunt, ut meminit Eustathius apud undecimum Odysseæ, Agamemnonem, qui plus Ulyxi faveret, Trojanos illos interrogavisse, non quis præ cæteris Græcis ab Achillis corpore hostes repulisset, sed uter illorum plus damni toto bello Trojanis dedisset: eos Ulyxem respondisse; ac ita judicatum Ulyxem pulcherrimo viri fortissimi clypeo digniorem. Quod judicium tam indigne passus est Ajax, ut atra bile tandem percitus se gladio jugularit, quo ab Hectore donatus fuerat. — De hac contentione vid. Ovid. Met. XIII, 1. Ed.

5. *Jam dabo.* Hæc præter Græcorum epigr. Ausonius; quæ Ajaci potius, quam ejus virtuti conveniant. De Ajacis autem sanguine in florem mutato purpureum, ac de isto gemitu monuimus in idyllium de Cupidine cruci adfixo.

6. *Crimina judicii.* Falsum de me et Ulyxe judicium. Pindarus carmine octavo Nemeorum, Sophocles in Ajace Mastigophoro, et Ovidius loco citato Metamorphoseon. Scribit autem Strabo libro tertio decimo, et Pomponius Mela primo, Ajacis cremati cineres fuisse sepultos in litore Rhœteo. Quintus Calaber in extremo libro quinto, non procul a litore Rhœteo. Plinius quinto Naturalis Historiæ in Sigæo; sed Rhœteum et Sigeum agri Trojani oppida, ambo maritima, et exiguo spatio dissita. Αἴαντειον autem Græcis vocitatum fuit Ajacis monumentum.

IV. ACHILLI.

Non una Æacidem tellus habet; ossa teguntur
Littore Sigeo; crinem Larissa cremavit.
Pars tumuli.....
Orbe sed in toto.....Homer.....

**Achilli.* Achillis epitaphium quatuor versuum fuerat; sed deletum fere posterius distichon.

2. *Crinem Larissa cremavit.* De coma Achillis hæc tantum legere memini libro vicesimo tertio Iliados: quod quam pater Peleus Sperchio fluvio patrio nutrire jusserat, eam Achilles, qui se videret in patriam nunquam rediturum, Patroclo sodali carissimo, ab Hectore occiso, consecrarit, totonderit, et in mortui manibus una cremandam, sepeliendamque posuerit: quam rem imitatum refert festo suo Bassianum Herodianus libro quarto.

Digitized by Google

V. ULYXI.

CONDITUR hoc tumulo Laerta natus Ulyxes :
Perlege Odyssean, omnia nosse volens.

VI. DIOMEDI.

CONDITUR hic genitore bono melior Diomedes;
Crimen ob uxoris pulsus dotalibus agris.
Argyripam, clarosque viris qui condidit Arpos:

1. *Conditus hic. Conditur*, et in hoc, et priore epitaphio, exemplar. — *Genitore bono.* Patre Tydeo. Sic Diomedes libro quartodecimo Iliados gloriatur sibi genus esse πατρὸς ἐξ ἀγαθοῦ, id est, ex forti et strenuo patre. Patrem habuit Tydeus Œneum Ætolum, matrem Perilœam; qui quum in agro Lycopeum et Alcathoum, patrueles, unaque cum illis patruum Melanem patri Œneo insidiantes, interfecisset, Argos fugit ad Adrastum regem. Ejus filiam Deipylam duxit uxorem, ex qua Diomedem genuit. Ad bellum tandem Thebanum profectus, multa ibi præclare gessit, et periit. Diodorus Siculus, Apollodorus Atheniensis, Hyginus, Statius Papinius, Lycophron, hæc et plura de Tydeo. Cujus filius Diomedes, secundus nominatur septimo Iliados, inter eos, qui cum Hectore congrediantur. Ejus præclaris facinoribus referta est Ilias: qui ipsos etiam Deos Martem et Venerem in pugna vulneravit. — *Genitore bono melior Diomedes.* Horat. Carm. I, 15, 27: « Ecce furit te reperire atrox Tydides, melior patre ». — *Argis* legendum est in sequenti pro *agris*. ED.

2. *Crimen ob uxoris.* Diomedes uxorem habuit Αἰγιάλειαν, id est, Ægialeam, quam quum a bello Trojano in Græciam reversus, omnibus se probris et adulteriis conspurcasse comperisset, in Italiam secessit, ubi Argyripam, et alias urbes condidit, insulasque tenuit, in mari Ionio, ubi sepultus fuit, quæ ab eo Diomedeæ sunt appellatæ. Lycophron, Strabo, Virgilius, Ovidius, Ant. Liber. et alii.

3. *Argyripam. Lampe* dicebatur Daunias, Apuliæve, in Italia, ad mare Ionium, locus, quem Diomedes muris quum cinxisset, munivisset, Ἄργος Ἵππιον, nomine civitatis Peloponnesiacæ, cujus rex erat, appellavit. Quod vocabulum *Argos Hippion* postea vetustate corruptum fuit, et in *Argyripam* mutatum. Sic Stephanus et Servius tradunt. Istud ergo suum Ἵππιον videntur Græci in Italicæ urbis vocabulo agnovisse, qui in eo ππ geminarunt, tertiamque syllabam produxerunt, ut Lycophron versu 592 Alexandræ : Οἱδ' Ἀργυρίππαν Δαυνίων παγχλήϊταν; quam ante Ausonium corripuerat Virgilius undecimo Æneidos : « Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis ». Sed cur

Digitized by Google

Clarior urbe nova, patriæ quam sede vetusta.

in secunda syllaba υ potius quam ι scripserint, non video : nisi forte id ab aliis factum sit, qui aliud ejus urbis nomen, aliudque etymon, prius fuisse existimarunt. Strabo namque scribit libro sexto, si quid non mendosum in ejus exemplaribus offendimus, non Ἄργος ἵππιον, sed Ἀργυροΐππιον, dictum fuisse initio istud oppidum Italicum, quasi ἄργυρος, id est, argentum, prior sit compositi nominis pars ; unde *Argyripa* esse scribenda videatur. Cæterum unde factum sit hoc vocabulum, id in *Arpos* etiam post ea fuisse contractum, idem Strabo et Servius sunt auctores, ut idem prorsus sit *Argyripa* et *Arpi*.

VII. ANTILOCHO.

Consiliis, belloque bonus, quæ copula rara est,
Carus et Atridis, carus et Æacidis ;
Præmia virtutis simul et pietatis adeptus,
Servato Antilochus Nestore patre, obii.
Non hic ordo fuit; sed justius ille superstes,
Troja capi sine quo perfida non poterat.

2. *Carus et Atridis.* Plurali numero pro singulari usus esse potest Ausonius, et solos Agamemnonem et Achillem intellexisse ; tamen bello Trojano interfuerunt duo Atridæ, id est, Atrei, ut putabantur, filii, Agamemnon et Menelaus : Æacidæ vero, hoc est, Æaci nepotes, quinque, nimirum Achilles, Pyrrhus, qui et Neoptolemus, Achillis filius, Ajax cum Teucro fratre, et Patroclus ; sed Pyrrhus ad bellum non venit, nisi mortuo jam patre, post Antilochum.—Legi tamen hic posset *Atridæ* et *Æacidæ*. ED.

5. *Perfida Troja.* Laomedon rex Trojæ, Priami pater, Deos de muris suæ urbis, homines de Hesione filia, fefellit. Paris filius Priami, Helenam violato hospitii jure, rapuit. Virgilius in libro primo Georgicon, 502 ; « Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ ». At Horatius, Carm. I, 15, 1 : « Pastor quum traheret per freta navibus Idæis Helenen perfidus hospitam ».

VIII. NESTORI.

Hoc tegor in tumulo quarti jam prodigus ævi
Nestor, consilio clarus et eloquio.
Objecit sese cujus pro morte peremptus
Filius ; et nati vulnere vivo pater.

Digitized by Google

Eheu! cur fatis disponere sic placet ævum,
Tam longum ut nobis; tam breve ut Antilocho?

IX. PYRRHO.

Orbe tegor medio, major virtute paterna,
Quod puer, et regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes.
Quid mirum? cæsa jam genetrice furens.

1. *Orbe tegor medio.* Phocis, una ex Græciæ provinciis. In Phocide, Delphi, et Πυθὼ civitas clarissima propter templum Apollinis et oraculum. Hunc autem locum, qui in medio fere universæ Græciæ esset, orbis terrarum quoque totius medium et umbilicum dixerunt; quasi in globi extremitate locus omnis non æque pro medio umbilicoque haberi possit; fabulamque, cujus auctorem citat Pindarum Strabo libro nono, de hac re sunt commenti, duas scilicet aquilas (cygnos alii dixerunt, ut est apud Plutarchum de Defectu Oraculorum, alii corvos, ut meminit Strabo) unam ab ortu, alteram ab occasu emissas ab Jove, hoc loco concurrisse. Antiquus poeta apud Varronem sexto de Lingua Latina, et Ciceronem secundo de Divinatione: « O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides, Unde superstitiosa primum, sæva evasit vox fera ». Fabulam attigit etiam Placidus Lactantius, quum quæsivit, cur Papinius Statius, in Thebaidos lib. I, 121, Parnassum cæli medium dixisset. Hermionem Menelai ex Helena filiam, sponsam suam, quum audivit Pyrrhus Oresti in conjugium a Tyndaro promissam, a Menelao ipsam petiit. Menelaus ab Oreste abduxit, et Pyrrho reddidit. Qua injuria accepta, Orestes a fratribus adjutus, ut scribit Lycophronis interpres, Pyrrhum Delphis in templo Apollinis sacrificantem occidit. Sic Hermionem recuperavit. Delphis ergo sepultum fuisse Pyrrhum Achillis filium, dicit epitaphiographus; sed ejus ossa Hyginus, et Ovidius in Ibin, per fines Ambraciæ sparsa declarant.

2. *Impius ante aras.* Liceat et mihi nugari, quum nemo non faciat. Maluissem Ausonium aliam reddidisse cædis Pyrrhi caussam: hanc nempe: « Impius ante aras quem fraude peremit Orestes. Quid mirum? ante aras sustuleram Priamum ». — *Impius ante aras.* Forte adlusum ad illa Virgilii, Æn. III, vs. 330: « Ast illum ereptæ magno inflammatus amore Conjugis, et scelerum furiis agitatus Orestes, Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras ».

4. *Quid mirum.* Nemo debet mirari, inquit, si tam impius fuit Orestes, ut me in templo Apollinis sacrificantem interimere non timuerit. Matrem enim suam Clytæmnestram jam occiderat, et ejus furiis exagitabatur.

Digitized by Google

X. EURYALO*.

Nec me non dignum titulo Pleuronia credit,
Cui communis erat cum Diomede domus,
Euryalo et Sthenelo: nam tertius hoc ego regnum
Possedi; de quo nunc satis est tumulus.

* Diomedem sequuti sunt ad bellum Trojanum Sthenelus et Euryalus, ut refert Homerus in Bœotia; quos tres agnoscit in equo Trojano Quintus Calaber libro duodecimo: sed solum ex iis Sthenelum Virgilius, secundo Æneidos. Fuit autem Diomedes, per matrem Deipylam, Adrasti Argivorum regis filiam, Argivorum rex. Euryalus patrem habuit Mecisteum, Sthenelus Capaneum, ut ibidem scribit idem Homerus; qui fuerunt, Mecisteus, frater ejusdem Adrasti; Capaneus, Hipponoi et Astynomes, sororis Adrasti ejusdem, filius. Ita Argivi omnes hi, genusque regium, apud Apollodorum et Hyginum. — Hos quoque jungit Auctor Epit. Iliad. 183: «Euryalus, Sthenelusque ferox, et fortis in armis Tydides». Ed.

1. *Pleuronia.* Ætolia apud Strabonem, Plinium, Ptolemæum et alios, est Græciæ provincia, a Peloponneso, sinu Corinthiaco dirempta. In ea est urbs Πλευρών, a qua partem Ætoliæ adpellat *Pleuroniam* Strabo, lib. X; sed olim quemdam Peloponnesi regem fuisse *Pleuronem*, Ledæ, quæ Castoris, Pollucis et Helenes mater fuit, proavum, auctorem habeo Pausaniam; qui memorat ejus nobile monumentum in Laconicis; et Isaacus Tzetzes, urbem fuisse *Pleuronem* scribit: unde Lycophron Helenam vocet *Pleroniam*, quam Homerus Ἀργείαν, h. e. Argivam adpellarat.

XI. GUNEO.

Gunea pontus habet, tumulus sine corpore nomen.
Fama homines inter; cælum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum.
Quæ? cælum, et tellus, et mare, et ora virum.

1. Guneum ad Trojam ex Cypho civitate Thessaliæ viginti duas naves duxisse, scribit Homerus; et in Africam post captum Ilium venisse ait Lycophron, 897 Alexandræ. — De hoc Guneo vide Iliad. II, 748. Memoratur in Epitome Iliados, vs. 205: «simul ordine Guneus Ire bis undenis tentabat in arma carinis». Ed.

4. *Ora virum.* Quod elementum sic designare velit non video, nisi *aera;* tunc *cælum* indicaret ignem: sed *ora virum* et *fama inter homines* sibi invicem respondent; tamen non possunt vocari *elementum*. Ed.

Digitized by Google

XII. PROTESILAO.

Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao :
Nam primus Danaum bello obii Phrygio,
Audaci ingressus Sigeia litora saltu,
Captu pellacis Lærtiadæ insidiis.
Qui ne Trojanæ premeret pede litora terræ,
Ipse super proprium desiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen quum pater imposuit.

1. *Fatale.* Achivis fuit responsum, inquit Hyginus, qui primus litora Trojanorum attigisset, periturum. Quum Achivi classes applicuissent, cæteris cunctantibus, Iolaus Iphicli et Diomedæ (Astyoches apud Eustathium) filius, primus e navi prosilivit: qui ab Hectore confestim est interfectus, quem cuncti appellarunt Πρωτεσίλαον· quoniam primus ex omnibus perierat. Sic Hyginus post mortem, Ausonius ante mortem, ab incunabulis scilicet, nomen Protesilai huic impositum fuisse scribit.

3. *Pellacis.* Per blanditias decipientis, inquit Servius in secundo Æneidos libro, vs. 90. *Pellicere* enim est blandiendo elicere.

4. *Lærtiadæ*, pro Laertiadæ, Ulyxis Laertæ filii: usitatissima contractio.

XIII. DEIPHOBO *.

Proditus ad pœnam, sceleratæ fraude Lacænæ,
Et deformato corpore Deiphobus,

* *Deiphobo.* Deiphobus unus ex quinquagenis, pluribusque Priami regis Trojani liberis, Helenam Paride mortuo uxorem duxerat. Hæc, qua nocte fuit captum Ilium, Menelao fores aperuit, qui dormientem Deiphobum in lecto occidit. Sic Virgilius sexto Æneidos, et Hyginus. At Quintus Calaber, libro tertio decimo, Menelao effractis foribus in Deiphobi thalamum ingresso, Helenam celeriter e thoro, ubi cum viro dormiebat, desiluisse, fugisse in intimas ædes, ac ibi se occultasse: quam, occiso Deiphobo quæsitam inventamque Menelaus etiam jugulasset, nisi obstitisset frater rex Agamemnon.

2. *Sceleratæ fraude Lacænæ.* Deiphobus apud Virgilium, ex quo ipsius epitaphium effinxit Ausonius: «Sed me fata mea, et scelus exitiale Lacænæ, His mersere malis».

2. *Et deformato corpore.* Virgilius de Ænea apud inferos, in VI Æneidos, 494: «Atque hic Priamidem

Digitized by Google

Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis
Et pius Æneas, et Maro composuit.

laniatum corpore toto Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonestó vulnere nares ».

3. *Non habeo tumulum.* Æneas ad eumdem Deiphobum, Æn. VI, 502 sqq. « Mihi fama suprema Nocte tulit fessum vasta te cæde Pelasgum Procubuisse super confusæ stragis acervum. Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem Constitui, et magna Manes ter voce vocavi. Nomen et arma locum servant ». Scribit autem Eustathius in XII Iliados, fabulatos esse veteres, ex abjecto Deiphobi corpore insepulto enatam fuisse herbam nomine ἀκίφαλον, quæ ad lucernam lecta, et cum aqua data, spleniticis prosit.

XIV. HECTORI.

Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troja sepulta est.
Conduntur pariter, qui periere simul.

1. *Hectoris hic tumulus.* Hujus super vitæ meritorum testimonio, cum sæpe doctis tralationum, argutisque figurarum modulis ab Ausoniana phrasi non abhorreat, contingit tamen, ut vix quandoque dignum ejus ingenio anxiaque eruditione, facile appareat, præsertim his, qui ei sæculo immitia plerumque aut duriuscula condonandum non putent. Neque fieri non potuit, ut exscribentium dormitatione quædam fuerint inversa, quodque est detestabilius, addita. Nam præter ea, quæ nos emendavimus, multa etiam concretis dictionibus, perverseque nexilibus confusa, ægre oculis perlegas: ut et imperitum antiquarium, aut quemvis denique amanuensem præ se ferant. — Sic Mariang. Accursius, qui hoc Hectoris epitaphium vett. codd. insertum in Italia invenerat. Egregiam autem continet Hectoris viri fortissimi laudem, quum eo stante, stetisse Trojam patriam, et tali cive intereunte, illam simul interiisse dicit. Occisum autem ab Achille Hectorem, a suis redemptum, et in patria sepultum, canit Homerus, in extrema Iliade. Unde postea ejus ossa Græci Thebas in Bœotiam transtulerunt; ut apud Pausaniam legimus, et Lycophronis interpretem, ac in Anthologia Græcorum ab Henrico Stephano nuper edita. — *Cum quo sua.* Lucil. in Ætna, 584: « Miramur Trojæ cineres, et flebile victis Pergamon, exstinctosque suo Phrygas Hectore, parvum Conspicimus magni tumulum ducis ». Pentadius in tumulo Hectoris: « Occubuit telo violenti victus Achillis. Occubuere simul spesque salusque Phrygum ». — Videantur quæ nos fusius adnotavimus ad hunc locum, hujus op. t. II, p. 329; et ad Virg. Æn. II, 270 et seqq. Ed.

Digitized by Google

XV. ASTYANACTI *.

Flos Asiæ, tantaque unus de gente superstes,
Parvulus, Argivis sed jam de patre timendus,
Hic jaceo Astyanax, Scæis dejectus ab altis.
Proh dolor! Iliaci Neptunia munia muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

* *Astyanacti.* Astyanax Hectoris ex Andromacha conjuge filius.

1. *Flos Asiæ.* Quo non erat pulchrior in tota Asia.

2. *De patre,* Hectore. Timere potuerunt Græci, ne illos patri similis aliquando male multaret; patrem, avum, patruos, gentem universam olim ulcisceretur.

4. *Scæis dejectus ab altis.* « Quum Achivi, ait Hyginus, Troja capta, prolem Priami exstirpare vellent, Astyanacta Hectoris et Andromachæ filium de muro dejecerunt ».

XVI. SARPEDONI.

Sarpedon Lycius, genitus Jove, numine patris
Sperabam cælum; sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis: proh ferrea fata!
Et patitur luctum, qui prohibere potest.

1. *Sarpedon. Sarpedon* non unus fuit. Memorat Apollodorus, et Scholiastes Argonauticorum Apollonii, *Sarpedonem* Neptuni filium, Thraciæ regem, ab Hercule interfectum: abs quo Sarpedon, Thraciæ urbs, ap. Stephanum, Σαρπηδονίη πέτρη apud Apollonium primo. Alii fuerunt duo Sarpedones, auctore etiamEustathio in secundum Iliados, quos unum solum fuisse putat Apollodorus tertio de Deorum origine: *Sarpedon* Jovis et Europæ filius, qui Creta pulsus a fratre Minoe, in Lycia regnavit; et *Sarpedon* Jovis et Laodamiæ Bellerophontis filiæ filius, ut idem Homerus scripsit Iliados sexto, qui Trojanis contra Græcos auxilium tulit, et a Patroclo fuit occisus. Incertum autem uter horum Lyciæ regum sit accipiendus, cujus regnum promontorio *Sarpedone* aliquando finitum esse, scribit Pomponius Mela libro primo.

3. *Sanguineis fletus lacrymis.* Jupiter Iliados sextodecimo, quum se vidit Sarpedonem filium carissimum servare non posse (tantam esse vim fati et soror, et conjux Juno docuerat) αἱματοέσσας ψιάδας κατέχευεν ἔραζε, id est, sanguineas guttas effundebat humi.

4. *Et patitur luctum.* Melius *Et patitur luctum,* sc. Jupiter, qui omnipotens est. Tollius interrogationis signum hic ponit, sed sine caussa. Ed.

Digitized by Google

XVII. NASTI ET AMPHIMACHO.

Nastes, Amphimachusque, Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis et umbra sumus.

1. *Nastes.* Ad verbum, eodemque verborum ordine, est illud Homeri: Νάστης Ἀμφιμαχός τε Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα. Fratres hi erant, et Cares ad Trojam pro Trojanis duxerunt; quorum alterum, Amphimachum, scribit poeta ab Achille fuisse occisum.

XVIII. TROILO *.

Hectore prostrato, nec Dis, nec viribus æquis
Congressus sævo Troilus Æacidæ,
Raptatus bigis fratris conjungor honori;
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

* *Troilo.* Virgilius, Æneidos I, 474 sqq. de pictura rerum Trojanarum: « Parte alia fugiens amissis Troilus armis, Infelix puer, atque impar congressus Achilli, Fertur equis, curruque hæret resupinus inani, Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta ».

2. *Congressus sævo.* Ita procul dubio legendum, quum a præcedente sequens *s* absorptum sit; in veteri autem libro ultima etiamnum litera *o* conspiciebatur: sed et ita Venetus. — Pro *sævo* margini adscribebat Adr. Burmannus *perii.* Ed.

3. *Raptatus bigis.* De Hectore Virgilius, Æn. II, v. 272: « Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes ». Cicero in Tusculan. Quæst. Propertius, Eleg. III, 1, etc. Noster in Periocha XXII Iliad. « Hector interfectus, et religatus ad currum, ter circum mœnia Trojana raptatur ». Patrio id Achillem more fecisse refert Scholiastes ad Homeri Iliad. XVII, ex Callimacho: Simonem namque, Thessalum genere, Eurydamanta Midiæ filium ita raptasse, qui Simonis fratrem Thrasunum interfecerat. Hunc autem primum ejus moris auctorem fuisse, et religatum ad currum interfectorem circum fratris occisi tumulum traxisse. Hæc ille. Æmulatus est Achillem Magnus Alexander, eodem Bætim supplicio adficiens. Curtius, lib. IV, cap. 6 extr. « Per talos enim spirantis lora trajecta sunt, religatumque ad currum traxere circa urbem equi: gloriante rege, Achillem, a quo genus ipse deduceret, imitatum se esse pœna in hostem capienda ».

Digitized by Google

XIX. POLYDORO.

Cede procul, myrtumque istàm fuge nescius hospes,
Telorum seges est sanguine adulta meo.
Confixus jaculis, et ab ipsa cæde sepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius Æneas, et tu, rex impie; quod me
Thracia pœna premit, Troia cura tegit.

1. *Cede procul.* Effinxit Ausonius hoc epitaphium ex iis, quæ de Polydoro fabulatur Virgilius in principio tertii Æneidos, ex iisque ipsis est intelligendum.

2. *Telorum seges.* Hæc cornea, inquit Polydorus, virgulta, et « densis hastilibus horrida myrtus », tela ipsa sunt, quibus me confodit crudelis tyrannus Thraciæ; quæ vita ex sanguine et corpusculo meo sumpta, in hanc silvam adoleverunt.

3. *Condor bis.* In tumulo litori imminente, telis et terra fui primum obrutus a tyranno, et conditus. Deinde Æneas, quum hac transiret, et me forte reperisset, instauravit mihi funus, sepulcrum exstruxit, et cætera quæ sunt apud Virgilium.

5. *Et tu, rex impie,* scis. Ἀποστροφὴ ad Polymnestorem, ut hic Thraciæ rex appellatur in Hecuba Euripidis, et tertia Metamorphoseon Ovidii; cujus hæc insignis impietas, quod quum ei Priamus Trojæ rex, ut amico, Polydorum filium auri cum pondere magno furtim mandasset alendum, « quum jam diffideret armis Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret; Ille ut opes fractæ Teucrum, et fortuna recessit, Res Agamemnonias, victriciaque arma sequutus, Fas omne abrupit, Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur ».

6. Alii *Trojaque cura tegit.* Crediderim Auson. sine conjungendi particula scripsisse, *Troia cura tegit.* Ut est in Didonis epitaphio: « Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris ». *Troia* enim hoc loco, trisyllabum fit, ut libro primo Æneidos: « Arma virum, tabulæque, et Troia gaza per undas ». Et in Epitaphio insequenti: «Troia tellus». — *Troia cura*, id est, Trojani, qui Polydoro justa solverunt. — *Tegere* solemne de sepultis. Ed.

XX. EUPHEMO.

Euphemum Cĭconum ductorem Troia tellus

1. *Euphemum Ciconum.* Ciconum gentis Thraciæ regem Euphemum Trojanis contra Græcos auxilium tulisse scribit Homerus in extremo libro secundo Iliados. — Epitom. 242: « Euphemusque ferox ». Ed.

Digitized by Google

Condidit hastati Martis ad effigiem.
Nec satis est titulum saxo incidisse sepulcri;
Insuper et frontem mole onerant statuæ.
Ocius ista ruunt, quæ sic cumulata locantur:
Major ubi est cultus, magna ruina subest.

XXI. HIPPOTHOO ET PYLÆO IN HORTIS SEPULTIS.

Hippothoum, Pyleumque tenet gremio infima tellus.
Caulibus et malvis terna superna virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos:
Dum parcente manu mole usus excolitur.

1. *Hippothoum*. Hippothoum et Pylæum facit fratres Homerus in eodem extremo secundo Iliados: qui Pelasgos Larissæos in Trojanorum auxilium adduxerint; Hippothoumque ab Ajace Telamonio fuisse occisum, scribit libro septimodecimo. — *Hippothoum Pyleumque*. Grævius putat metrum flagitare, ut scribatur: *Pyleum Hippothoumque*. Sed nihil mutandum. Non advertit vir celeberrimus id esse moris Ausonio, ut diphthongos extrita altera vocali corripiat.

XXII. ENNOMIO ET CHROMIO*.

Ennomus hic, Chromiusque jacent; queis Mysia regnum,
Queis pater Alcinus, Oceanusque atavus.
Nobilitas quid tanta juvat? quo clarius istis
Est genus, hoc mortis conditio gravior.

* *Ennomo et Chromio*. Hi sunt Ἔννομις et Χρόμις in eodem extremo secundo Iliados. Sed *Chromis* etiam Χρόμιος, id est, Chromius, tribus syllabis, vel auctore Eustathio. — *Ennomum* Mysis præfuisse dicit Homerus, Iliad. II, 858. Ipse alio loco Iliad. V, Χρόμιον nominat, sed non eumdem, ut opinor. Ovidius de illis sic ait, Metamorph. XIII, vs. 256, « cum multo sanguine fudi..... Alastoraque, Chromiumque..... fatisque immitibus Ennomon aetum ». Ed.

Digitized by Google

XXIII. PRIAMO.

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista
Sede ; caput Danai diripuere meum.
Ast ego, quum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic et natos, Trojamque, Asiamque sepultam
Inveni, et nostrum quidquid ubique jacet.

3. *Quum lacerum sine nomine funus.* Virgilius, Æn. II, 558, « Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus ». — Et Manilius, IV, 65 : « Priamumque in litore truncum, Cui nec Troja rogus ». Ed.

XXIV. ITEM PRIAMO.

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante :
Ille meus, nato quem prius ipse dedi.
Hectoris et patris simul est commune sepulcrum;
Amborum quoniam juncta ruina fuit.

XXV. HECUBÆ.

Quæ regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami conjux, Hectora quæ genui;
Hic Hecuba injectis perii superobruta saxis,
Sed rabie linguæ me tamen ulta prius.
Fidite ne regnis, et prole, et stirpe parentum:

1. *Nata Dymante.* Hecubæ, quæ Græcis Ἑκάβη dicitur, pater est Dymas Iliados sextodecimo, Cisseus in Hecuba Euripidis, Sangarius libro tertio Bibliotheces Apollodori.

6. *Fidite ne regnis.* Quin Senecam Noster in animo habuerit, quum hæc scriberet, nullus dubito. Apud illum enim eadem Hecuba initio Troadum : « Quicumque regno fidit, et magna potens Dominatur aula, nec leves metuit Deos, Animumque rebus credulum lætis dedit, Me videat ».

Digitized by Google

Quicumque hoc nostrum σῆμα κυνὸς legitis.

1. Σῆμα κυνός. Sepulcrum canis. Strabo tertiodecimo: καθ' ὃ ἐν Χερρονήσῳ τὸ κυνὸς σῆμά ἐστιν· ὃ φασιν Ἑκάβης εἶναι τάφον. Pomponius Mela, lib. II, de eadem Thraciæ Cherrhonesο: *Est Cynos-sema, tumulus Hecubæ, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna, in quam decideral, humili nomine accepto.*

XXVI. POLYXENÆ *.

Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto
Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis, Achivi:
Hoc violare magis, quam sepelire fuit.

* Merito huic Epitaphio conjungi potest hoc ineditum ex schedis Salmas. et Divion. quod Burmannus secundus præfert, Anth. I, 101: «Placat busta patris jugulata virgine Pyrrhus, Dilectasque litat Manibus inferias. Sors nova nymphigenæ votum post fata meretur, Quam pepigit thalamis, hanc habet in tumulis». Ed.

Digitized by Google

T. PETRONII ARBITRI

TROJÆ HALOSIS.

Jam decima mœstos inter ancipites metus
Phrygas obsidebat messis, et vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu;
Quum, Delio profante, cæsi vertices
Idæ trahuntur; scissaque in molem cadunt

1. *Mœstos inter ancipites metus:* sic Livius II, 24: « At curia mœsta ac trepida ancipiti metu ».

2. *Obsidebat messis,* annus decimus, ut Ovid. Met. XIV, 146: « Ter centum messes, ter centum musta videre ». At *obsidebat messis* vel annus decimus, fateor, mihi æque, ac Tollio, durum et insolens videri. Tolerabilius scribere poterat *adterebat, frangebat* messis decima Phrygas, quemadmodum tempus, ætas, frangere, adterere dicitur.

3. *Atro metu* male culpatur a Tollio. Poetis omnia tristia et misera sunt *atra.* Virg. Æn. IX, 719: « Immisitque fugam Teucris, atrumque timorem », nec tamen elegans est, vocabulum *metus*, quod modo adfuit, hic repeti. Et *dubia fides vatis pendet* satis bonum est. Pendet fides, quæ quasi in statera suspensa levi momento vel conversione rerum inclinatur, ut fallat. Cicero Agrar. II, c. 25: « Nolo suspensam et incertam plebem obscura spe et cæca exspectatione pendere ».

4. *Delio profante,* Apollinis Delphici vel Thymbræi oraculo. Hoc contra mentem aliorum poetarum videtur esse, qui Apollinem Trojanis favisse, et Palladis arte exstructum equum dicunt. Veteres edd. et Steph. legunt *præfante, ferro cæsi;* sed recte *ferro* ejiciunt meliores, et *profari* verbum est oraculorum et vatum proprium. Lucret. I, 740, et V, 113: « Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur ». Sed *præfari* vix eripi Catullo potest, Epithal. Pel. 383: « Talia præfantes quondam felicia Pelei Carmina divino cecinerunt omine Parcæ ». — *Cæsi vertices* pro arboribus cæsis a vertice. Id ipsum dixit Sidonius, Carm. IX, 115: « Decrescens cui Dindymon reciso Fertur vertice texuisse classem ». Audacius hoc quidem est; sed tamen non multo aliter alii, ut Stat. Theb. XI, 194, « Submittitur ingens Hæmus, et angustos Rhodope descendit in amnes ».

5. *Scissa in molem* pro scissa, ut inde moles exstruatur; quomodo

Digitized by Google

Robora, minacem quæ figurarent equum.
Operitur ingens claustrum, et obducti specus,
Qui castra caperent. Huc decenni prælio
Irata virtus abditur, stipant graves
Equi recessus Danai, et in voto latent.
O patria! pulsas mille credidimus rates,
Solumque bello liberum: hoc titulus fero
Inscriptus, hoc ad fata compositus Sinon

Lucanus, I, 306: « In classem cadit omne nemus ». Claudian. in Ruf. I, 152: « Scythicæ vernant in carmina rupes ». — Idem, v. 311: « Cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes ». Vid. Licent. carm. v. 21. ED.

6. Veteres edit. et Steph. *quæ figurabant*. Tragur. *figurabat*: sequentes correxerunt *figurarent*.

7. *Aperitur ingens castrum* habet prima ed. cum cod. Trag. Steph. et Lotich. *claustrum* Scal. Frellon. *antrum* Tornæs. Patisson. Wouweren. Rectum videtur *claustrum*, quia Virgil. Æn. II, 259: « laxat claustra Sinon », et quia *castra* mox sequitur. *Operitur* habet vet. cod. et sic legendum censeo cum Burmanno, quia additur *obducti specus*, et sermo est de lateribus equi nunc secto robore tectis.

9. *Irata virtus*, viri fortes ob lentum et decennale bellum irati. — *Graves equi recessus*, hoc est gravidos, dicit ad exemplum Virgilii, qui Æn. II, 237: « scandit fatalis machina muros, Feta armis ».

10. *In voto latent* plerique interpretantur in equo votivo: quidam aliter et coactius. Ego malo, latent in vel sub eo voto, vel voti titulo, quod inscriptum equo erat, et quo dolus Achivorum tegebatur. Hyginus, fab. 108, titulum inscriptum esse memorat: *Danai Minervæ donum dant*. Accius in Deiphobo, ut refert Servius ad Æn. II, 17, ita inscriptum prodit: « Minervæ donum armipotenti Danai abeuntes dicant ». Et sic ipse mox explicat auctor, quum addit, ex voto illo inscripto credidisse Troes, abiisse Græcos.

12. Scaliger et alii *hic titulus*, et sequente versu *hæc ad fata*, perperam. Stephanus in margine corrigit *hoc penitus fero*, scil. *bello liberum*; et Daniel *bello liberum hostili fore Juratus... Sinon*. Sed rectius, quod nos post aliorum correctionem dedimus. Nempe abiisse rates Græcorum, hoc titulus equo inscriptus, et hoc Sinon ad fata compositus mendacio suo nobis persuadebat. *Ferum* appellat equum Trojanum, Virgilium sequens, Æn. II, 51: « hastam In latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorsit ». Sic Arnob. lib. IV, p. 145: « Saturnus carminibus indicatur, ab uxore in adulterio comprehensus induisse formam feri ». Alia vide, quæ notavimus ad Epitom. Hom. v. 1013.

13. Prima edit. et cod. Trag. habet *Intus*: quam vocem per compendium scriptam Sambucus et Stephanus exposuerunt *Juratus*, trahentes ad *Sinon*; alii *Impositus* dederunt, alii cum Scaligero *Incisus*: ego cum Burmanno malim *Inseri-*

Digitized by Google

Firmabat, et mendacium in damnum potens.
Jam turba portis libera, ac bello carens
In vota properant : fletibus manant genæ,
Mentisque pavidæ gaudium lacrymas habet,
Quas metus abegit : jamque Neptuno sacer,
Crinem solutus, omne Laucoon replet

ptus, quod compendium illud *Intus* prorsus refert. Ovid. Her. II, 145 : « Inscribere meo caussa invidiosa sepulcro ». — *Ad fata compositus* est subornatus, instructus a Græcis ad confirmanda mendacio ea, quæ fatum et exitium Trojæ portenderent. Hinc Virg. Æn. II, 195 : « Talibus insidiis perjurique arte Sinonis, Credita res ». Possis etiam legere *ad vota compositus*, sc. Græcorum exsequenda.

14. *Et mendacium in damnum potens*. Alii volunt et *mendacii*, alii *et mendacio* : sed vulgata lectio non temere spernenda, quam cod. Trag. et prima ed. confirmat. *Potens in damnum*, quod persuadet ea, quæ damno vel exitio Trojanis futura sunt : sic eloquentia *potens* dicitur.

15. *Turba portis libera*, i. e. effusa portis. Frequentat hanc vocem auctor : versu 12 *bello liberum*, et v. 38 *liberæ ponto jubæ*. — *Bello carens* h. e. quæ jam putabat omni se bello defunctam esse. Explicatius Virgilius, Æn. II, 25 : « Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas. Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu : Panduntur portæ ».

16. *In vota properant*, h. e. properant, ut potiantur voto suo, nempe admittendi equum in urbem. Prima edit. habet *Jam fata properant*. Ut Sen. Herc. fur. 867 : « Quid juvat durum properare fatum? » Ed. — Steph. et Scalig. *Jam vota properant* : alii volunerunt *In fata properant*.

17. *Mentisque pavidæ gaudium lacrymas habet*. Burmannus, ut insultationem Tollii reprimat, sic interpretatur : Gaudium illud recens mentis paullo ante pavidæ lacrymas effundit, quas metus antea effuderat. Hinc *abigere lacrymas* pro ejicere, effundere, licet insolenter, dictum putat. Ego *abigere* proprio sensu accipiendum arbitror, et hanc esse sententiam : Lacrymas, quas ante metus abegerat, vel impedierat, nunc gaudium mentem pavidam pertentans effundit. Scil. metu constringitur animus, gaudio accedente solvitur. De lacrymis ex gaudio obortis passim scriptores. Claud. Bell. Get. vs. 407 : « Singultus varios, lacrymosaque gaudia miscens ».

18. *Neptuno sacer*, Virgilio *ductus Neptuno sorte sacerdos*, Æn. II, 201.

19. *Crinem solutus*, quia sacra facturus erat, in quibus omnia soluta et libera esse debebant, non, ut Barthius existimat, propter luctum patriæ. Ovid. Met. VII, 182 : « Egreditur tectis, vestes induta recinctas, Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos » : ibid. v. 257 : « passis Medea capillis Bacchantum ritu flagrantes circuit aras » : et Tibull. I, 3, 31 : « Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes Insignis turba debeat in Pharia ». — Vide quæ disseruimus ad Excurs. Tibullo nostro subjectos, p. 374 sq. Ed. —

Digitized by Google

Clamore vulgus; mox reducta cuspide
Uterum notavit: fata sed tardant manus,
Ictusque resilit, et dolis addit fidem.
Iterum tamen confirmat invalidam manum,
Altaque bipenni latera pertentat. Fremit
Captiva pubes intus, et, dum murmurat
Roborea moles, spirat alieno metu.
Ibat juventus capta, dum Trojam capit,

Laucoon habent veteres libri pro Laocoon, sicut *Laudicea, Laumedon, lautumiæ* pro Laodicea, etc. scribitur. — Quod pluribus confirmat Burm. Anth. Lat. t. I, p. 90, 272. Ed.

20. *Reducta cuspide* Erhardus exponit nudata, ex vagina, in quam ducta sive condita erat, districta: sed, meo sensu, reducta cuspis vel hasta est, quæ, ut fortius emittatur, prius manu retro ducta libratur. Hunc sensum Tollius etiam agnoscit, sed male, quod phrasim se fatetur adhuc ignorasse. Sic enim Seneca, Agamemn. 535: « Libratur aliud fulmen: hoc toto impetu Certum reducta Pallas excussit manu »; et Manil. lib. II, 512: « spectatque reducta Tela Sagittarii », id est, librata et retrorsum acta ad jaculandum.

21. *Uterum notavit*, leviter perstrinxit, quia fata ejus manum tardabant. Ovid. Her. V, 22: « Et legor Œnone, falce notata tua »; et Petronius, cap. 103, « frontes notare » pro inscribere dixit. Tollii de hac voce ineptas cavillationes non repeto. Perperam Stephanus et Scaliger *Uteri notavit fata*. Porro veteres edd. habent *sed tradunt manus*, quod docti viri recte mutarunt in *tardant*.

22. Traguriensis habuit *Letusque resilit*, prima edit. *Lætusque*. Patissonius edidit *Totusque:* quidam correxerunt *Lentusque*, alii *Læsusque*, alii *Lususque:* quæ omnia quia referenda essent ad Laocoonta, meo judicio, admitti nequeunt; nam certe ipsum Laocoonta resiliisse, auctor dicere noluit, sed cuspidem. Itaque magis placet, quod alii conjecerunt, *Telumque*, vel quod Hadrianides e codice Pithœi dedit, *Ictusque;* egoque præfero *Ictusque*, e quo librarius male cernens facile efficere scripturam codicis *letusque* potuit; unde fons errorum.

23. *Invalidam manum* Burmannus exponit, quæ primo ictu nihil effecerat, et de sequente verbo *pertentat* monet, non cum effectu capiendum esse, sed de conatu, sc. pertentare cupit, quomodo Propertius, lib. IV, 1, 93: « Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora », id est, protegere conatur. Sic respondet Burmannus Tollio, qui utrumque vellicavit.

25. *Et, dum murmurat:* sic docti viri emendarunt. Stephanus et quædam veteres edd. *et dum murmurant Robora*.

26. *Moles spirat alieno metu.* Non injuria Tollius hanc argutiam, ut et sequentium versuum, exagitat: neque Burmannus eorum patrocinium suscipit.

Digitized by Google

Bellumque totum fraude ducebat nova.
Ecce alia monstra. Celsa qua Tenedos mare
Dorso repellit, tumida consurgunt freta,
Undaque resultat scissa tranquillo minor.
Qualis silenti nocte remorum sonus
Longe refertur, quum premunt classes mare,
Pulsumque marmor abiete imposita gemit.
Respicimus: angues orbibus geminis ferunt
Ad saxa fluctus, tumida quorum pectora,

28. *Bellum totum.* Burmannus putat ab arguto poeta dici, quia decem illis annis actum erat, totumque adhuc restabat ducendum. At ego *ducebat* explicandum puto, inducebat vel invehebat bellum, equo, in quo latebant milites, in urbem ducto: quemadmodum Plinius, Paneg. 12, 3: « quum Danubius duratus glacie ingentia tergo bella transportat ». — Et Seneca in Thyeste, v. 43: « bella trans pontum vehant ». En.

29. *Ecce alia monstra:* quædam veteres *monstrat;* sed Virgilium exprimit, Æn. II, 199. En.

30. *Dorso replevit:* ita Tragur. cod. et prima editio Sambuci, et Patiss. item Steph. idque adoptavit Burmannus. Sed rectius meo sensu, quod Tornæsius, Scaliger aliique eum sequuti dederunt, *repellit.* Quippe *replere* dorso mare insula non potest, sed *repellere;* et sic Statius, Theb. IV, 62: « Isthmos et a terris maria inclinata repellit ». — *Dorsum* poetæ de insulis vel scopulis marinis. Virg. Æn. I, 110: « Dorsum immane mari summo ». Avienus in Ora Marit. v. 472: « Balearium ac late insularum dorsa sunt ».

31. *Undaque resultat,* etc. Gonsalius explicat *Unda minor scissa resultat tranquillo,* id est, super mare tranquillum. Erhardus: *Unda minor resultat, quæ scissa tranquillo est.* Sed obscura manet sententia, et vox *minor,* ut aliena, sensum impedit. Itaque hic adsentire cogor Tollio, qui quid sit *tranquillo minor* se nescire fatetur, idque pro *mari* a descriptoribus subjectum putat. Scribam igitur, licet nullo adjuvante libro, *Undaque resultat scissa tranquillo mari.* Hoc enim e Virgilio expressum est, qui Æn. II, 203: « Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta, etc. »

33. *Quum premunt classes mare.* Sic idem Petron. in Bello civ. v. 3, *gravidis freta pressa carinis,* ubi nos *pressa* restituimus e cod. Trag. pro *pulsa,* quod in vulgatis erat: hoc autem sequitur, v. 34.

34. *Pulsumque marmor,* mare remis impulsum. Virg. Georg. I, 254: « Et quando infidum remis impellere marmor Conveniat ». — *Abiete imposita gemit,* hoc tumide et hyperbolice dictum, quod Florus, IV, 11, 5, de navibus insanæ magnitudinis usurpavit: « Turribus atque tabulatis adlevatæ, castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ventorum ferebantur ».

Digitized by Google

Rates ut altæ, lateribus spumas agunt;
Dat cauda sonitum ; liberæ ponto jubæ.
Consentiunt luminibus, fulmineum jubar
Incendit æquor, sibilisque undæ tremunt :
Stupuere mentes. Infulis stabant sacri
Phrygioque cultu gemina nati pignora

37. *Rates ut altæ.* In enormem magnitudinem aucta species anguium, de quibus Maro multo modestius, Æn. II, 206 : « Pectora quorum inter fluctus adrecta, jubæque Sanguineæ exsuperant undas ».

38. *Dat cauda sonitum :* sic cod. Trag. Steph. Scal. Tornæs. alii; sed *Dant caudæ sonitum.* Frellon. Lotich. Hadrianides dederunt, quod auctoritate idonea caret, et metro adversum est.—*Liberæ ponto jubæ*, i. e. exstantes et erectæ e mari. Codices scripti plerique *pontum* vel *pontem* habent : alii *merito jubæ.* Scaliger vult *liberæ mento jubæ ;* Heinsius *liberæ ponti jubæ*, ut Æn. X, 154, « libera fati gens ». Barthius ad Stat. Theb. VIII, 463, vulgatum tuetur « liberæ ponto ».

39. *Consentiunt luminibus.* Obscurum hoc plerisque visum, ut corrigendum putarent. *Liberæ portum jubæ Consecendunt* voluit *Bourdelot.* Nodotius interpolavit *Coruscant luminibus*, et sic citavit Lessingius in Laoc. p. 56. Sed *Consentiunt* sanum videtur, interpretandumque e Virgilio, cujus narrationem refert. Hic anguibus *jubas sanguineas* tribuit, et mox addit, v. 210, « Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni ». Hæc exprimens Noster dicit *jubæ consentiunt luminibus*, hoc est, jubæ anguium et lumina sive oculi prorsus similes sunt ; oculi sanguine suffecti sunt, ut jubæ sanguineæ ; idque ipsum mox declarat verbis sequentibus. Sic Petron. in carm. de Bello civ. v. 246 : « Consensitque fugæ cæli timor », h. e. Dii æque timidi ad fugiendum fuerunt, ac Pompeius.

40. *Fulmineum jubar Incendit æquor*, i. e. fulgor ex oculis et jubis sanguineis. Rursus ultra modum exaggerat, quæ Virgilius dixit. Hic oculos sanguine suffusos ardere facit, Petronius non modo fulminare, sed et incendere æquor. *Fulmen* de oculis ardentibus iratorum. Propert. IV, 9, 29 : « Fulminat illa oculis, et, quantum femina, sævit ». Idem de spiritu ferocientium animalium usurpatum vidimus ad Olympii Laud. Herc. 122, et hoc tomo ad Epit. Hom. v. 601.—*Incendere*, h. e. splendidum facere inprimis dicitur sanguineus color. Sil. Ital. I, 126 : « Idæoque lacus flagrantes sanguine cerno ». Valerius Flaccus, III, 411 : « Ergo ubi puniceas Oriens accenderit undas ». — Et vid. quæ hujus operis nostri tomo II, p. 273, ad Arborii Eleg. vs. 17, diximus. Et Martialis, lib. XIV, epigr. 26, de crinalisapone : « Caustica Teutonicos accendit spuma capillos ». Ed.

41. *Infulis sacri*, h. e. sacerdotes, vel potius sacrorum ministri, quia infulæ propriæ sacerdotum : sic supra de Laocoonte, v. 18, *Neptuno sacer.*

42. *Phrygioque cultu.* Non quia Phrygius cultus pontificum natis

Digitized by Google

Laocoonte, quos repente tergoribus ligant
Angues corusci : parvulas illi manus
Ad ora referunt : neuter auxilio sibi,
Uterque fratri transtulit pias vices,
Morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberûm funus parens,
Infirmus auxiliator; invadunt virum
Jam morte pasti, membraque ad terram trahunt.
Jacet sacerdos inter aras victima,
Terramque plangit. Sic profanatis sacris,

proprius, sed per adpositionem; tamen intellige *indati*. Ed. — *Gemina nati pignora* cod. Trag. *gemini* et vers. seq. *Lacoonti*. Scalig. *Lauconte*, alii *Laconte*.

45. *Ad ora referunt :* adorandi venerationem innuere videtur Burmanno, de quo ritu Torrentium ad Suet. Aug. 94 citat. Tradit Plinius, XXVIII, cap. 2 : « In adorando dextram ad osculum referimus », et Apul. in Apologia : « Nefas habet adorandi gratia manum labris admovere ». Sed malo, quæ altera sententia Burmanni est, præ metu id factum putare, quo vidimus pueros non modo, sed et alios, accidente aliquo casu periculoso manu os vel oculos obtegere, ne quid videant, vel ore excipiant.

46. *Transtulit pias vices :* cod. Trag. *transtulit pietas* habet, alius *pictas vices*. Pro *uterque* alii *Utrique*. Virgilius de pueris Laocoontis nihil aliud, quam serpentibus implicitos et morsu adrosos esse memorat duobus versibus. Petronius hoc ita dilatat, ut simul puerorum miram pietatem et fortitudinem pingat, qua alter alteri auxilium ferre conatur, et suimet ipsius oblitus est. Id non modo ambitiose a Petronio factum, sed et incredibile et contra naturam esse contendit Lessingius in Laoc. p. 57 : neque aliter Tollius in Fortuit. p. 27. Similem tamen pietatem duorum similium fratrum Saguntinorum memorat Sil. Ital. II, 636 seq.

47. *Mutuo perdit metu :* h. e. Ambo pereunt præ metu, quod invicem metuunt de periculo alteri imminente, neuter de semet ipso sollicitus est.

48. *Accumulat funus*, i. e. accedit ad funera liberorum funus patris. Ovid. Her. XV, 70 : « Accumulat curas filia parva meas ».

49. *Infirmus auxiliator.* Alii *infirmis*. Virgil. Æn. II, 216 : « Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem Corripiunt ».

50. *Jam morte pasti.* Cod. Trag. Steph. et vet. *in morte pasci ;* alii *in morte passi ;* Scalig. *in morte parci.* — *Membraque ad terram trahunt :* de hoc tacet Virgilius. Et quæ deinceps addit auctor de sacris cæde Laocoontis profanatis, et propterea iratis Trojæ Diis, contra poetarum aliorum mentem finguntur.

52. *Terramque plangit*, ut Ovid. Her. XVI, 334 : « Cæsaque sanguineam victima planget humum. —

Digitized by Google

Peritura Troja perdidit primum Deos.
Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens astra radianti face,
Quum inter sepultos Priamidas nocte et mero
Danai relaxant claustra, et effundunt viros.
Tentant in armis se duces, ceu uti solet

Profanatis sacris, propter sacerdotem inter aras occisum.

54. *Candidum extulerat jubar.* Petron. cap. 127 : « ut videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre ». Virgil. Æneid. VIII, 591 : « Oceani perfusus Lucifer unda Extulit os sacrum cælo ».

55. *Minora ducens astra.* Frequens conjunctio Lunæ cum astris minoribus. Hor. Carm. I, 12, 47 : « velut inter ignes Luna minores ». Seneca in Hippol. v. 747 : « Exserit vultus rubicunda Phœbe, Nec tenent stellæ faciem minores ».

56. *Inter sepultos nocte et mero.* Alias *somno vinoque sepulti* dicuntur, ut a Virg. Æn. II, 265 : « Invadunt urbem somno vinoque sepultam » ; et Ovid. Am. I, 4, 53, « Si bene compositus vino somnoque jacebit ». Propterea ridet Tollius, quod auctor *nocte* sepultos pro *somno* dixerit. Sed scire nolebat, noctem sæpe a poetis pro somno poni. Demonstrarunt hoc pluribus e locis Heinsius et Drakenb. ad Sil. III, 216. Unum pono Virgilii, Æn. IV, 530 : « nec unquam Solvitur in somnos, oculisque aut pectore noctem Accipit ».

57. *Danai relaxant claustra.* Adjuvante Sinóne hoc factum esse tradit Virg. Æn. II, 258 : « Inclusos utero Danaos et pinea furtim Laxat claustra Sinon : illos patefactus ad auras Reddit equus » ; et vs. 328 : « Arduus armatos mediis in mœnibus adstans Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet ». Pro *viros* cod. Trag. et quædam antiquæ edd. habent *vires*. — Sed notari a Wernsdorfio poterat Petronium quidem sibi Trojæ halosim proposuisse, hanc tamen Virgilio ipso multo brevius descripsisse. Ed.

58. *Tentant in armis se duces*, experiuntur vires et arma jactando præparant se prælio. Sic Virgil. de tauro pugnam meditante, Georg. III, 232 : « Ergo omni cura vires exercet... Et tentat sese, atque irasci in cornua discit ». — Et Petronius, de Mutat. Reip. v. 174 : « sumite bellum, Et tentate manus ». Ed. — Pro *ceu uti* cod. Trag. *ceu ubi solent* : prima ed. *ceu ubi solet*, et sic Steph. Scal. et alii. Mihi videtur ejiciendum esse *ceu*, quod et superfluum appareret apposito *uti*, et versus ratio non desiderat : *ceu* ingesserant librarii, qui quum *ubi solet* legebant, necessariam eam particulam putabant ad comparationem, quæ sequitur, formandam. Cæterum, quod hic auctor Græcos arma sua tentantes adfert, et cum equo jubas ad cursum excutiente comparat, id quidem parergon est a Virgilio prætermissum, sed immerito tamen hic carpitur a Tollio, quod Petronius singulari carmine captam Trojam describens morari in minoribus rei momentis poterat, Virgilium universa narrantem non decebat parerga quæque et accessoria captare.

Digitized by Google

Duro remissus Thessali quadrupes jugo
Cervicem, et altas quatere ad excursum jubas. 60
Gladios retractant, commovent orbes manu,
Bellumque sumunt. Hic graves alius mero
Obtruncat, et continuat in mortem ultimam

59. *Duro remissus Thessali.* Traguriensis habet *Nudo remissus Thessali quadrupedes jungi:* unde quidam corrigere voluerunt *Nodo remissus Thessalus quadrupes jugi.* Steph. Scal. et Burmannus dederunt *Nudo remissus Thessali quadrupes jugo:* Hadrianides cum quibusdam aliis *Duro remissus jugo*, quod teneo, et expressum puto ex hoc Virgilii Æn. XI, 492: « Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis Tandem liber equus, campoque potitus aperto, Emicat, adrectisque fremit cervicibus alte Luxurians ». Equum *Thessali* nominat, quoniam hic populus equis alendis et equitandi exercitatione nobilis. Claudian. VIII Cons. Hon. 543: « gens exercita campo Thessala », et vide, quæ notavimus ad Saleii Bassi carm. v. 49, et Gratii Cyneg. 228.

60. *Quatere ad excursum jubas.* Tragur. Steph. et alii impressi habent *excussum*, quod priscam scripturam esse aiunt pro *excursum*. *Excutere jubas* vel toros dicuntur feræ vel jumenta, ubi cursum vel pugnam moliuntur. De leone Virg. Æn. XII, 6: « Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros ». Lucanus, I, 208: « Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ Erexitque jubam ». Olymp. Land. Herc. 93: « Excussis movet arma toris ». Adde Gratii Halieut. 56.

61. *Gladios retractant*, stringunt et rursus tractant, ut Festus explicat in *Retractare*, quum ante nullum eorum usum habuissent. Virg. Æn. VII, 694: « desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat ».—*Commovent orbes manu*, i. e. movendo clypeo exercent se et præparant pugnæ: *orbis* pro clypeo apud Virg. Æn. X, 546 et 783, aliisque in locis, et Stat. Achill. II, 177. Idem in Epitome Homeri vidimus.

62. *Bellumque sumunt:* pariter Petronius in Bello civ. 174, « Sumite bellum ». Silius Italicus, I, 272: « Bellaque sumpta viro belli majoris amore ». Plura exempla hujus locutionis dabit Heinsius ad Ovid. Her. XVI, 371.

63. *Continuat in mortem ultimam Somnos.* Frequens hæc sententia. Livius, XLI, 4: « aliis somno mors continuata est ». Ipse Petron. c. 79: « ego dubitavi, an utrumque trajicerem gladio, somnumque morti jungerem ». Statius, Theb. X, 295: « somnique et mortis anhelitus una Volvitur ». Claudian. in Eutrop. II, 437: « alii leto junxere soporem ». Nonnulli pro *mortem* scribendum duxerunt *in noctem ultimam* (quod et interpolator Petronii posuit), quoniam hæc magis respondet somno, cui adjungitur; et sic Virgil. Æn. X, 745: « Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem ». Sed tamen *mortem ultimam* quum omnes libri servent, id mutandum non censeo. *Ultima* enim mors vulgari

Digitized by Google

Somnos, ab aris alius accendit faces,
Contraque Troas invocat Trojæ sacra.

epitheto dicitur, quod *ultima linea rerum* ipsiusque somni est, atque aliis scriptoribus etiam *mors suprema* et *ultima* dicuntur. — Idem confirmat fragmentum Lucilii Junioris (quod p. 207 huj. tomi produximus. Ed.): « Mors non ultima venit; quæ rapit, ultima mors est ». Alia ad hunc locum explicandum adtulit Reiskius in Miscell. Lips. nov. vol. VI, p. 666.

64. *Ab aris alius accendit faces.* Fortasse hoc e Virgilio definxit, apud quem Iris in Beroen conversa, ad incendendas Trojanorum naves exhortans, aras demonstrat, unde faces petantur, Æn. V, 639: « En quatuor aræ Neptuno: Deus ipse faces animumque ministrat ».

65. *Invocat Trojæ sacra.* Alii *Contraque Troas*, vel *Trojam*, *Troia invocat sacra.* Male hic iterum cavillatur Tollius, quasi *sacra invocata* voce, supplice genu et oratione longa, sive precatione, dicat Petronius. Nam *invocare* h. l. nihil aliud est, quam adhibere auxilio, vel pro adjumento uti. Sic ipse Petronius, cap. 83, de facundia dicit: « inopi lingua desertas invocat artes », i. e. auxilium ab arte sua petit, quæ deserta et contempta est. Simili sententia Phædrus, fab. IV, 11: « Lucernam fur accendit ex ara Jovis, Ipsumque compilavit ad lumen suum ».

Digitized by Google

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

Præfatio Wernsdorfii ..... Pag. 1
Series Carminum tomi III 9
Præfatio de Carminum hac classe propositorum auctoribus, argumento, editionibus 11
— de auctoribus quibus Ætna Carmen tributum. *Ib.*
— de Lucilio Juniore, auctore Ætnæ 18
— de Cornelio Severo 30
— de edit. et interpr. Ætnæ 33
— de Cornelii Severi fragmento 38
— de C. Pedonis Albinovani fragmento 39
— de C. Calpurnio, ad quem Carmen ad Pisonem scriptum est 40
— de Auctoribus quibus Carmen ad Pisonem falso tribuitur 44
Editores et interpretes Carminis ad Pisonem 48
Petronii Carmina minora 51
Taurini votum Fortunæ Prænestinæ 52
Incerti votum ad Oceanum 53
Reposiani Concubitus Martis et Veneris 55
Incerti Verba Achillis in Parthenone 56
De Epistola Didonis ad Æneam 57
De duobus Epithalamiis 59

Digitized by Google

De Licentii Carmine ad Augustinum 59
De Ætna poemate, ejusque auctore, testimonia auctorum ac judicia 60
De Lucilio Juniore testimonia 66
De Cornelio Severo testimonia 70
Summa Luciliani Carminis de Ætna 73
Lucilii Junioris (vulgo Cornelii Severi) Ætna 79
Excursus I ad Lucilii Jun. Ætnam, v. 52 169
Excursus II ad Lucilii Jun. Ætnam, v. 138-141 .. 171
Excursus III ad Lucilii Jun. Ætnam, v. 426-428 .. 175
Excursus IV ad Lucilii Jun. Ætnam, v. 500-504 .. 181
Excursus V ad Lucilii Jun. Ætnam, v. 575 185
Excursus VI ad Lucilii Jun. Ætnam, v. 620 188
Excursus VII ad Lucilii Jun. Ætnam, vs. ult. 201
Lucilii Junioris aliorum Carminum fragmenta 206
Corn. Severi fragmentum de Morte Ciceronis 208
Ejusdem alia fragmenta 214
De C. Pedone Albinovano testimonia auctorum ac judicia 217
C. Pedonis Albinovani fragmentum de Navigatione Germanici per Oceanum septemtrionalem 220
Procœmium novi editoris in Carmen ad Calp. Pisonem 225
De Carmine ad Calp. Pisonem testimonia auctorum ac judicia 227
De Saleio Basso testimonia auctorum ac judicia .. 229
Saleii Bassi ad Calp. Pisonem Poemation, Lucano vulgo adscriptum 232
Argumentum ..... *Ib.*
Textus 233

Digitized by Google

Excursus I ad Saleii Bassi Carmen, v. 35 et 36 .. 271
Excursus II ad Saleii Bassi Carmen, v. 79 et 80.. 274
Excursus III ad Saleii Bassi Carmen, v. 173-175.. 278
Excursus IV ad Saleii Bassi Carmen, v. 180 seq. . 284
T. Petronii Arbitri Carmina minora..... 297
I. De Somniis ..... *Ib.*
Item 299
II. Ad Priapum 300
III. Saga mulier 302
IV. De Antiquorum tenui victu cultuque 305
V. De muliere formosa 309
VI. In superstitionem 312
VII. De vitando fastidio 315
T. Cæsii Taurini votum Fortunæ Prænestinæ..... 316
Incerti votum ad Oceanum 320
Reposiani Concubitus Martis et Veneris..... 324
Carmina Heroica. — Tomi tertii pars secunda.... 345
Series Carminum quæ hac secunda parte continentur 346
Incerti Verba Achillis in Parthenone, quum tubam Diomedis audiisset 347
Incerti Epistola Didonis ad Æneam, Præfatio.... 357
Dido ad Æneam 358
Præfatio ad Epithalamia..... 374
Patricii Epithalamium Auspicii et Aellæ..... 386
Incerti Epithalamium Laurentii et Mariæ..... 396
Fragmenta Epithalamiorum veterum 404
I. Gallieni Imp. adlocutio ad sponsos ..... *Ib.*
II. Aviti adlocutio sponsalis..... 406
III. Incerti Epithalamium 407

Digitized by Google